

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-836873-p0002-5



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-836873-p0003-0

Nf. 83.
3.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-836873-p0004-6

J. JACOBI ZIMMERMANNI,
S. THEOLOGIÆ IN GYMNASIO TURICENSI, PROFESSORIS,
REG. BORUSS. SOC. SCIENT. SODALIS

OPUSCULA

THEOLOGICI, HISTORICI ET PHILOSOPHICI ARGUMENTI.

TOMI SECUNDI

PARS II. ET ULTIMA.

TURICI,
Litteris CONRADI ORELLII, & SOC.

MDCCLIX.

KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE

PRÆFATIO AD B. LECTOREM.

ANtequam Te B. Lector ad lectionem proxime sequentis dissertationis admitto, quædam sunt præmonenda. Nimirum ea ante viginti annos a me conscripta fuit, & ad cl. Ludovicum *Burgetum*, *Professorem Neocomensem*, τον νυν εν Αγιοις, cum quo mihi per plures annos familiare erat Litterarum commercium, transmissa, eo fine, ut judicium de ea mihi suum candide significaret. Nonsolum autem eam calculo suo comprobavit, sed & eam per aliquem discipulorum suorum in gallicum idioma transferri, & Diario Litterario, cui titulus: *Journal Helvetique*, inseri curavit. Dissertatio ita inscripta erat: *Ludovici Randbekii, Borussi, V. D. Ministri, de vera, recta atque salutari pacis inter Protestantes ineunda ratione.* Meminit hujus dissertat. cl. *Ryhinerus*, artium logicarum in Academia Basileensi *Professor* doctissimus, qui novam editionem, eamque locupletiorem operum *celeb. Werenfelsii* nobis procuravit, in Tom. I. *dissert. de Ministris ad sacrum munus admittendis*, præmissa præfatione sequentibus verbis: *ad Lectorem*: „ In Mercurio Helvetico mensis Augusti & Septembris Anni MDCCXXXVII. „ extant litteræ lectu dignissimæ D. *Randbekii*, in quibus suam de „ pace inter Protestantes sententiam fuse explicat. Laudat in illis „ virorum doctorum operam & consilia huc collata; interque alia „ *scriptum* auctoris (nimirum *Werenfelsii*) *henoticum*, sed existimat, hæc omnia esse insufficientia, nihilque agi, nisi res eo deducatur, ut Theologi Reformatæ & Lutheranæ sententiæ addicti, „ susque deque habita hac opinionum diversitate, simul in una „ eademque Ecclesia & Academia, ut veri fratres pacifice doceant, „ munusque Doctoris aut Pastoris exerceant.

Fortasse vir iste Theologos pacis studiosos non omnes hujus rei penitus oblitos esse crederet, si vidisset scriptum germanicum *Auctoris*, illo inscio, typis alicubi mandatum, quo probat: *Hominibus non competere jus, quenquam ad Sacrum Ministerium cætera apprime idoneum, ob solum errorem in articulo non fundamentali ab hoc excludendi;* quod si omnibus, qui Ministros Ecclesiæ recipiunt, persuaderi posset, aliquid voto D. *Randbekii* simile tandem aliquando contingeret. Hactenus *clarissimus Ryhinerus.* Fateor, hanc *celeberrimi Werenfelsii* dissertatiunculam, dum meditationem meam elaboravi, a me visam non fuisse. Quamprimum vero nova editio operum lucem adspexit, eam diligenter evolvi, & deprehendi *per eam*, sententiam meam de vera pacis inter Protestantes ineunda ratione *mirifice* confirmari; quod quilibet me tacente, qui harum controversiarum gnarus est, sine anxia ratiocinationum collatione, facile deprehendet.

DE

DE VERA, RECTA, ATQUE SALUTARI PACIS, inter Protestantes ineundæ, Ratione. DISSERTATIO EPISTOLICA.

NOn semel miratus sum, *amicorum optime*, qui fiat, ut præstantissimi Theologi, qui ante aliquot annos omnibus viribus conniſi sunt, ut fratres in quibusdam religionis capitibus dissidentes componerent, nunc altissime sileant, atque curam hanc christiano homine, inprimis vero Theologo, dignissimam penitus abjiciant. Nosti *Ch. Mathæum Pfaffium*, virum insigni eruditionis laude florentem, ut de aliis multis, *Reformatâ* præsertim, nil dicam, sacram illam, & vel sanguine redimendam pacem, omnibus votis atque desideriis nonsolum expetiisse, sed & argumentis omni exceptione majoribus, publice ringentibus licet discordiarum & litium fautoribus, negotii hujus *necessitatem* atque *utilitatem* demonstrasse. Hinc factum, ut boni omnes sperarent, studium illud pium, Deoque gratissimum, lætissimum habiturum esse exitum. At tantum abest, ut quidpiam adhuc in hoc negotio promotum sit, ut potius illi ipsi cordati Theologi, qui antea strenue gravissimum hoc negotium urserunt, nunc prorsus sileant, atque adeo de felici successu desperare videantur. Cur ita agant viri præstantissimi facile est conjicere. Putant nimirum negotium hoc toties totiesque tentatum omni successu destitui, atque labores omnes vanos & irritos fore. At eos nonsolum hac in parte errare, sed & contra sua peccare decreta, facile est ostendere. Certe id quod præstitu est *difficile*, non prorsus tamen *impossibile* est. Fatemur mul-

torum animos ab hoc negotio ita esse alienos, totque præjudicatis opinionibus contra salutarem hanc pacem imbutos, ut perquam difficile sit credere, homines ita animatos adsensu suo rem votis omnium piorum desideratissimam comprobaturos. Sed hoc tamen impedire non debet, quo minus officio suo faciant satis. Vident illi quotidie homines multos adeo vitiis & erroribus immersos, ut vix aliqua spes adfulgeat, eos ad meliorem mentem iri revocatum, neque tamen desinunt vitia atque errores debellare; dies diem docet, atque efferatissimi etiam homines, ubi cottidie admonentur, sæpe mansuefiunt; neque sacra hujus pacis natura postulat, ut omnes statim ad eam ineundam provolent; sufficit, si unus atque alter illius amore capiatur, atque quantum in se est efficiat, ut eam stabilem firmamque reddat. Accedit, quod ipsorum, qui hactenus de componendis fratribus fuerunt solliciti, judicio, studium promovendæ pacis hujus sacræ non inter actiones *indifferentes*, sed *necessarias præsitu* sit referendum. Fatentur enim viri optimi atque præstantissimi, eam esse articulorum, circa quos hactenus dissentiunt Protestantes, naturam, ut nonsolum pacem illam salva conscientia inire possint, sed & debeant. Audi quomodo de hoc argumento loquatur eruditus & pacificus Theologus, S. *Werenfelsius*, in meditatione cujus titulus: *Considerations générales sur la réunion des Protestans. On demande* (inquit) *comment l'on pourra parvenir à une telle union? A cela je répons, que la chose depend d'un seul point. C'est que l'on réconnoisse des deux côtés, que l'on est obligé en conscience de s'unir de la sorte; si l'on est convaincu de cela de part & d'autre, toutes les difficultés, que l'on se figure dans cette affaire, s'evanouiront tout aussitot. De savoir maintenant si les Protestans de deux partis sont obligez à cette réunion, c'est ce qui depend d'une seule question: sçavoir, si ceux de l'une ou de l'autre communion, même ceux qui dans la diversité présente des sentimens ont tort, ne laissent pas d'être de vrais membres de l'egliſe chrêtienne non obstant leurs opinions, ils sont effectivement & réellement des vrais Chretiens, il est aussi clair que le jour, que l'on est obligé en conscience de les croire, & de les reconnoitre tels, d'avoir communion avec eux en cette qualité, & de marquer cette communion au dehors devant tout le monde, en la maniére, qu'il a été dit, & cela dès à présent & sans renvoi. Je dis expressement, que l'on est obligé en conscience de le faire. Car ce n'est pas*

assez.

assez, que l'on reconnoisse que ce seroit là une chose utile, ni même qu'on peut la faire en bonne conscience; il faut de plus ou avoüer, que cette réunion est un devoir indispensable, que l'on ne sauroit omettre, ni même différer un seul moment, sans se rendre coupable d'une grande offençe contre Dieu & contre Jesus-Christ nôtre Chef commun; ou il faut dire nettement, & sans détour, que tous ceux d'entre les Protestans, qui errent dans quelqu'un des chefs, qui sont controversez, ne sont point de vrais Chrêtiens. Car s'ils sont de vrais Chrêtiens, qu'ils ayent d'ailleurs des erreurs aussi grossiéres, & en aussi grand nombre que de vrais Chrêtiens puissent en avoir (comme en effet les vrais Chrêtiens ne sont pas infaillibles) ils ne composent pourtant, avec ceux dont la doctrine est la plus pure, qu'une Eglise, & qu'un corps spirituel de Jesus-Christ, & par conséquent on ne peut, avec aucun ombre de justice, les exclurre de la communion exterieure de l'Eglise. Ita insignis ille Theologus. (*) Quod si autem religio & pietas postulat, ut pax illa quæratur, atque omnibus viribus promoveatur, non possunt Doctores publici huic officio sine gravissimo peccato deesse. Christus & Apostoli, si eos audias, *postulant* atque *jubent*, ut cum iis, qui in levibus versantur erroribus, pacem colamus, eos pro fratribus atque veris Christi membris habeamus. Fatentur pacem illam Deo esse *gratissimam*, *reipublicæ & cœtui sacro utilissimam*; cur ergo omitterent, quod tam severe ipsis, ut faciant, injunctum est? Peccant sane gravissime, qui, cum incredibili diligentia litteris vacent, ut famam suam longe lateque extendere possint, sanctissimum vero hoc studium negligunt, atque adeo in causa sunt, quo minus animæ *Deo* & *Christo* sacræ, at eheu a longo jam tempore in partes sciissæ, atque a se invicem mutuo alienatæ denuo coeant, atque mitissimo nostro Soteri obediant.

Cum autem ab eo tempore, quo res ad religionem spectantes cum cura expendere cœpi, singulari ardeam cupiditate fratrum hactenus dissentientium animos coadunandi, nihil eorum, quantum in me fuit, reliqui feci, quæ ad sanctissimum hoc negotium promovendum facere putavi, sperans, viros pacis amantes, atque momenti controversiarum, quæ mutuo intercedunt, gnaros, manus tandem

(*) Lege ejusdem excell. viri dissertat. de ratione uniendi Ecclesias Protestantes, quæ extat tomo primo opp. edit. novæ p. 431.

victas esse daturos, conatus certe meos adprobaturos. Cum vero haud ignorem quosdam ex collegis tuis hactenus existumasse, frustra esse conatus omnes eorum, qui manum huic operi adjecturi sint, officii mei esse putavi, ea quæ de hoc argumento coram tecum sæpius locutus sum, in chartas conjicere, eum in finem, ut hanc epistolam cum iis communices, eosque ad argumentum hoc sollicite expendendum horteris. Tam mihi persuasus esse videor de iis, quæ in hac epistola edissero, ut firmissime credam, me omnes objectiones, quas sententiæ meæ opponent, facile soluturum. Nihil igitur mihi magis gratum atque acceptum erit, quam si collegæ tui sententiam meam rigidissimo submissuri erunt examini, atque mecum communicaturi rationes, quæ impediunt, quo minus sententiæ meæ album calculum adjiciant.

Antequam autem sententiam meam de vera sacræ hujus pacis constituendæ *ratione* in medium proferam, duo necessario præmittenda esse video. *Primum* est, mihi in hac controversia negotium cum iis Theologis esse, qui argumentis gravissimis sacræ hujus pacis *necessitatem* dudum probarunt, non vero cum rixosis quibusdam Theologastris, qui pedibus manibusque huic negotio obstrepunt. Hinc omissa videbis omnia illa argumenta, quæ a doctissimis viris *Strimesio*, *Heideggero*, *Brukero*, *Pfaffio*, *Turretino*, aliisque in medium sunt allata: existumo ea ejus esse ponderis, ut quemvis rerum sacrarum peritum, atque controversiarum de quibus agitur guarum, necessario, si præconceptas animo opiniones tantisper facessere jubeat, in adsensum sint pertractura. Hoc unum addendum esse puto, nimirum Theologos illos præstantissimos, quorum hic mentionem facio, si convenienter *principiis*, quæ recte *posuerunt*, agere voluissent, *ulterius* debuisse progredi, atque *arctius* aliquod unionis sacræ *vinculum* quærere.

Alterum ad quod attendi velim hoc est: licet latius extendam pacis sacræ limites, quam a præstantissimis nostris Theologis factum est, non tamen ad sententiam meam probandam necessarium esse puto, ut dissidentes fratres unam eandemque de controversis articulis foveant sententiam, atque alterutra pars victas det manus, unaque sit omnium sententia; ad hoc enim in hac rerum caligine & opinionum diversitate pervenire nunquam licebit, neque ut fiat necesse est. Unde etiam doctissimi viri, qui sacræ pacis studio animati, animum

ad

ad scribendum de hoc argumento adjunxerunt, recte monuerunt, suam cuique de controversis articulis *cogitandi libertatem* concedendam esse. Hoc ideo moneo, ne, dum limites hujus pacis *latius* extendendos esse dico, quidam existument, me id agere, ut probem, *Lutheranis* vel in castra *Reformatorum*, vel *Reformatis* in *Lutheranorum* castra esse eundum. Hic dissensus, salva pace, quam ineundam puto, potest locum habere.

Hisce præmissis dicam, quæ mea sententia pacis illius sacræ vera sit ratio, postquam paucis virorum doctorum, qui eam omnibus viribus urserunt, mentem exposuero. Contendunt viri docti, pacis rationem in eo debere consistere, ut *Lutherani* & *Reformati* positis præjudicatis opinionibus, modeste, & ἀπερ πάθων in controversias, quæ invicem intercedunt, inquirant; ut omnibus durioribus consequentiis, quæ ex alterutra opinione necti solent, abstineant; ut sese mutuo pro fratribus & membris veræ Ecclesiæ habeant, atque in hujus rei testimonium sacra cœna, pacis & amoris symbolo, in diversis cœtibus promiscue utantur. Vel si mavis audire insignem *Werenfelsium*, quem utriusque partis Theologi ob raram eruditionem & modestiam magni faciunt, in eo consistit illius unionis ratio: *Que les Protestans des deux partis regardent ces differences de sentiments, qui se rencontrent entr'eux, comme de ces inconveniens inévitables, que l'on ne bannira jamais d'entre les Chrêtiens, & qu'ils se supportent en cela comme le Christianisme le demande, & comme on supporte les autres infirmités humaines: qu'ainsi cette diversité d'opinions ne les empêche pas, de se reconnoître mutuellement, & de s'aimer comme membres d'un même corps spirituel & comme frères: Et que cette union sincère & chrétienne étant bien enracinée dans leurs cœurs, ils la témoignent publiquement devant tout le monde, non seulement par toutes sortes d'œuvres de charité & d'affection fraternelle, mais aussi & principalement en ne faisant qu'une même communion, & en participant ensemble les uns avec les autres à la Sainte Cène, qui est la marque la plus expresse de la Communion des Chrêtiens.* Hactenus *Werenfelsius*.

Ad hanc pacem stabiliendam variis utuntur argumentis, iisque gravissimis atque evidentissimis, quæ non repetam. Quin hæc recte atque pie dicta sint, nemo dubitaverit. Hoc unum mihi in hac virorum doctorum sententia displicet, quod nimirum limites hujus pacis sacræ *ulterius* non extenderint, atque adeo ad veram & saluta-

salutarem animorum concordiam stabiliendam quædam omiserint, quæ mea opinione necessario fuissent adjicienda, quæque pacis illius ὑπερόχην manifestissime declarassent.

Mea igitur de hoc argumento hæc est sententia: *Oportere duas illas dissidentium fratrum familias adeo in unum corpus coalescere, ut non obstante illo qualicunque dissensu in una eademque academia, gymnasio, atque ecclesia, promiscue publice docere, atque sacris operari possint; adeo ut v. gr. Lipsiæ Theologi Lutherani & Reformati, & vice versa Basileæ & Ultrajecti Reformati & Lutherani Doctorum publicorum officio defungi possint, atque dissensus discrimen non majus inter eos habeatur, quam Voëtianorum* v. gr. & *Coccejanorum in Belgio, aut duorum Professorum Philosophiæ, in una eademque Academia diversam philosophandi viam ingredientium.* Hanc *veram, solidam,* atque *duraturam* pacis veræ constituendæ *rationem* esse puto. Ne cui hæc mea sententia *paradoxa* videatur, adscribam clarissimi & doctissimi viri, Joh. Jac. *Huldrici*, Professoris olim penes nos *Juris Naturæ & Ethicæ*, Præceptoris mei ætatem colendi, de hoc argumento cogitata. Præmittenda tamen occasio, qua data animi sui decreta publice, *suppresso* tamen *nomine* suo evulgavit. Recusa nimirum est *Tiguri* ipso curante anno 1722. dissertatio sub hoc titulo: *Fraterna & modesta ad omnes per universam Europam Reformatas Ecclesias, earumque pios ac fideles Moderatores ac Defensores, pro unanimi in toto Religionis evangelicæ negotio consensu inter se constituendo, exhortatio; a pio & erudito Theologo, nomine fratrum evangelicæ professionis in regno Poloniæ existentium, ante centum, & quod excurrit, annos scripta, nunc-que in lucem denuo edita, recudi curavit Irenæus Philalethes*, i. e. *Huldricus.* Huic disquisitioni præmisit *præfatiunculam*, in qua inter alia mentem suam aperuit de *negotio irenico* inter *Protestantes* procurando sequentibus verbis: „ Pruriret mihi (inquit) aliquo abhinc tem-„ pore & animus & calamus ad demonstrandam brevi aliqua disser-„ tatione specialem istam in causa hac irenica veritatem: Transa-„ ctionem religiosam, quæ nuperrime Ratisbonæ ab illustrissimo Pro-„ testantium S. R. I. Principum Statuumque Collegio publice sancita „ est, nondum illam esse, ad quam homines vere pacifici tot inde a „ duobus fere seculis spes erexerant, quamque tot ardentibus votis „ efflagitaverant. Quanquam etiam in ea, quæ vivimus, tempo-„ rum difficultate, illa magni beneficii loco habenda, Deoque Pa-

„ cifica-

„ cificatori infinitæ merito hoc quoque nomine gratiæ agendæ sint,
„ non tamen talis transactio, & inde emanans religiosa Protestan-
„ tium unio, totum illud est, ad quod ego quidem, & ut putem,
„ una mecum plurimi, qui bonum Hierosolymæ omni & prece
„ & pretio quærunt, & spe & votis meis propendeo. Tolerantia
„ ista est, quæ inde fere a beatæ Reformationis temporibus, Re-
„ formatis ne quidem suadenda fuit, non veri nominis unio & com-
„ munio, non mutua & solida fratrum ἰσότιμον πίστιν ἐν δικαιοσύνῃ
„ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ λαχόντων amplexatio. A tristi-
„ bus jurgiis abstinent vi hujus pacificationis Protestantes fratres in
„ posterum, nondum in dulcia oscula ruunt mutuasque dexteras sibi
„ invicem vere implicant. Persuasissimus autem ego sum, & pos-
„ se illos & debere, siquidem officio hac in parte suo facere ve-
„ lint satis, & posse, inquam, illos & debere adeo in unicæ Eccle-
„ siæ unum corpus coalescere, unoque ita inter se spiritu conglu-
„ tinari, ut v. g. mihi V. D. M. & indigno Professori Tigurino li-
„ ceret posthac in Academia aut Ecclesia aliqua illarum, quæ ha-
„ ctenus Lutheranæ, quanquam intolerando inter illos, quorum
„ unus Doctor & Magister est Jesus Christus, nomine dictæ sunt,
„ etiamsi vel Hamburgi foret illa, publice & legere & docere, i. e.
„ Professoris aut Pastoris munus obire & vice versa. Et certe quid
„ facilius hoc ipso paradoxo, quod hic affero, & dum vivam affe-
„ ram, foret intellectu, modo hominibus, potissimum Theologis,
„ veniret in mentem idem agitatis hactenus inter Protestantes con-
„ troversiis, exempli gratia, Coccejanorum & Voëtianorum in Bel-
„ gicis, Particularistarum & Universalistarum in Galliarum olim
„ Ecclesiis, tanto animorum æstu, iris tantis agitatis; sed nigresce-
„ rent forte, hæc me nullius nominis homuncione prolixius agen-
„ te, & demonstrante, hinc inde, non quidem Tiguri, ast passim
„ alibi, multis venæ intumescerent & ora, ipseque ego, totus ad
„ jurgia cohorrescens, & almæ pacis unice operans molestis litibus
„ implicarer. Hinc animum quidem ad hoc non sumo, sed cala-
„ mum potius frango, & vigilata forte isthæc pro pace prælia de-
„ leo; veniet, opto dies, quo id ipsum agent alii, quibus ego cor-
„ rigias solvere & calceamenta portare indignus sum. Calidissimum
„ cordis mei votum est, ut quod nos vix poterimus unquam,
„ Deus ipse tandem efficiat, & Jesus Christus, dator & stator ve-

„ ræ pacis, litiganti ſuæ Eccleſiæ: *PAX VOBIS* acclamet, pretio-
„ ſaque ſua promiſſa adimpleat, quibus fœcunda & prægnantia ad-
„ modum ſunt in hanc rem ſanctorum ſuorum Prophetarum vati-
„ cinia. Vide Cant. VI. 12. VIII. 8. 9. 10. Eſajæ XI. 9. 13. 14.
„ LX. 17. 18. LXV. 25 Ezech. XXXVII. 15. 20. &c. In quo
„ pio voto bullienti de corde effuſo finio, teque, B. Lector, in
„ Domino pacis bene valere, & pro pace Zionis ardenter orare ju-
„ beo. Poſtquam id unum addidero, quod in fine epiſtolæ alicu-
„ jus Magni *Oecolampadii* ad Magnum itidem *Zvvinglium* noſtrum,
„ quam in originali inter chartas uno & altero abhinc die meas
„ offendi, quæque, quod nullus dubito, in impreſſis etiam he-
„ roum horum litteris occurret, non ſine animi voluptate legi: „
Dominus, ita pius Oecolampadius, *auxit me filiola cui nomen Irene. Oro ut illa aliquando Eccleſiis detur.* Hactenus ὁ μακαριτης cl. *Huldricus.* Verba autem cl. viri licet paulo prolixiora adducere volui, partim ut exinde conſtet, quam propenſo ſemper Tigurinæ Eccleſiæ Theologi animo fuerint erga fratres Lutheranos; quamque lubentes omnia illa conferre voluerint, quæ ad ſtabilem illam & vere chriſtianam unionem plurimum conferre poſſent; *partim* quod ex iis conſtet, cl. *Huldricum* ante me, eandem quod ad ſummam rerum pertinet, quam hîc tueri & probare ſatago, de unione Proteſtantium ſententiam calculo ſuo comprobaſſe. Quamvis enim ad veritatem aliquam probandam parum interſit, utrum ea nova ſit vel antiqua, in certaminibus tamen theologicis propter quoſdam Doctores umbraticos & rixatores eo deventum eſt, ut veritati vix vacivæ præbeantur aures, niſi oſtendatur, jam ante nos fuiſſe, qui eam propugnare aggreſſi ſint.

Ut autem probem, veram illam & rectam pacis ineundæ rationem, neceſſario *arctiſſimam* illam unionem & concordiam poſtulare, non aliis utar argumentis, quam iis, quæ viri docti, qui de ineunda ſalutari hac concordia ſcripſerunt, in medium attulerunt. Non omnia autem, ſed quædam duntaxat adhibebo, perſuaſus, *omnia* argumenta, a viris doctis allata, aut *nihil* probare, aut *noſtram* mirifice ſtabilire ſententiam.

Primum atque *graviſſimum argumentum*, quo viri pacis ſacræ ſtudioſi utuntur, ad concordiam illam ſtabiliendam, hoc eſt: *Qui in omnibus articulis, qui ad ſalutem conſequendam neceſſario poſtulantur,*

lantur, consentiunt, illi concordiam illam, non obstante levi dissensu, inire tenentur: Atqui Lutherani & Reformati, in omnibus illis capitibus, quæ ad obtinendam salutem requiruntur, consentiunt. Ergo &c. Utramque propositionem, majorem & minorem, uti in scholis loquuntur, prolixe atque perspicue viri docti probant, quæ cum notissima sint iis recensendis non immorabor. At si vera sunt hæc argumenta, sequitur in *una eademque Academia, schola, cœtu*, non solum *posse*, sed & *debere* ferri Doctores in necessariis hisce articulis consentientes; sequitur dissensus illius nullam habendam esse rationem, saltem non majorem, quam qui inter Theologos ejusdem sectæ de variis S. Scripturæ explicationibus & hypothesibus haberi solet. Atque hic sese exerit concordiæ, quam nos urgemus, *efficacia* atque *utilitas*. Cur enim quæso Lipsiensis Theologus pro fratre habere debet Theologum Batavum aut Helvetum, non vero collegam in eadem Academia viventem, sed Batavorum Theologorum sententiæ de S. Cœna addictum? Aut vice versa, cur quæso Doctor Basileensis pro fratre habere teneretur Theologum Tubingensem, non item fratrem in eadem Academia publice docentem, sed opiniones fratrum Lutheranorum de gratia & prædestinatione defendentem? Certe si dissensus ille, qui inter Theologos illos intercedit, non impedit, quo minus *fratres*, & *membra veræ Ecclesiæ* sint, ratio nulla dari potest, cur in uno eodemque cœtu, una eademque Academia docere, licet in quibusdam dissentiant, non possint: locorum intervalla ad rem profecto nihil faciunt.

Secundo, argumentantur viri pacis sacræ studiosi ab opinionum, circa quas in diversa abeunt fratres, *levitate*, contendentes, eam esse errorum illorum, si recte perpendantur, naturam, ut *mutuum amoris & amicitiæ vinculum* dissolvere nec possint, nec debeant. Recte ita sentiunt viri præstantissimi; at si hoc verum est, *sequitur*, dissensum illum obstare non debere, quo minus duo vel tres Theologi, circa articulos illos in diversa euntes, in una eademque Academia publice doceant, seque pro fratribus agnoscant; *sequitur*, Theologum Reformatum intercedere non debere, quo minus Theologus Lutheranus lateri suo jungatur, & vice versa. Ratio in promtu est. Cum Theologi illi dissentiant in capitibus ad religionis veræ *summam* nihil plane facientibus, dissensus ille non impedit, quo minus mitissimi nostri Soteris discipuli, atque vera Ecclesiæ membra sint.

Tertio argumentantur viri docti a *præcepto Dei*, *Christi*, & *Apostolorum*, asserentes, Deum in verbo suo præcepisse, ut *pacem & concordiam* amus cum fratribus infirmis & in quibusdam errantibus; Christum & Apostolos, Doctores infallibiles, infirmos & in quibusdam errantes cœtu sacro & societate sacra non excluisse. Hoc argumentum, ut solidissimum est, & πασης αποδοχης αξιον, ita quammaxime militat pro mea sententia. Cur enim quæso cives ejusdem reipublicæ, multis communis patriæ vinculis constricti, non arctius & intensius amarent fratrem, in quibusdam forte errantem, quam alium, in diverso plane imperio constitutum? Num *Lipsiensi* civi & Theologo magis carus atque acceptus esse debet *Batavus*, quam ejusdem urbis incola, & Theologus Batavorum de *S. Cœna* sententiæ addictus? Num ejiciendus est Theologus *Basileensis* Lutheranorum sententiæ de *gratia & prædestinatione* addictus, licet, ut hoc fiat, neque Christi, neque Apostolorum auctoritas atque exempla *concedant*, imo *contrarium* suadeant? Mitto jam argumenta ab exemplo Ecclesiæ primitivæ, atque communionis fidelium natura petita, & quæ viri docti alia in medium protulerunt. Verbo dicam: nullum est argumentum, a viris pacis studiosis allatum, quod *sententiam nostram* non *firmissime stabiliat*.

Video autem quid dissentientes dicturi sint: contendent, argumenta hactenus allata probare quidem, necesse esse, ut Reformati & Lutherani sese mutuo pro fratribus habeant, atque pacem colant; at ideo necesse non esse, ut in *una eademque Academia* Theologi diversarum opinionum ferantur, sufficere, ex. gr. si *Lipsienses*, *Tubingenses*, *Wittenbergenses*, *Batavos*, *Helvetos*, *Palatinos* &c. pro fratribus habeant; hac ratione pacem salvam esse, neque plura requiri.

At aut ego vehementer fallor, aut argumenta a viris doctis allata probant *simul*, omnia quæcunque ad unionem illam maxime firmam atque stabilem reddendam conferre aliquid possunt, tentanda & facienda. At longe *arctior* atque *firmior* est unionis illius ratio, si nullo habito respectu dissensus, qui inter illos viget, promiscue muneribus publicis admoventur utriusque partis Theologi, quam si in hac demum vel illa republica unius partis Doctores tolerantur.

Ut autem hoc magis pateſcat, quædam ad sententiam meam confirmandam addam. Velim igitur notari, concordiam illam,

quam

quam præstantissimi Theologi hactenus commendarunt, non *satisfacere juri conscientiæ*, & *veræ tolerantiæ*, quæ hic locum habere debet. Sunt inter Reformatos Theologos non pauci, qui Lutheranorum de *gratia* & *prædestinatione* sententiæ addicti sunt; ab altera parte reperiuntur inter Theologos *Lutheranos* non pauci, (exempla adducere odiosum esset) quibus sententia Reformatorum de S. Cœna arridet. Si Angliam excipias, vix audet Theologus Reformatus multis in locis publice fateri se sententiæ Lutheranorum de gratia &c. esse addictum, sed suam, quam profitetur, sententiam teget, atque Reformatorum decretis subscribere sese simulabit; vice versa Theologus Lutheranus non ferretur, qui Reformatorum de *S. Cœna* sententiam veram esse profiteretur. An hæc autem veri nominis *tolerantia* & *concordia* est? An hæc est fraterna animorum consociatio? Num hic est ille insignis pacis illius sacræ *fructus*? Aut vera rerum vocabula amisimus, aut plura postulantur ad veram atque salutarem concordiam stabiliendam. Ponamus, v. gr. *Tubingæ*, vel *Lipsiæ*, Professorem esse Theologiæ, cui sententia Reformatorum de *S. Cœna* vera videatur, & ab altera parte Theologum *Ultrajectinum* vel *Tigurinum* sententiam Lutheranorum de gratia &c. amplectentem: ponamus tales vi conscientiæ adactos, suam quemque profiteri sententiam; sane ut sunt tempora, non obstante illa concordia, quam viri docti urgent, uterque vel ad silentium tenendum adigetur; vel si id recusaverint, muneribus suis privabuntur, atque ita nonsolum conscientiæ jura violabuntur, sed & necessario rumpentur *vincula concordiæ* adeo celebratæ. Quæ enim hæc tandem est pax & concordia, si vir cætera probus & doctus ob hoc unum, quod cum aliis fratribus eandem tuetur sententiam, de munere suo dejicitur, aut silentio tegere sententiam tenetur, quam conscientiæ stimulis adactus veram esse putat, quæque judicio eorum, qui eum impugnant, cum *salutis consequendæ spe consistere potest*? Unde patet, eam demum concordiam *tutam* atque *stabilem* esse, quæ jubet, ut Doctores publici, circa articulos illos in contraria euntes, tolerentur; ita sane ostendunt, se alios pro fratribus habere; ita fatentur articulos illos, de quibus hactenus convenire non poterant, ad salutem consequendam creditu non esse necessarios. Cum autem contrarium passim fiat, patet, concordiam, quam viri docti hactenus urserunt, non satis esse *tutam*,

neque naturæ *veræ pacis*, atque duraturæ concordiæ accommodatam. In *Dania*, *Suecia*, *Saxonia* &c. soli Lutherani Theologi in Academiis docere debent; in *Belgio*, *Helvetia*, & alibi soli Theologi Reformati; una scilicet Academia non potest ferre duos fratres Theologos, circa levia capita religionis dissentientes! bone Deus! repeto, qualis tandem est hæc fratrum adeo celebrata concordia? Dicent forte quidam, Theologos Reformatos, sententiæ Lutheranorum addictos, sed muneribus suis ob hoc motos, tamen pro fratribus a Theologis Reformatis haberi posse; at mira hæc est & plane insolita veræ amicitiæ atque concordiæ ratio; natus est aliquis Basileæ, ibi altus, enutritus, litteris bene instructus; duxit uxorem Basileensem; habet liberos, fautores, amicos; Theologiæ muneri, Reformatorum quippe sententiæ addictus, admovetur. Hic examine instituto mentem mutat, atque sententiam Lutheranorum de prædestinatione & gratia, rationi & S. Litteris convenientiorem esse putat, eamque defendit. Hic *bonus* noster *frater*, *membrum veræ Ecclesiæ*, *in levissimis*, *judicio ipsorum fratrum errans*, *cum familia*, *uxore & dulcissimis amoris pignoribus liberis*, *siquidem in sua sententia permaneat*, *patriæ*, *fautoribus*, *& amicis valedicere*, *atque propter innocuum dissensum in alium locum*, *ubi Lutherani Doctores sunt*, *migrare*, *aut in patria*, *munere suo dejectus*, *cum maximo familiæ detrimento privatam vivere vitam tenetur*. Num hæc agendi ratio, *provoco ad omnium conscientiam*, probat, *Lutheranos* & *Reformatos* esse fratres, & vera Christi membra? Idem dicendum, si ponas, Theologum v. gr. *Tubingensem*, Reformatorum de S. Cœna sententiæ addictum, talia experiri fata. Ex quo satis, ni fallor, constat, quam solida, atque salutaris futura esset ea, quam *propugno*, & dum vivam defensurus sum, pacis sacræ ineundæ ratio. Sæpe doctissimi inter Protestantes viri, in ea qua vivunt Republica emergendi occasionem vident nullam; cui malo facile occurri posset, si nullo habito dissensus illius respectu promiscue muneribus admoverentur. Cum autem vi principiorum, a viris doctis concessorum, Theologi Lutherani & Reformati omnia facere teneantur, quæ ad demonstrandam veram atque fraternam concordiam postulantur, sole meridiano clarius patet, ea, quæ dixi, via eundum esse.

Facile

Facile autem conjicio, dissentientes, multa contra unionis illius arctissimæ, quam ineundam puto, rationem in medium prolaturos. Tantum abesse dicent, ut plerique fratrum huic consilio subscripturi sint, ut potius hoc ipsum eos sit absterriturum: notum esse, huic concordiæ obluctari non tantum ineptos quosdam *Theologastros*, ab omni humanitate alienos, aut concionatores quosdam loquaces, qui tribunitiis suis orationibus, omni data occasione, cum meliora adferre non possint, in dissentientes fratres debacchentur; sed & inter doctissimos *Lutheranorum* tales reperiri, qui paci huic sacræ, toties totiesque commendatæ, obstrepant, exemplo esse posse eruditissimi *Moshemii scriptam* de *Synodo Dordracena*, *maximo unionis impedimento*, *consultationem*. (*)

At hæc omnia non ita comparata sunt, ut probent, concordiam, quam commendavi, aut non esse rectam atque salutarem, aut conditiones hujus pacis plane præstitu esse impossibiles; quod si igitur ea, quæ in medium proferunt quidam, non obstent, quo minus vera, solida atque salutaris sit illius pacis, quam ineundam puto, ratio, omnium veritatis & pacis amantium officium est, omnia ad eam promovendam tentare; supra dixi, nos negligere ea non posse, ad quæ præstanda nos *religio* & *præcepta Christi* obligant. Licet igitur persuasus non essem, institutum meum felicem exitum habiturum, non minus tamen gnaviter elaborandum esset mihi, ut facerem quantum in hoc negotio possem. Theologi quotidie contra errores & vitia pugnant, licet pauciissimos esse sciant, qui nuntium iis mittant, atque ad animum sua monita revocent. Hinc frequenter in ore habent illud *Lactantii*, dicentis: *Satis me vixisse arbitrabor, & officium hominis impleviſſe, si labor meus aliquos homines ab erroribus liberatos ad iter cœleste direxerit.* Idem dixerim ego de pacis illius constituenda ratione; adsentiatur modo initio unus atque alter, atque, quantum in se est, sanctissimo huic instituto faveat, cæteros dies & meliora consilia forte in adsensum rapient.

(*) Nemo existimet me mortuo leoni insultare velle; præterquam enim quod hoc a moribus meis abhorret plane, supra dixi, hanc differt. epistolicam ante 20. annos scriptam fuisse. Ut nihil non dicam ex editis meis scriptis manifestum esse, me maximi feciſſe celeberrimum nunc cœlo receptum virum, qui vicissim, quod non contemnendis indiciis ostendere possem, me amavit.

rapient. Non ita abjecte de Dei favore erga genus humanum sentio, ut putem, tam salutaria consilia, Deo acceptissima, & reipublicæ atque cœtui sacro utilissima, *nullam* plane *vim* atque *efficaciam* in animos hominum habitura. Deus, pacis amantissimus, non potest non amare pacificos, eorumque sanctis conatibus bene cupere. Excitabit, spero, mox tales, qui operi huic promovendo manus admovebunt, imo plures forsan sunt, quam putamus, qui ad pacem hanc legibus hisce ineundam parati sunt. Nihil igitur probat argumentum illud ab *exigua spe* successus desumtum.

Neque, uti supra monui, mihi in hoc negotio res est cum istis, qui ab omni plane concordia alienum gerunt animum; sed cum viris *cordatis* & *eruditis*, qui pacis illius ineundæ *necessitatem* dudum gravissimis & omni exceptione majoribus argumentis demonstrarunt, neque tamen illius concordiæ limites eo usque, quo id faciendum esse puto, extenderunt. Ineptos clamatores, & pacis hostes indignos puto, quibuscum conferatur: quid enim facies cum iis, qui *communia pietatis* & *charitatis* officia pedibus conculcant; qui pro levissimis sententiis tanquam pro aris atque focis pugnant; qui impudentissime in eos debacchantur, qui consilia pacis offerunt; qui inepto zelo correpti ex qualibet, ut ajunt, musca elephantem faciunt; qui ingenii humani naturam atque controversiarum momenta nunquam per vitam recte perpenderunt? tales certe permittendi sunt malo, quo agitantur genio, Deoque & Medicis sunt commendandi. Neque certe pax, quam ineundam suadeo, inter τα ἀδυνατα est referenda; quo enim argumento id probabitur? Non postulo ut Lutherani Reformatorum, aut Reformati Lutheranorum accedant sententiæ; sed ut in una eademque Academia, vel cœtu, suam quisque sententiam de controversis articulis *modeste & libere* profiteatur; hoc autem cur fieri non possit causam non video. Si Deus, & mitissimus noster Soter hanc pacem commendent; si Christi, Apostolorum & præstantissimorum virorum exemplo patet, pacem illam olim obtinuisse; si argumenta pro consensu utriusque partis in articulis creditu necessariis valida sunt, uti quidem credunt viri docti, qui data opera de hoc argumento scripserunt, quid prohibet tandem quo minus negotium hoc perficiatur? In *Anglia* passim hæc libertas viget. In una eademque Academia docent duo *Medici* aut *Philosophi*, diversa sequentes systemata. Num soli tandem

Theo-

Theologi, quos pacis nuntios esse oporteret, ad leges charitatis & pacis observandas adduci non possunt? Certe nihil facilius est, quam concipere, qua ratione viri prudentes & pacifici ad ineundum salutare hoc consilium induci possint. Quod denique exemplum celeberrimi *Moshemii* attinet, nil id quidem contra necessitatem pacis illius, quam urgendam esse puto, facit. Concedo, *Moshemium inter viros eruditissimos, quos habet Germania nostra, esse referendum: nihil ipsius eruditioni, eloquentiæ, cæterisque, quibus floret, virtutibus detractum volo; maximi illius scripta facio, neque parum ex iis me profeciſſe contestor.* (Ita scripseram ante viginti annos.) Interim non diffiteor, me vehementer miratum esse, doctum virum, *eo tempore*, quo præstantissimi utriusque partis Theologi sacram illam pacem omnibus viribus promovere voluerunt, edita sua consultatione de novo discordiarum flammas, ex cineribus suis, addito flabello excitasse. An ignorasse dicendus est *vir doctissimus* omnes illas rationes, quas ad sententiam suam probandam viri docti in medium attulerunt? Num ipsemet satisfecit difficultatibus, quæ in doctrina de *præscientia* Dei occurrunt, quasque post *Baylium* masculе ursit *eruditissimus Vitus?* Num ignorat *Anglos* fere omnes *Amyraldi sequaces*, *Gallorum* exulum plerosque, Borussos, aliosque ad sententiam Lutheranorum de gratia &c. propensiores diu esse factos? Num ipse consubstantiationis dogma concoquere potest? An non Theologo christiano dignius officium feciſſet, si aut tacuisset, aut animos ubique pacis studio incensos eruditis & modestis meditationibus magis confirmasset? Certe hac sua consultatione effecit, ut multi inepti *Theologastri* in sua pervicacia fuerint confirmati; alii vero, optime de salutari hoc paeis promóvendæ studio sentientes, absterriti. Animus non est argumenta, quæ in erudita *consultatione* in medium protulit, examinare, fecit id dudum doctissimus *Vitus*, quod tamen, ut sine bile factum fuisset, optarem, interim ut verum fatear, non mihi videntur argumenta cl. *Moshemii* ejus esse ponderis, ut rationes, pro stabilienda pace a doctissimis viris allatas, ulla ratione concutiant. Ratio præcipua petita est ex consequentiis, quæ ex doctrina *Supralapsariorum*, & si vis etiam *Infralapsariorum*, sequi dicuntur; at nihil plane novi attulit cl. *Moshemius*; centies ad hanc objectionem responderunt Reformati; centies clamarunt se *detestari* periculosa illa consectaria; centies adseruerunt, se lubentes in numerum

merum male ratiocinantium referri velle, modo ipsis detestabiles propositiones non imputentur; millies ostenderunt doctrinam de *infallibili* Dei *præscientia* iisdem urgeri difficultatibus (*), atque sententiam Lutheranorum de Sacra Cœna omnibus rectæ rationis principiis esse contrariam. His non obstantibus, pacem identidem obtulerunt & adhuc offerunt Reformati, atque omnia illa fecerunt, quæ ad mitigandos fratrum animos facere potuerunt. Perpendat sedulo cl. vir, quid viri doctissimi, *Pfaffius* inprimis & *Turrettinus*, de *momento* controversiarum illarum scripserunt; perpendat, quam raro doctissimi Reformatorum nostra ætate de controversis articulis publice agant; quam sedulo caveant, ne hostibus insultandi causam suppeditent; quam gnaviter, *Angli* præsertim & *Galli*, Reformatorum cœtui addicti, in scriptis suis ea urgeant, quæ ad veram pietatem instillandam faciunt &c. &c. quam recte facerent Christiani, si cum cl. *Turretino* assererent, satis esse de decretis Dei hoc scire: *Qui credit salvabitur, qui non credit damnabitur*; certe ubi ab hac regula discedunt Theologi, iis se involvunt difficultatibus, quibus solvendis impares sunt. Probe novit doctissimus *Moshemius*, quid in controversia hac, inter *Baylium* & doctissimos ejus adversarios, dictum atque scriptum sit: periculum faciat, utrum objectionibus omnibus, quibus præscientia infallibilis Dei impugnatur, diluendis par sit, nec ne. Scio quid doctissimus vir respectu consequentiarum, quas *Lutherani* contra Reformatos urgent, dissertat. theolog. III. pag. 108. seq. monuerit; at idem haud ignorat, quid regesserit vir eruditus, *Miscellan. Duisburgensium tomo secundo* pag. 398. seq. (**) Cl. *Werenfelsii* scripta magni fecit *præstantissimus Moshemius*; at ille dudum gravissimis rationibus probavit, non esse de religione dissentientis judicandum ex consequentiis, quas alius nectit, sed ex *propria confessione* ejus quem errare contendimus. Ita

inter

(*) Celeb. Praffius in Schediasmate, de formula consensus helvetica, rotunde id fatetur, dicens pag. 46. „ Nec tamen id diffitemur, esse difficultates quasdam nobis fere insuperabiles, quæ gratiæ universali objici „ possint, id quod dudum fassi sumus. „ Provocat ad primitias suas Tübingenses in Notis.

(**) Verba ipsa Auctoris, quia prolixiora sunt & invidiæ plena, quanquam difficulter refutanda, hic adducere nolo, præsertim cum hæc Miscellanea passim obvia sint.

inter alia loquitur ὁ μανιαγιτης, in *cogitat. generalibus de unione Proteſtantium*: *Non id ſententia noſtra eſt*, (inquit) *quod alii ex dictis & aſſertionibus noſtris concludunt, ſed id ſolum, quod nos, nos ipſi credimus, & in animis noſtris pro vero agnoſcimus. Nam & perniciosiſſima planeque damnabilis hæreſis, quam diu illa talis in animo noſtro non eſt, nihil quicquam in hoc noſtro animo mali producere poteſt: tametſi hanc omnes forte dialectici ex quibuſdam opinationibus noſtris ſummo jure concludere poſſent.*

„ Ut hoc exemplo declarem: Ponamus, poſſe ex quadam opinione „ mea neceſſario & plane ſecundum Logicæ regulas concludi, preces „ omnes eſſe inutiles. Certe hæc ab aliis ex hypotheſi mea deducta „ concluſio, quamdiu ego illam tanquam hæreticam & impiam deteſtor „ & abominor, minime me impediet, quo minus in animo retineam firmam de precum efficacia fiduciam, quo minus conſervem debitum „ in precibus fundendis fervorem & aſſiduitatem; unde nec illa impediet, quo minus Deus aſſiduas & fervidas preces meas exaudiat. „ Conſecutionibus & concluſionibus falſis & abſurdis ex ſententia alicujus rite deductis, probamus, iſtam ſententiam, ex qua falſum ſequitur, itidem eſſe falſam; opiniones & hypotheſes alicujus non bene cohærere, quaſdam earum propriis ejus hypotheſibus, ſæpe etiam „ praxi, adverſari; verbo, aliquem ſibi non conſtare, non bene ratiocinari, non *bonum hic eſſe Logicum*; ſed concluſionibus & ratiocinationibus hujuſcemodi minime probari poteſt, aliquem *bonum Chriſtianum* non eſſe, quamdiu talis *revera* eſt; aliquem non ex „ animo credere id, quod vere credit, non averſari id, quod toto „ corde averſatur; denique non affirmare, quod affirmat, non negare, quod negat, non facere, quod facit, non omittere, quod „ omittit. „ Hactenus *Werenfelſius*.

Argumentum profecto a conſequentiis petitum plus probat quam probandum erat. Etenim ſi illud valeret, collegæ in uno eodemque *Collegio* vel *Academia* viventes propter hujus vel illius diſſenſum ferri nullatenus poſſent. Ponamus duos eſſe Philoſophiæ Profeſſores in una eademque Academia viventes, unum *Eclecticam* adamare *Philoſophiam*, alterum *illuſtris Wolfii ſyſtemati totum addictum eſſe*. Quod ſi *Eclecticus* aſſerat, totum ſyſtema *Wolfii* abſolutæ patrocinari neceſſitati; malum æque neceſſarium ac bonum; libertatem omnem ſua opinione poſito hoc ſyſtemate tolli; uno verbo,

omni religioni bellum hac ratione indici, *Wolfianus* ille, quicquid ad suam causam perorandam adduxerit, & ex meris consequentiis hæc consectaria confuta esse affirmaverit, cedere tamen & collega amplius in eadem Academia, si principia cl. viri valent, manere non poterit.

Pone *Voëtianum* & *Coccejanum* in una sede morari, *Voëtianum* vero clamare, per *coccejanam theologiam* omnia incerta reddi ob canonem: *verba Scripturæ significant quicquid significare possunt*; Scripturam secundum horum hominum sententiam cereo naso similem esse, quæ quaslibet admittat figuras; novorum typorum figmenta, & prophetiarum ad novissima tempora factam applicationem, religionem omnem risui profanorum exponere &c. tum necessario, si argumentandi ratio eorum, quibuscum nobis jam res est, valet, *Coccejanus* ille, neque amplius *frater* neque *collega* manere potest, nisi aliunde forte quis illi auxilium adferat. At experientia constat, v. gr. in Academia *Lugduno-Batava Voëtianum* unum, alterum *Coccejanum*, publice tradere theologiam. De consequentiarum valore plura monuit celeb. *Werenfelsius*, in *dissertatione de ratione uniendi Ecclesias protestantes*, quæ extat Opp. Tomo I. p. 431. novæ editionis.

At provocat cl. *Moshemius* ad *Synodum Dordracenam*, contendens, decreta Lutheranorum in illa Synodo esse damnata, atque canones hujus Synodi Reformatis esse *sacrosanctos*. Pone jam quidem, Patres Synodi hujus sententiam fratrum Lutheranorum damnasse; an hoc non sufficit, quod præstantissimi Theologorum Reformatorum nostræ ætatis *facto ipso* huic proscriptioni repugnent? quod pacem identidem offerant? quod Lutheranos pro *fratribus*, & *veris Christi membris* habeant? an non hoc ipso testantur, Synodi illius auctoritatem nihil impedire, quo minus benigne de controversis articulis sentiant? certe non minor est numerus Reformatorum, qui de Synodo Dordracena non magis magnifice sentiunt, quam de aliis quibusvis Conciliis, in quibus ut plurimum semper qui numero erant plures atque potentiores vicerunt, quam eorum, qui hanc Synodum extollunt. Ipsemet cl. *Moshemius*, sect. ultima consultationis suæ, quorundam Reformatorum mentionem facit, qui optarent Synodi illius auctoritatem respectu rerum credendarum, arctioribus, quam quibusdam in locis fit, limitibus constringi. Et sunt inter ipsos Reformatos viri doctissimi, quibus multa in Synodo hac displicent. Inter illos est *reverendus* & *doctissimus Brukerus*, hodie

hodie Pastor Ecclesiæ Basileensis, in libro cui titulus: *Pensées sur la Réunion des Eglises Protestantes. On allégue* (inquit) *pour justifier la conduite de ce Synode trois choses: la necessité de tirer la Hollande d'une confusion qui menaçoit de troubles la Republique, mais on auroit pû pourvoir à sa tranquillité d'une autre maniére: le soupçon de Socinianisme qui tomboit sur les Arminiens, mais cela ne regarde pas les cinq articles: & la moderation témoignée, en ce qu'on n'excommunia pas ceux qui tiendroient les opinions condamnées, & qu'on leur defendit seulement les chaires, mais c'en étoit déja trop à mon avis. Réfuser la tolerance aux Remonstrants, après l'avoir si souvent demandée aux Luthériens, & sur des points controversés entre les Reformés & les Lutheriens, me semble une espéce de contradiction. Le temperament d'admettre les Arminiens à la communion est louable, mais il ne suffit pas; les Lutheriens admettent souvent à leur communion des gens, qu'ils savent être imbûs des principes des Reformés. Si quelqu'un dit, que la sentence portée par les Peres de Dordrecht ne touche pas les Lutheriens, qui n'étoient pas de leur corps, je lui réponds, que les auteurs de la formule de Concorde ont semblablement déclaré, qu'ils n'avoient pas prétendu de condamner les Eglises étrangéres, mais de mettre seulement un ordre parmi leurs propres Theologiens; excuse dont les Reformés n'ont pas voulu se payer. Mais quoique cette assemblée ait eû l'air d'un Concile général des Reformés, les suites ont fait voir, que son autorité n'étoit pas regardée parmi eux comme infaillible, & qu'on ne vouloit pas obliger le monde à ne s'éloigner jamais de ses décisions. L'opinion de la grace universelle a été remise sur le tapis par Amiraud & par plusieurs autres; on les a tolerés & on les tolere encore en si grand nombre, qu'on peut dire, que leur sentiment est non seulement libre dans les Eglises Reformées, mais qu'il y est assez ordinaire, & que la tolerance, qu'on a refusée du tems du Synode à cause de l'ardeur des partis, est passablement rétablie depuis qu'on s'est un peu ralenti.* Ita *reverendus Brukerus*, de cujus libro quid senserit ὁ μακαρίτης *cl. vir* Th. *Hasæus*, patet ex *Biblioth. Bremensi Class. VII.* pag. 378. verba ita sonant: *Hic liber bonæ frugis est plenissimus, auctorisque sui limatum judicium, & in historia ecclesiastica peritiam haud vulgarem satis prodit: Neque me memini legisse, qui illo meliora media, quibus grande illud, at vix nostris, ut nunc hominum mores sunt, temporibus sperandum concordiæ Ecclesiarum Protestantium opus promoveri posset, posuerit.*

Ipsemet *illustris Burnetus*, vir in controversiis illis, quæ in *Synodo Dordracena* agitabantur, versatissimus, improbabat magistrales illas Patrum Dordracenorum decisiones. Testimonium ipsius adducit auctor libelli cui titulus: *Entretiens sur diverses matiéres de Théologie, Amstelodami 1685. editi.* Auctores esse dicuntur Charles *le Cene* & Joh. *Clericus*. *Collocutores* in prima parte libelli sunt *Agapé* & *Philaléthe*. Prior ita loquitur pag. 7. *Je vous avoüe que jusqu'ici j'ai crû qu'un Ministre s'éloignoit des vrais principes & de l'esprit de la Reformation, quand il s'éloignoit des definitions du Synode de Dordrecht.*

Philalethe. Je vous plains Monsieur, de ce que vous faites ainsi dépendre l'amour de la Réformation de l'attachement au Synode de Dordrecht. Mais, Monsieur, est-il possible, que vous ne fassiez aucune réflexion sur la maniére, dont tout le parti des Lutheriens a traité ce fameux Synode? Allez pourtant leur dire qu'ils ont quitté l'esprit de la Reformation, vous y serez le bien-venu! dans la vérité, Monsieur, il n'a servi qu'à affermir le schisme, qui est entre les Protestans, & il ne servira, tandis qu'on en reconnoitra l'authorité, qu'à faire saigner une playe, dont tout ce qu'il y a des gens de bien voudroient procurer la guérison aux dépens de leur propre vie. Quelqu'estime, que vous en fassiez ici, êtes vous si loin d'Angleterre, que vous ne sachiez pas comment une de plus considérables parties du monde en juge? Ils ne sont pas Lutheriens, comme vous le savez, & cependant ils conviennent à cet égard avec les Lutheriens. Voici ce qu'un des plus célébres Theologiens de ce Pays-là en dit: c'est l'illustre Docteur Burnet, dans sa réponse à une des méthodes du Clergé de France: Il avance hardiment, que quand ce Synode a prononcé positivement sur des points mystérieux, comme le sont l'ordre des Decrets & la maniére de l'opération de la grace, & quand il a imposé à tous les Ministres la nécessité de se soumettre à ses décisions, il a fait une démarche que beaucoup des plus zelez Protestans ont toûjours desapprouvée & condamnée, croyans que cette maniere positive donne atteinte à l'unité des Protestans, & tient trop de la puissance, que nous reprochons à l'Eglise Romaine. *Voilà l'estime, que l'on fait en Angleterre de vôtre Synode de Dordrecht! Pour moi, je vous le dis nettement, l'acquiescement aveugle n'est point du tout de mon charactére. J'ai du respect pour les assemblées synodales; mais je n'y reconnois aucune infaillibilité. Quand il vous plaira de lire les mémoires de Mon-*

sieur

sieur du Maurier, qui traite le fin de cette assemblée, dont les Ministres & le peuple ne connûrent guéres le fonds ni le dessein, je m'assûre que vous ne réconnoitrez pas plus d'infaillibilité à Dordrecht sur ces matiéres, que nous en réconnoissons à Trente après avoir lû Fra Paolo. Or posez une fois qu'il n'y ait point d'assemblée synodale infaillible, concevez vous un grand crime à rejetter les décisions, dont on croit voir la fausseté? Hactenus ille.

Et profecto sapienter principiisque suis convenienter agerent Protestantes, si præter S. Litteras normam credendorum admitterent nullam; at sunt semper tales, qui utilitate cuncta metiuntur, neque ab iis, quæ a parentibus & Majoribus acceperunt, vel hilum recedunt. Sed mitto hæc. Sufficere debet fratribus Lutheranis, quod Reformati publice fateantur, Lutheranorum sententias in Synodo *Dordracena* non fuisse damnatas, aut si per latus id factum sit, se hoc factum nolle; quod nulla habita Synodi hujus ratione pacem offerant, ipsos pro fratribus habeant, atque *arctius amicitiæ vinculum* exoptent.

Neque tandem illius Synodi *ambigua* decreta de prædestinatione, quod urget cl. *Moshemius*, pacem illam morari debent; novit doctissimus vir, multos Reformatorum, *Anglorum* inprimis, dudum durioribus sententiis nuncium misisse. Anglos hodie fere omnes a decretis Synodi Dordracenæ abhorrere in vulgus notum est. *Celeb. G. Bullus* in apologia pro Harmonia pag. 5. ita loquitur: *Canones Synodi Dordracenæ nunquam in Anglia, publica aliqua Ecclesiæ voce, probatos ac receptos fuisse, neque unquam recipi debere, dudum ante nos palam & libere monuerunt præstantissimi quidam Ecclesiæ nostræ Præsules, quippe quorum nonnulli claris tum nostræ, tum aliarum Ecclesiarum Reformatarum nobiliorum definitionibus plane repugnent; unde & antequam nati essent in Synodo illa, damnati & rejecti fuere, sub nomine articulorum Lambethanorum.* Videatur etiam Anglicani Episcopi Guil. *Nicholsii defensio Ecclesiæ Anglicanæ*, part. I. cap. V. p. 161. seq. ut & Sev. *Lintrupii* dissert. de *contemtu Concilii Dordraceni in Anglia.* Illi vero, qui in sua perstant opinione, vel Supra- vel Infralapsarii sunt, vel *Salmuriensium* inhærent systemati. Horum omnium sententias pulchre callet cl. *Moshemius.* At hi omnes pacem offerunt, atque concordiam illam omnibus votis atque desideriis exoptant; quid ergo tandem juvat

nostra

noſtra ætate ad *ambiguitatem* decretorum Synodi Dordracenæ provocare? O quam bene ageretur cum Eccleſia Proteſtantium, ſi utriuſque partis Doctores crederent, ſeſe Sacramentum dixiſſe *ſoli Chriſto*, infallibili Doctori, non *Calvino*, neque *Luthero!* Utinam meminiſſent ſe Proteſtantes eſſe, id eſt tales, qui *Papæ* jugum excuſſiſſent; qui in religionis negotio nullius, præter Dei tenerentur imperio atque auctoritate; qui omnia ſua decreta ad *revelationis & rectæ rationis normam*, non *Synodorum* atque *formularum quarumcunque cynoſuram* exigerent, & unicum *Doctorem Chriſtum*, de quo elegantiſſimam orationem ipſe *celeb. Moshemius* ſcripſit, *audirent!* At eheu paſſim immemores ſunt ſuorum principiorum, neque ſua norunt bona multi Theologorum. At pone tandem cl. *Moshemium*, alioſque Doctores publicos, pacis illius conditiones aſpernaturos eſſe, num ideo ſpes illius obtinendæ plane eſt abjicienda, atque ſalutare negotium negligendum? non putaverim.

At pergo, videns alia tela, quæ in me vibratura ſunt candida illa pectora: nimirum argumentabuntur a *periculoſo*, contendentes, conceſſa illa libertate alterutram ſententiarum in una eademque Academia docendi, lites inter docentes & diſcentes exorituras; plebem in diverſa tractum iri ſtudia, alios Reformatis, alios Lutheranis Doctoribus adhæſuros: neque plebem, neque viros controverſiarum gnaros perpeſſuros, ut in uno eodemque cœtu ſacro diverſæ propoſitiones publice doceantur. Hunc diſſenſum & amaros ejus fructus tanta verborum pompa enarrabunt, ut jurares, eos per aliquot annos *eloquentiæ ſtudio* haud perfunctorie operam dediſſe.

Hæc ſola eſt, *amicorum optime*, mea opinione alicujus momenti difficultas. Hujus, ſi non *rethoricationibus*, ſed perſpicuis argumentis demonſtravero vanitatem, nihil intercedere debere puto, quo minus viri cordati atque pacifici agnoſcant, nihil eſſe pacis hujus ineundæ ratione a me commendata magis *neceſſarium*, *utile* atque *ſalutare*. Age ergo paulo prolixius oſtendamus, inane eſſe & fictum hoc *periculum*.

Primo ergo reſpondeo. Aut Theologi illi, qui in una eademque Academia publice docent, atque in quibuſdam articulis diſſentiunt, ſunt viri *prudentes*, *modeſti*, *pacifici*, *controverſiarum momenti probe gnari*; aut *ſuperbi*, *diſputaces*, atque *impotenti zelo abrepti*. Si *poſterius* eſt, concedo, lites atque contentiones orituras. At eædem

dem essent orituræ, si vel maxime uni sectæ nomen dedissent, ubi *Calovii* & *Maresii*, id est homines impotenti zelo abrepti, publice docent, atque leviſſimos errores in majus extollunt, nullus esse poterit consensus, amicitia nulla, pax denique nulla. Hinc videmus plerisque in locis, ubi talia ingenia publicis sunt admota muneribus, lites atque contentiones gliscere. Unde simul patet, *ignorantiam*, *superbiam* & *disputandi fervorem*; non vero aliquem circa opiniones *dissensum*, *litium* atque *turbarum* causam esse, atque hoc malum, ubi maximus est in *minimis* etiam *opinionibus* consensus, tamen serpere. Exemplo esse possunt lites inter *Coccejanos* & *Voëtianos*, magno animorum æstu olim agitatæ. Quod si vero Theologi illi pacifici, *sapientes* atque *modesti* sunt, nullus erit contentionibus locus; loquentur, scribent, disputabunt, ut *fratres* decet. Atqui demonstrarunt viri doctiſſimi, articulos, de quibus dissentiunt Protestantes, ita esse comparatos, ut se mutuo tanquam fratres in necessariis conspirantes ferre & *possint* & *debeant*. Nihil ergo ad pacem illam colendam requiritur, quam animus a *superbia*, *invidia*, & *disputandi prurigine* alienus; fieri autem *sine miraculo* posse credo, ut tales Theologi amice mutuo vivant; fac v. gr. *Pfaffium* & *Turretinum* collegas esse, vel *Tubingæ*, vel *Genevæ*; persuasiſſimus sum, eos conjunctiſſime invicem vitam transacturos, atque mutuum dissensum æquo animo laturos. *Ratio in promtu est*: Viri sunt *sapientes*, *pacifici*, & *momenti controversiarum gnariſſimi*. Ut autem hoc amplius pateat, confer *secundo loco*, aliarum disciplinarum Professores. In una eademque Academia sunt duo Professores Philosophiæ, quorum unus *Eclecticam* Philosophiam, alter *Wolfianam* docet; quilibet opiniones suas defendit atque tuetur, salva amicitia & concordia; studioſi in diversas, ut fieri solet, eunt partes, atque aliquando mero irrigati a verbis ad verbera prorumpunt. Num igitur doctiſſimi Professores litium illarum causa sunt? num publico decreto una saltem philosophandi ratio stabilienda, quod in gratiam *Aristotelis* aliquando factum esse novimus? At unde tandem auctoritas illa? quis infallibilis judex in controversiis Philosophiam spectantibus? quem fructum tandem ferent ii, qui incredibili diligentia his litteris vacant? *deerunt*, *qui suadebunt*, *si suasisse periculum sit*, inquit *Darius* apud *Curtium*. Deerunt sane, qui incredibili labore atque industria studia excolent, si nullum est culturæ rationis

pretium. Quod si autem nihil impedit, quo minus duo Professores Philosophiæ, salva amicitia, in una eademque Academia publice docere possint, licet studiosi in diversa abeant, & aliquando turbas excitent; causa non est, cur idem de Theologis dici non possit. At ne putes hoc fieri non posse Theologorum respectu, ad exempla provoco. Secundum meam sententiam non majus est discrimen inter Reformatos & Lutheranos, quam inter *Coccejanos* & *Voëtianos* in Belgio. Experientia testatur, eos promiscue muneribus fuisse admotos, & adhuc admoveri.

Verum est, initio ingentes lites ob dissensum illum sunt excitatæ: at hujus rei causa non erat *controversiarum gravitas* atque *momentum*; sed superbia, præjudicatæ opiniones, studium novitatis vel antiquitatis, animusque in disputando vehemens. Postquam fervor ille sedatus est, non obstante illo dissensu, pacate atque amice invicem vixerunt & adhuc vivunt. Unde patet, *Reformatos & Lutheranos Theologos*, si *pacifici* atque *prudentes* sint, facile in una eademque Academia pacem colere posse. Quod si animo hoc vere christiano sint destituti, quo magis sunt Ὀρθόδοξοι, atque singulis suorum Doctorum apicibus inhærentes, eo alieniores erunt a pacis atque amicitiæ studio. Facile etiam ostendi potest, (quod 3°. noto) qua ratione tales Theologi impedire possint, quo minus discipuli ipsi in lites & contentiones mutuas incidant atque bella gerant, nullos triumphos habitura. Nimirum Theologi prudentes, pacifici & controversiarum gnari (a) sollicite curabunt, ut *pietatis studium*, *candorem*, *proximi amorem*, *modestiam*, animis studiosorum instillent; contra ea superbiam, fastum, disputandi pruriginem ex animis eorum evellant, eosque doceant, non illum esse optimum Theologum, qui *plurimum disputet*, *sed qui recte vivat*, *aliosque recte vivere doceat*. Si studiosi Theologiæ sunt sibi *suffeni* & *superbi*, rixandi materiem ubique reperient, cum nullibi Doctores publici in omnibus consentiant. (b) Theologi nostri prudentes atque pacifici perspicue docebunt, quæ sit *natura ingenii humani atque conscientiæ*. Mera est, ut notum est, ingeniorum diversitas, quæ temperamento, lectione librorum, aliisque causis varias induit formas. Non in potestate insuper hominis positum est, credere quodcunque velis. Hæc si frequenter ingeminentur, dubium non est, quin animos studiosorum ad moderati animi studium sint inducturi. Iidem docebunt, omnes con-

controversias ad *æquitatis* leges esse expendendas; universi systema, tis *nexum* esse perpendendum; inquirendum in causas opinionum; violentas consequentiarum imputationes esse viro gravi vitandas: commendabunt denique Theologi nostri pacifici studiosis illorum scriptorum libros, qui singulari prudentia atque æquitate controversias tractarunt. (c) Doctrinam de articulis fundamentalibus, antequam ad alias controversias dimittant studiosos, perspicue explicabunt animisque infigent, eumque in finem iis legendum communicabunt cl. *Turretini* de articulis fundamentalibus & non fundamentalibus dissertationem, ut de aliorum eruditorum scriptis nihil dicam. His aliisque præceptis (neque enim omnia, quæ Doctori publico hîc notanda esse putamus, adducimus,) postquam imbuti sunt Theologiæ studiosi, Professores ad singulare examen controversiarum, quæ mutuo intercedunt, accedent. In genere ostendent, quantis difficultatibus materia de decretis Dei, sive rationem, sive revelationem in auxilium vocemus, obsepta sit; quod nunquam ecclesiæ christianæ Doctores per omnia circa hæc capita consenserint; quod in utroque systemate occurrant difficultates nullo ingenio solvendæ; quod in iis, quæ creditu necessaria sunt, conveniant; controversia denique ipsa ita erit tractanda, quemadmodum id ab *illustri Burneto* ad expositionem articuli XVII. Ecclesiæ Anglicanæ factum fuit. Quod si hæc alte in animum demittant optimarum litterarum studiosi, dubium non est, quin modeste de fratribus dissentientibus judicaturi sint. Fac igitur *potentissimum Britanniæ Regem*, in nova, quam *Göttingæ* (*) condidit, Academia, duos ejusmodi vel tres Theologiæ Professores constituisse, qui eam, quam dixi, docendi viam ingrediantur; dubium non est, quin hac prudenti circumspectaque docendi ratione in omnium sanæ mentis & generosæ indolis studiosorum animis, *æquitatis*, *prudentiæ* atque *tolerantiæ studium excitaturi* sint. Verum est, si duo Professores Theologiæ constituantur, quorum quisque suam sententiam non solum *acriter* defendit, sed & errores in *majus extollit*, *disputandi pruriginem pro zelo pro gloria Dei habet*; rationes adversariorum gravissimas silentio involvit; verbo, si omnibus illis argumentis ab

(*) Lector meminerit, quod diximus, nimirum ante plures annos scriptam hanc epistolam.

invidia petitis, quæ a J. *Clerico* collecta sunt, utitur, lites atque contentiones orituras esse. At num æquitas, religio, Christi & Apostolorum exemplum, aut ratio tandem suadent, ut ita agant Theologi, qui Christo nomen dederunt? An non contentiosi ejusmodi homines, licet ὀρθοδοξοτατοι, *indigni* sunt *Theologorum nomine?* an non iidem, si vel maxime in omnibus articulis religionis systematicæ consentiant, habebunt de quibus & cum quibus certent? Sane experientia testatur, fratrum etiam hoc sensu gratiam raram esse. Ex quibus patet, lites omnes atque contentiones, quantum natura rei patitur, evitari posse, si æquitatis, veritatis atque pacis habeatur ratio, atque adeo sententiam nostram nulli periculo expositam esse.

At *regerunt;* plebem in diversa studia tractum iri, si audiant Oratores sacros in explicandis quibusdam articulis Religionis dissentire; futurum ita, ut nesciat, cui sectæ tandem nomen dare debeat.

Sed & hoc periculum evitari posse puto a circumspectis, eruditis atque pacificis Oratoribus. *Primo* enim Oratori sacro probe est cognoscendum, quem in finem cathedram conscendat, & quid e re auditorum suorum sit proposuisse. Probe autem talis novit, non eum in finem habendas esse orationes sacras, ut dissensiones mutuas excitet atque alat; ut de rebus sublimibus & vulgi captum superantibus verba faciat; & ut ostendat quantum profecerit in studio controversiarum; sed ut salutarem Christi doctrinam gravissimis argumentis auditoribus suis probet atque commendet; ut ad veræ pietatis studium eos hortetur; ut errores data occasione impugnet, sed exitiales atque graves. Ita poterit *Atheismi*, *Deismi*, *Indifferentismi*, *Machiavellismi* fundamenta impugnare, atque penitus subvertere. Maxime autem pugnabit contra *vitia* passim inter Christianos grassantia, puto voluptatem, ambitionem, habendi studium, precum atque sacrarum meditationum neglectum, invidiam &c. Certe res eo inter Christianos est redacta, ut iis frequenter *Religionis* & *Ethicæ christianæ* fundamenta sint inculcanda & probanda. Hic, hic habet Orator sacer amplissimam materiem *zelum suum* pro gloria Dei demonstrandi; hîc omni argumentorum pondere semina improbitatis ex animis hominum evellere poterit; hîc poterit omnes consequentiarum apices urgere atque ostendere, longe plura ad obtinendum

tinendum Numinis favorem postulari, quam vulgo creditur. Legat Orator noster præstantissimorum virorum, *Tillotsonii*, *Stillingfleeti*, *Saurini*, *Infantii*, *Werenfelsii*, *Osterwaldii*, *Moshemii*, *Sackii*, aliorumque meditationes sacras, quid doctissimorum horum virorum judicio, in orationibus sacris ad populum habendis, quammaxime urgendum sit. Si ita animatus est Orator sacer, turbæ inter plebem non orientur. Quod si vero *tribunitiis* suis *concionibus* omnia perturbat, videat, utrum inter Christi Legatos referendus sit, nec ne. Pone autem necessario aliquando, de hoc vel illo inter fratres controverso articulo esse loquendum, ne sic quidem turbæ timendæ sunt, si modo Orator sit vir bonus, pacificus, atque controversiarum probe gnarus: poterit enim verba alicujus loci Scripturæ explicare, probare, atque tribus verbis, si necesse esse putat, dissentientium rationes sine bile expendere. At regerent quidam Oratores; veritas tamen dicenda est; dicendum quæ mala errores post se trahant, ut *plebs* sibi ab iis cavere possit. Imo vero dicenda est veritas, sed non omnis. Innumeræ sunt controversiæ, in civitate christiana inde ab excessu Apostolorum agitatæ, quarum ne nomina quidem nonsolum ignorat plebs, sed & multi virorum aliâs doctissimorum: stultum autem esset, coram plebe mentionem facere *hæreticorum & errorum*, quorum ne *nomina* quidem fando unquam audivit, atque adeo etiam nullum periculum est, ne forte in eos incidat. Veritas dicenda est, sed non ineptis rethoricationibus pervertenda; non invidia plenis utendum consectariis, sed placide modesteque proferenda. Sed ut dicam quod res, vulgus capiendarum controversiarum, quæ de *decretis Dei &c.* agitantur, capax non est. Si enim accurate de his differere velis, termini scholæ sunt cognoscendi; requiritur Philosophiæ non mediocris cognitio, atque linguarum & artis criticæ peritia. At quis postulabit a *vulgo*, ut hæc cognoscat? quis Orator tandem perspicacissimus & ingeniosissimus, hic sibi, nedum populo satisfaciet? & quo cum fructu tandem de difficilibus illis argumentis differet? Plebi satis est, si vera religionis fundamenta intelligat atque ea sciat, quæ ad bene beateque vivendum postulantur. Talia autem non sunt, controversi de *prædestinatione* & *gratia* articuli. Quod ad viros eruditos, inprimis prudentiæ civilis studiosos, qui conventibus sacris interesse solent, attinet; illi certe non turbabuntur, si audiant hunc

vel illum locum Scripturæ, mox in *Lutheri*, mox in *Calvini* sententiam pertrahi; norunt enim id, postquam rerum credendarum systemata a Theologis condita sunt, aliter fieri non posse. Imo dudum est, ex quo tales optant, ut Oratores sacri nonnisi *gravia*, *momentosa*, atque ad *nucleum religionis christianæ facientia* explicarent; ut suas, quas in medium proferunt sententias, majori judicii acumine, perspicuitate atque argumentorum pondere probarent; ut *domi relinquerent*, quæ *scholæ*, non *vitæ* addiscuntur. Imo tantum abest, ut *viri sapientes* ejusmodi controversias, de quibus agitur, lubenti animo accipiant, ut potius indignentur, si quando *scholasticas* ejusmodi *tricas*, millies *excussas*, *publice proferri audiant*; credunt, si melioribus instructi essent Oratores meditationibus, a talibus abstenturos esse.

Exempla denique clarissima extant, quæ probant, libertatem cogitata de ejusmodi argumentis dicendi, neque inter cives academicos, neque inter plebem turbas excitare. Omnium loco sit *Ecclesia Anglicana*, inter principes cœtuum christianorum purioribus sacris addictorum merito referenda. Hanc veri nominis Ecclesiam esse, quis tam impudens est, ut negare ausit. At illustris hic Christianorum cœtus cuivis libertatem concedit, de controversis illis articulis judicandi. Licet Theologis vel *Universalistarum*, uti vocantur, vel *Particularistarum* partes sumere, quanquam horum exiguus in Anglia numerus sit. Imo ab eo tempore, quo hæc libertas viget, longe florentior splendidissimi hujus cœtus status fuit quam antea. Ita postquam impotens zelus & fervor circa opiniones *Cartesii*, *Lockii*, *Wolfii*, *Cocceji*, *Roellii*, defferbuit, mutuam tolerantiam colunt fratres, neque levis circa has opiniones dissensus turbas excitat.

Mirum est autem quosdam rigidos ὀρθοδόξιας, uti vocatur, satellites, tam acutos cernere in expiscandis innumeris incommodis & litibus, quæ ex arcta illa, quam commendavi, pacis constitutione orituræ essent; atque interea plane dememinisse eorum malorum, quæ hactenus ex *mutuo* illo *dissensu* enata sunt; quasi vero id pro maximo malo haberi non debeat, quod plerique fratrum *æternas inimicitias* alant contra eos, qui Christum solum cum iis audire, atque in eo solo salutis suæ spem repositam esse credunt. Nimirum hi homines, ut olim *Pharisæi*, attentissimi sunt ad minutissimas

quas-

quasque quæstiones, gravissima autem religionis capita pedibus conculcare religioni non ducunt. Graviter hæc mala urget insignis *Werenfelsius* l. cit. pag. 460. seq. audiant eum quotquot pacis sacræ hostes sunt. *Prémiérement*, (inquit) *si l'on fait attention aux grands maux, que ce funeste schisme des Protestans a causé, & cause tous les jours dans l'Eglise, & à ceux qu'il y causera encore à l'avenir, à moins qu'on n'y remédie, il faut avoüer, que tous les inconveniens, que l'on peut concevoir dans cette affaire, ne doivent être contés pour rien. Il y a de quoi faire frémir, quand on y fait de serieuses réflexions; le diable pouvoit il faire plus du mal à l'Eglise, qu'en arrêtant, comme il a fait par cette malheureuse division des Protestans, le cours de la vérité, en affermissant le Papisme chancelant, en soumettant plusieurs Eglises considerables à son joug, & en exposant encore tant d'autres au même danger? Et ce qui doit être deploré avec des larmes de sang, quel plus grand mal pouvoit-il arriver dans l'Eglise, que de voir tant de milliers de Chrêtiens, qui depuis cette séparation, sont il y a déja si long-tems, de ce qui est essentiel dans la Religion un accessoire, & de ce qui n'est qu'un accessoire l'essentiel, qui ne s'occupent que de leurs contestations scandaleuses, & qui cependant négligent entiérement non seulement la charité chrêtienne, mais tous les autres articles & tous les devoirs de la Religion? pour ne pas alléguer ici tant de passions criminelles, qui sont l'effet de ce malheureux schisme, & qui ont causé tant de désordres. Je demande, si tout ce que l'on peut opposer à la Réunion des Protestans, merite d'être comparé le moins du monde, à ce que je viens de dire.* Hactenus præstantissimus ille Theologus. Hæc cum verissima sint, respectu habito ad *unionem*, quam cl. vir cum aliis commendavit, fortius tamen stringent, si ea considerentur, quæ de pacis illius *natura* diximus.

Ex hactenus dictis manifestum est, posse omnes turbas atque certamina, concessa etiam pace & libertate, quam hactenus commendavi, facile evitari, si modo *rationi* & *æquitati* locus sit relictus. Recte, ais, hactenus ratiocinatus es, neque turbas excitatum iri credo, si tales sint Theologi, quales tu eos depinxisti. At ubinam tandem gentium homines illi sunt? Certe talis rara avis in terris, nigroque simillimo cygno. At plures sunt in utroque cœtu, quam tu existimas. Causa autem cur publice non compareant, hæc est,

quod

quod vident factionibus ubique omnia plena esse; quod putant frustra esse conatus hominum pacificorum post tot edita scripta; quod pulchre eheu cernant eos, qui de pace illa constituenda laborant, ut plurimum odio haberi, iisque teterrima *Indifferentistarum* nomina imponi. Si libere utriusque partis Theologi suam possent explicare sententiam, mox scenam videremus mutatam, atque deliciis divinæ hujus pacis frueremur. Interim concedo, si Theologi in una eademque Academia viventes, *uni* eidemque *sententiæ* aut *diversæ* addicti, sint *rixosi* atque *disputaces*, ne ipsam quidem Salutem, si vellet, has *Academias*, *Ecclesias* & *Gymnasia* servare posse, neque impedire, quominus infaustissimæ lites atque malignæ suspiciones locum habeant.

Sect. XIV. *Consultationis* de *Synodo Dordracena*, taxat celeb. auctor *Helvetios*, quod ab una parte videri velint pacis sacræ appetentissimi; ab altera vero *formulam consensus* acriter urgeant, imo Ministros V. D. illi subscribere refragantes & publicis muneribus exuant & excludant. Eandem objectionem in medium produxit celeb. *Pfaffius* in *historia Formulæ Consensus*. Ego vero lubens fateor, rectius facturos fuisse Theologos Helvetos, si hanc formulam non introduxissent, cum quia nullum usum habere potuit, quandoquidem illi inter Helvetos, qui gratiæ universalis dogmati addicti sunt, vel *Arminianorum* aut *Lutheranorum*, non vero *Amyraldistarum* systemata probant; tum quia hæc subscriptio multos procreavit hypocritas, & innumerarum litium & contentionum fœcunda mater extitit. Interim sciendum est, exceptis *Bernatibus*, neminem inter Helvetos hodie ad subscribendum huic formulæ cogi; *Tigurini*, *Basileenses*, *Genevenses*, *Schaffusiani* & *Glaronenses*, cuilibet permittunt libertatem, de hac formula judicandi pro lubitu.

Neque ego crediderim, *Principes Reipublicæ Bernensis* hodie Ministrum V. D. *pium*, *eruditum*, & *officio suo in cæteris rite defungentem*, de gradu suo dejecturos propterea, quod decretorum in hac formula contentorum nullam habeat rationem. Tempora, Deo sit laus! mutata. Quemadmodum vero progressui pacificationis nihil derogat, quod multis in locis Lutherani fratres, nonsolum *Confessioni Augustanæ*, sed & *formulæ concordiæ* subscribant; ita etiam Lutheranos fratres impedire non debet, quominus pacem sacram cum Reformatis ineant & colant, licet in uno aliquo Helvetiæ loco formula consensus retineatur. Interim optandum esset, ut

Prote-

Protestantes omnes memores essent suorum principiorum, *librosque symbolicos* omnes non pro *norma credendorum* haberent, sed pro *declarationibus publicis*, quod nimirum *fundamentalia religionis capita* retineant, & alieni plane sint ab erroribus a *Pontificiis* & aliis ipsis temere impactis. Sed cum alibi data opera de *usu* & *abusu* omnis generis *formularum fidei* egerim, verbum de hoc argumento non addam.

Possem huic epistolæ finem imponere, quandoquidem præcipua, quæ ad hanc pacem sacram commendandam facere possunt, adduxi. Ne tamen officio meo defuisse videar, media quædam, quæ ad sanctissimum institutum promovendum facere possunt, suppeditabo. Mittam autem omnia illa, quæ a doctissimis viris, *Pfaffio*, inprimis *Turretino* & *Werenfelsio*, ad animos conciliandos monita sunt; inhæsurus duntaxat iis, quæ ad concordiæ a me commendatæ naturam spectant. Et *primum* quidem idque efficacissimum salutarem hanc pacem comparandi medium esset, si *Reges*, *Principes*, vel *illi*, penes quos est Theologiæ Professores constituendi potestas, nonnisi viros pacificos, modestos verique amantes, his muneribus admoverent, neque ullam rationem haberent, utrum per omnia eas sequerentur opiniones, quæ in his vel illis academiis doceri publice solent. Loquor autem (ne quis calumniandi ansam arripiat) de articulis, in quibus *Protestantes* hactenus dissenserunt. Ubi tales Theologi publice docent, vera eruditio, pax, mutuusque civium amor viget. Ubi desunt, rixis atque contentionibus omnia plena sunt. *Minor eruditio*, cum modestia & moderati animi studio conjuncta, plus utilitatis adfert *academiis* & *scholis*, quam *vastissima scientia* cum *superbia* & *rixandi cupiditate* conjuncta. Hinc videmus iis in locis, ubi hæc libertas floret, scientias etiam florere, ubi vero *minimus error* pro *hæresi* habetur, neque Theologiam neque Philosophiam caput tollere posse. Ingenia optima metu emergendi, aut corrumpuntur, aut posito eo, altissime de hisce rebus silent. Facile hoc Principes, qualis *Rex Angliæ* & *Borussiæ* nostræ &c. in academiis, quas in Germania nostra condiderunt, efficere possent. Persuasissimus sum, lites illas iri compositum, atque sensim sensimque fratres ita in mutuæ amicitiæ fœdera conspiraturos, ut *infaustissima* illa *Lutheranorum* & *Calvinistarum nomina* ne quidem amplius audirentur. Utinam ii, qui Regibus sunt a consiliis, viri

sapientia & prudentia eminentes, vel Theologi hoc institutum Principibus commendarent! at mavis fortasse de hac re loquentem audire *doctissimum Parrhasianorum auctorem*, quem uterque nostrum magni facit. Hic autem tom. 2. p. 251. seq. ita de hoc argumento loquitur: *Si dans toutes les Academies, où l'on va étudier la Theologie, on avoit soin de mettre des Professeurs modestes & pacifiques, on pourroit voir dans peu d'années toutes aigreurs cesser, & la charité & la paix prendre par tout la place de l'esprit de division & de discorde. Ce seroit là un conseil à donner à un grand Prince, dont les Etats sont partagés en deux partis, qui se querellent depuis leur établissement, sans que rien puisse appaiser l'aigreur réciproque, qui est entre eux. S'il n'appelloit dans ses Academies que des Professeurs moderez & propres à accommoder par la douceur les partis irritez, on en verroit bientôt de fruits, ou par une reunion, si long tems desirée, ou au moins par une tolerance mutuelle, qui seroit un grand acheminement à une entiere paix. Sans faire aucune violence à personne, & sans employer l'authorité dans une occasion, où les seules raisons doivent avoir lieu, mais seulement en soutenant & en favorisant les Esprits pacifiques, on déracineroit dans peu d'années la plus grande partie des animositez. Mais pendant qu'on n'a aucun égard à cela, & que l'on choisit indifferemment de boutefeux & de gens d'une humeur plus douce, ou même que l'on préfére des Theologiens querelleux & opiniatres aux pacifiques, on ne verra jamais de paix entre ces deux partis.*

Secundo non parum ad hoc conferre posset, si frequentius, quam hactenus factum est, Theologiæ studiosi, nulla habita dissensus ratione, promiscue *Academias utriusque partis* adirent, atque familiariter Theologis istis uterentur; ita enim magis magisque mutuus amor conciliaretur, atque præjudicatæ opiniones sensim sensimque evellerentur. Contrarium cum passim fiat, non possunt non studiosi in ea, quam domi imbiberunt opinione, confirmari. Studiosus Theologiæ, *Reformatorum sententias amplexus*, vix unquam serio Lutheranorum libros excussit, sed Doctoribus suis credit. Iter literarium ingressurus necessario sibi adeundam putat academiam, ubi sunt Doctores reformati; ibi eandem cantilenam quam domi audivit, repeti animadvertit; sic domum redux non magis prudenter de fratrum opinionibus judicat, quam antea.

Idem

Idem facit ſtudioſus, *Lutheranorum decretis innutritus.* Uterque ſtudioſe cavet, ne ſimul cum veritate venenum bibat. At quis non videt, vanum hunc & ridiculum eſſe metum, cum nullus ſtudioſorum adeo turpi laboret ignorantia, ut antequam ad exteros proficiſcitur, neſciat, in quibus articulis diſſentiant utriuſque partis Theologi? Si veri amantes ſint, attendere ſedulo debent, ad argumenta, quæ docentes adferunt; ſi ea non intelligant, decipi non poterunt. Si intelligant, aut certiora videbuntur iis, quæ hactenus admiſerunt; aut rationum utrinque allatarum ἰσοσθένειαν deprehendent; aut denique ea prorſus infirma eſſe pulchre videbunt. Si *primum*, album debent veris adjicere calculum; ſi *ſecundum*, tantiſper animum a præcipiti judicio continebunt; ſi *tertium* denique, magis magisque in ea, quam imbiberant opinione, confirmabuntur. Et ſane oppido ridiculum eſt, academias, in quibus *eruditiſſimi viri*, a quibus inſignem utilitatem ſibi quiſque promittere poſſet, publice docent, propter *leves* quaſdam *opiniones*, in quibus a noſtris diſſentiunt, prorſus evitare, quaſi nempe omnis eruditio theologica cognitione paucorum quorundam articulorum abſolveretur. Sapientiores certe, ut multis aliis in rebus, ſic & hoc in caſu nobis fuerunt *Majores noſtri.* Proximis enim poſt Reformationem temporibus, promiſcue S. Lit. ſtudioſi mox *Reformatorum*, mox *Lutheranorum* ſcholas frequentabant, quod ex hiſtoria illorum temporum abunde liquet.

Denique *ultimum*, quod ad ſtabiliendam illam pacem non parum faceret, eſſet familiare aliquod Theologorum proteſtantium *literarum commercium.* Experientia teſtatur, eruditos diverſarum etiam ſectarum per literas liberius animi ſui decreta aperire, quam aliàs publice fieri ſolet. Receptæ opiniones, metus potentiorum, fratrum inſidiæ, ſæpe optimos viros impediunt, quo minus loquantur, ut ſentiunt. In literis ſolicitudinem illam deponunt, atque vera animi ſenſa candide aperiunt. Hac certe ratione etiam animi poſſent præparari ad ineundam pacem & concordiam, atque animorum fraternam conjunctionem. Etiam hoc præterito ſeculo frequentius factum eſt quam noſtro, hinc illud frigus & mutua diffidentia.

Sed hæc ſufficiunt. Video enim me longius progreſſum quam conſtitueram; veniam dabis prolixitati meæ, quæ ex ſingulari promovendæ pacis ſtudio enata eſt. Hoc certo ſcio, te *virum eruditum*

& *pacificum* opinioni meæ, quam non semel per literas tibi declaraveram, acceſſurum. Gratiſſimum feceris, ſi Theologis quos noſti, hanc epiſtolam communicabis, eorumque ſententias exquires. Rationes eorum attenta mente & ἀτερ παθων audiam atque modeſte expendam. Ita enim de ſententiæ, cui accedo, veritate perſuaſus ſum, ut credam, me omnibus veri cupidis ſatisfacturum: *rixoſorum* atque ab *omni plane concordiæ ſtudio abhorrentium Doctorum nullam rationem habendam eſſe puto. Deus mea omniumque, qui pacem amant, vota ſecundet.*

Vale.

MEDITATIO,

DE EO, QUOD NIMIUM EST

IN STUDIO LITERIS INCLARESCENDI. *

Ad Virum celeberrimum, DAVIDEM LAVATERUM.

Pars prior.

QUando animum meum, *Vir præstantissime*, gravioribus meditationibus fessum, reficere volo, in manus sumo eorum libellos, qui fata eruditionis & doctorum virorum describere solent. Præterquam enim quod hodie, ut sunt tempora, vix quisquam literis intentus, hoc studiorum genus negligere possit, sentio animum meum mira quadam dulcedine adfici, quoties tot hominum, ætate, ingenio & eruditione inter se discrepantium, varias de divinis pariter & humanis rebus sententias animo meo repræsento. Sunt autem potissimum duo, quæ ex lectione ejusmodi libellorum notavi, & in meos usus converti. Didici *primo*, miram esse mentium humanarum *diversitatem*, in ponderandis omnium rerum, disciplinarum, sententiarum, earum quin etiam, quæ ad religionem pertinent, principiis & fundamentis; quæ non solum ab institutione, educatione & meditatione, sed etiam a primigenia quadam mentis dispositione repetenda esse videtur. Quod hic albis dentibus ridet, ille venerabile & sanctum appellat. Hic demonstratam esse hanc vel illam adsertionem clamat, quam alter nulla verisimilitudinis specie niti perhibet. Hic veteres duntaxat admiratur, & in cœlum tollit laudibus; ille modernis, iisque solis totus addictus est. Hic orthodoxiam appellat, quod alter anilem quandam & temere arreptam opinionem vocat.

(*) Conferenda de hoc argumento opera du Pere BRUMOY Jesuite, cumprimis Tomus III. ubi de famæ immortalis desiderio agitur; item Tom. II. des œuvres de Madame DES HOULIERES; & Tomus II. Actorum Halensium.

Confirmatus sum denique in ea, cui dudum album adjeci calculum, sententia: cuilibet nimirum de divinis pariter & humanis rebus liberam concedendam esse judicandi facultatem. Nec possum diffiteri, me, quoties hæc eruditorum diaria evolvebam, miratum, qua ratione tandem fieri potuerit, ut homines non indocti gravissimum illud & momentosissimum dogma de libertate conscientiæ cuivis concedenda, (quod tamen evidentissimis principiis rationis, æquitate naturali, indole humani ingenii, origine Magistratus & religionis christianæ genio nititur,) capere tamen & tueri noluerint, cum attenta duntaxat *historiæ literariæ* lectio eos in hanc sententiam pertrahere posset. Quid enim facilius ex tot discrepantibus, & circa eandem materiam in diversa abeuntibus eruditorum virorum sententiis colligi potest, quam hoc nimirum: Non posse omnes idem cogitare & sentire: Nullum esse in his terris infallibilem judicem controversiarum: Neminem in alios jus habere: Conscientiam ex iis esse quæ cogi non possunt: Nec minus ridiculum esse amorem veritatis flagris instillare, quam urbem syllogismis expugnare velle? Quis non videt, tot animorum æstus, tot rixas, tot linguæ prælia, tot virorum optimorum oppressiones, tot violentas persecutiones, eorum perversæ deberi opinioni, qui stulte volunt, ut alii aliter cogitent & ratiocinentur, quam vero possunt? Quis non sentit, neglectum dogmatis, generi humano utilissimi, non fovisse tantum hactenus horrendum illud Inquisitionis minime sacræ tribunal, quod inter tetros dæmones potius & furias, quam inter homines locum habere deberet, sed etiam hoc ipsum in causa esse, quo minus era religio, mascula eruditio, candida simplicitas, inter florentissimas gentes caput tollat, & eruditio cum sapientia regnet. Hoc *primum* est, quod ex historiæ literariæ studio & cultura didici. *Alterum*, quod sciviſſe non minus utile, hoc est: nimirum *vanum esse*, *immodicum illud inclarescendi*, *famamque quovis modo extendendi*, *studium*, quod quosdam adeo dementavit seculo nostro, ut omnium risui sese exposuerint. Quisquis sine partium studio, quorundam scripta evolvit, & solidum ab inani discernere valet, facile deprehendet, eos omnem movere lapidem, non ut generi humano utilia in medium proferant, hominesque a pravis opinionibus & studiis abducant, sed ut *multa legisse* videantur, & aliquam eruditionis famam obtineant. Cum autem,

autem, *Tu vir amiciſſime*, ex eorum numero ſis, quibuſcum cogitata mea libere communicare ſoleo, haud ingratum Tibi fore exiſtimo, ſi quæ de *vanitate ſtudii inclareſcendi literis*, in chartam conjeci, tuo judicio, quod ſimplex ſemper & candidum eſſe ſolet, ſubmittam. Scio enim Te ea modeſtia, morumque elegantia eſſe præditum, ut nihil minus ferre poſſis, quam ridiculum faſtum hominum nullo vero eruditionis apparatu inſtructorum, vehementer tamen ſibimetipſis plaudentium, & in alios ruſticitate quadam turpi temere debachantium.

II. Ut autem in hac meditatione ordinem aliquem ſervem, (1.) oſtendam ſtudium inclareſcendi literis quodam reſpectu non ſolum eſſe licitum, ſed & laudabile: (2.) Quatenus idem vituperandum ſit monſtrabo, commemoratis ſimul vitiis, quæ ſtudium hoc comitari ſolent: (3.) Fontes hujus mali detegam: Cauſas adducam, quæ homines ſanæ mentis impedire deberent, quo minus præcipites in hoc vitium ruerent: & (5.) denique remedia quædam ſuppeditabo, quæ morbo huic, ſi non ſanando, minuendo tamen ex parte inſervire poſſunt.

III. Quod ad primum ſpectat, certum eſt, & extra dubitationis aleam poſitum, homines non ſibimetipſis duntaxat ſolis, ſed & aliis natos eſſe. Hinc optimum Numen homines iis inſtruxit animi & corporis dotibus, quæ ad aliis inſerviendum multum conferre poſſunt. (2.) Quilibet igitur, ut de ingenio ſolo jam agam, non tantum poteſt, ſatis expenſis mentis ſuæ viribus, aliorum felicitatem promovere; ſed & vi voluntatis divinæ, per rectæ ratiocinationis leges elicitæ, id, quantum in ſe eſt, præſtare tenetur. (3.) Homines, literarum cultura, ſuam potiſſimum felicitatem primo quærere tenentur, non tamen excluſa cura erga alios, quos, quantum in ſe eſt, & perſpicaciores & meliores reddere tenentur. (4.) Recte igitur facere cenſetur is, qui probe perſpectis egregiis animi ſui dotibus, & audito virorum eruditiſſimorum & candidorum de ſuis conatibus judicio, ſcriptis publicis aliorum commodis inſervit. Fieri quidem poteſt, ut argumentum, quod tractare volumus ipſi, ab aliis jam ſit probe excuſſum; ſed hoc impedire non debet, quo minus manus operi admoveamus: poſſunt enim illi, inter quos degimus, hoc ignorare. Imo auctores doctiſſimi neſciunt aliquando hoc vel illud thema ab aliis eſſe excuſſum. Et quis in tanta ſcriptorum

rum turba, & librorum copia, hoc cognoscere semper potest? Quod si tamen id probe nobis perspectum sit, possumus tamen, idque jure, existimare, lucem majorem argumento tractando adferri posse. (5.) Cum vero ante omnia nostram felicitatem promovere teneamur; hæc autem non tantum cultura disciplinarum sedula & emendatione mentis, sed & aliorum hominum auxilio obtineatur, manifestum est, posse legitime etiam gloriam hac ratione quæri; nihil enim est aliud gloria, quam constans virtutis & eruditionis solidæ fama, ab intelligentibus & incorruptis judicibus prodiens. Ad eam vero consequendam non sufficit tacita virtutis conscientia, sed necesse etiam est, ut doctis publice constet, quibus ingenii dotibus simus instructi. Hæc vero gloria egregiis scriptis, & applausu virorum vere doctorum parta, sua natura apta est, ad alios nobis conciliandos, & ad felicitatem nostram & aliorum promovendam. Quæri igitur legitime hæc gloria & potest & debet. Licet vero sæpe virtutis & eruditionis famam consequamur, promotione tamen & aliis commodis destituamur, non tamen propterea illud, quod laude dignum, omittendum est. (6.) Ad hanc autem quæstionem magis elucidandam necesse est, ut distinguamus inter *Incentivum*, quod nos ad scribendum impellit, & inter *laborem* ipsum. *Incentivum* ipsum potest in se spectatum *vanum* esse, dum nonnisi *laudem solam*, vel potius *voluptatem solam* ex aliorum laudibus ortam, captamus; institutum tamen ipsum laudabile esse potest, dum labor ipse pluribus prodesse potest. Ipse scriptor frustra sibi plaudere potest, at possunt ea, quæ elaboravit, egregia plane esse, & insignem aliis adferre utilitatem. Ita tenentur omnes, pro suis quisque facultatibus, eleemosynas in pauperes erogare, quia hoc plurimum prodest, licet forte multi id faciant, ut laudentur duntaxat. Probe hoc agnovit vir acuti ingenii, *I. Acontius*, in epistola ad *Wolfium Tigurinum*, de *felici & infelici librorum partu*, data. *Illud* (inquit) *in primis laudo, quod omne scribendi edendique consilium, non inanis auræ cupidine, sed publicæ utilitatis, gubernari velis: plerique præter laudem nihil spectare in scribendo videntur, ex quibus tamen, qui saltem intelligunt, qualibusnam scriptis laus debeatur aliqua, taliaque elaborare studeant, ferri utcunque possunt, non aliter atque ii, qui pro patria fortiter quidem illi pugnant, non tamen patriæ causa, sed suæ gloriæ.* Neque etiam quenquam a scribendo absterrere debet,

bet, quod sæpe ea, quæ a nobis in medium proferuntur, aliis *levia* videantur. Attendendum enim est ad virorum in his vel illis eruditionis partibus, de quibus agere instituimus, probe versatorum judicia, & ad utilitatem, quæ inde certo ad alios promanare potest. Decipit frons prima multos. Quidam nonnisi rara & insolita, licet nihil profutura, mirantur & laudant, res vero momentosissimas pro levibus venditant. Certe nisi utile est, quod scribimus, stulta est gloria. Ita si quis v. gr. catechismum duntaxat scriberet, sed talem, qui non tantum suo, sed præstantissimorum Theologorum judicio, studiosæ juventuti magis esset accommodatus, quam multi alii, qui vulgi manibus teruntur, laude dignum susciperet laborem, licet is *levis* a quibusdam haberetur, quia quicquid ad profectum in vera pietate & cognitione Numinis facere potest, non leve, sed momentosum est: ut jam non dicam, majorem artem & ingenii perspicaciam ad tale quid elaborandum requiri, quam vulgo existimatur. Idem de aliis eruditionis partibus dici potest. Possunt etiam apud exteros quædam eruditionis partes excoli diligenter, a nostris vero negligi. Recte igitur agit is, qui in gratiam popularium suorum talia in lucem profert, licet ipsemet forte novi addat nihil. Ita laudandi sunt Germani & Helvetii, quod post doctissimorum Anglorum egregios in demonstranda veritate religionis christianæ conatus, in eodem argumento explanando singularem impenderunt diligentiam, licet pauca, quæ majorem lucem adferre huic materiæ possunt, forte adtulerint. (7.) Denique cum experientia constet, in illis regionibus, ubi plures viri eruditi calamos ad scribendum arripere solent, humanitatem & morum elegantiam florere; sensim vero sensimque rusticitatem, superstitionem & hæretificationes, (liceat rem barbaram barbara voce exprimere) pelli; cujuslibet, qui animum literis rite excoluit, est, aliquid conferre, ad hæc bona promovenda, mala vero depellenda. Hoc autem tentare licet non solum illis, qui excellenti plane sunt instructi ingenio & eruditione, quique inter portenta ingenii humani, & primæ ut ita dicam magnitudinis stellas referri possunt, sed & illis, qui pro ingenii viribus gnaviter variis disciplinis operam dederunt; præterquam enim quod ejusmodi ingenia rara sint, & vix binos vel tres integrum seculum in lucem proferat, possunt homines, minore eruditionis apparatu instructi, sæpe magis prodesse aliis, quam tales

Heroes. Ex quibus patet, ni fallor, ſtudium inclareſcendi literis, rite adhibitum, rem eſſe non ſolum licitam, ſed laudabilem valde. Et huic ſententiæ omnis ætatis viri doctiſſimi ſubſcripſerunt. Unicum addo teſtimonium *Plutarchi*, viri Πολυμαθεστατου. Hic in tractatu, cui titulus: Ει καλως ειρηται το λαθε βιωσας pag. m. 256. ita de hoc argumento loquitur: Εαν δε τις εν μεν φυσικοις Θεον υμνη και δικην και προνοιαν, εν δε ηθικοις νομον και κοινωνιαν και πολιτειαν, εν τε πολιτεια το καλον, αλλα μη την χρειαν. δια τι λαθε βιωσας, ινα μηδενα παιδευση, μηδεν ζηλος αρετης μηδε παραδειγμα καλον γενηται. Ει Θεμιστοκλης Αθηναιοις ελανθανεν, εκ αν η Ελλας απεωσατο Ξερξην; Ει Ρομαιοις Καμιλλος, εκ αν η Ρωμη πολις εμεινεν: Ει Διονα Πλατων, εκ αν ελευθερωθη η Σικιλια. Ωσπερ δε οιμαι το Φως, ε μονον φανερες, αλλα και χρησιμες καθιστησιν ημας αλληλες: ετως η γνωσις ε μονον δοξαν αλλα και πραξιν ταις αρεταις διδωσιν. i. e. *At ſi quis in naturæ rerum inveſtigatione Deum celebret, juſtitiam, providentiam: in morum doctrina legem, communionem, civitatem: in Republica honeſtatem non utilitatem. Cur vivens ignorari velit? An ut ne quem doceat? Ne cujusquam ſtudium ad virtutem excitet, neve alii exemplo ſit? Si Themiſtocles Athenienſibus ignotus fuiſſet, non repulſiſſent Græci Xerxem; ſi Camillus Romanis, periiſſet Roma; ſi Dioni Plato, non fuiſſet liberata Sicilia. Nimirum ſic ſentio, ſicut lumen non manifeſtos tantum nos, ſed & utiles invicem facit; ita notitia non gloriam modo, ſed & agendi materiam virtutibus parari.* Poſſunt igitur Imperantes ſubditos, præceptores auditores ſuos, parentes liberos ad gloriam literis & eruditione quærendam, ſtimulare. Laude dignus eſt adoleſcens humili loco natus, pauperis anguſtique laris, ſi eruditione & virtute humo ſe tollere conatur, omnique data occaſione publice probat, ſe dignum eſſe promotione. Neceſſarium autem quam maxime eſt hoc ſtudium ſeculo noſtro, quo ambitio fere omnia præmia virtutis poſſidet. Non tantum in Eccleſia Romana vitium illud, quod *Nepotiſmus* vocatur, regnat, ſed & paſſim ubique locorum dominatur. Sæpe homines exiguis animi dotibus inſtructi, nullis meritis præſtantes, graviſſimis muneribus admoventur, qui ad alia facienda longe aptiores eſſent. In Inſula *Japan* uſu receptum eſſe tradunt, ut liberi teneantur eandem artem excolere,

colere, quam parentes, dum in vivis erant, exercebant. Sane multis in locis idem obtinet. Si parens auctoritate valet, & egregiam ſpartam obtinet, filiumque habet non plane ſtipitem, facile eandem, vel hac non minorem, in eum transferre poteſt. At hac ratione fit, ut ſæpe præſtantiſſima ingenia poſt carecta latere debeant, quæ tamen magna dare potuiſſent exempla. Interim & hoc verum eſt, nullum unquam tam ſterile virtutum ſeculum fuiſſe, quo eruditionis, probitatis & elegantiæ ingenii, prorſus nulla fuerit ratio habita. Experientia quotidiana contra teſtatur, homines nullarum imaginum & novos, ad ſummos honores, ob egregias virtutes, & ingenii præcellentiam perveniſſe: & hoc non obtinuiſſent, niſi in pectoribus eorum laudis & gloriæ flamma fuiſſet accenſa. Sunt, qui de Mæcenatum raritate conqueruntur: rari ſunt, inquiunt, qui literas literatosque foveant, homines nullis Majorum imaginibus inſignes in lucem protrahant, & erectiora ingenia, quæ cum paupertate luctantur, & quorum virtutibus obſtat res anguſta domi, humo tollant. Hinc querelam *Ovidii* de neglectu Poetarum ad literatos omnes transferunt; cujus verba ita ſe habent.

Cura Ducum fuerant olim Regumque poëtæ:
Præmiaque antiqui magna tulere chori.
Sanctaque majeſtas, & erat venerabile nomen
Vatibus: & largæ ſæpe dabantur opes.
Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus,
Contiguus poni, Scipio magne, tui.
Nunc ederæ ſine honore jacent, operataque doctis
Cura vigil Muſis nomen inertis habet.

At nimis queruli ejuſmodi homines ſunt, & cum ſibimet ipſis ſæpe deſint, morumque ruſticitate nonnunquam notabiles ſint, faſtuque ridiculo tumeant, aut aliis vitiis conſtricti ſint, de raritate Mæcenatum conqueruntur. Fac vero aliquando contingere, quod non negamus, ut viri ingenio & eruditione præſtantes meritis ſuis dignos honores non conſequantur, non propterea ſtudium inclareſcendi literis abjiciendum eſt. Qui enim egregiis diſciplinis excultum habet animum, didicit etiam novercantis fortunæ impetum

excipere; divinarum humanarumque rerum contemplatione animum pascere, atque corde durato fatale exitium ferre, donec fortunam criminis sui pudeat. Ea enim est nobilitas, ea præstantia veræ eruditionis, ut animum mira quadam & incredibili voluptate perfundat, præ qua omnes hujus mundi deliciæ, & fortunæ bona sordent. *Muretus*, elegantissimi ingenii vir, alicubi ita de se loquitur: *Vere hoc affirmare possum, si quis mihi Deus omnes opes, omnium commoda, omnem potentiam proponat, ea lege & conditione, ut semel deponam hæc studia & tales qualescunque literulas, altrices adolescentiæ meæ, fidissimos meorum omnium temporum comites, deseram, nunquam id faciam, neque quidquam tanti esse ducam, quod mereri velim, ut a suavissimo eorum contubernio & amplexu abducar.* Neque tenuis etiam fortuna prohibet, quo minus nostram & aliorum felicitatem promovere possimus. Interim verum est, sublatis præmiis, quæ virtuti debentur, perire, saltem vehementer minui, studium inclarescendi literis.

IV. Sed satis de his. Videamus jam, qua ratione studium hoc inclarescendi dici possit *nimium* & *vanum*, adeoque quatenus sint carpendi, qui animos ad scribendum appellunt. Et (1.) huc referimus omnes eos, qui exiguis animi dotibus, & superficiaria eruditione sunt instructi, insatiabili tamen simul inclarescendi studio ardent. Ejusmodi hominum insignem hodie esse copiam, nemo diffitebitur, qui vel sola Diaria eruditorum evolverit. Acute tales perstrinxit ingeniosissimus Germaniæ Satyricus *Liscovius*, in libello de *laudibus* & *necessitate semi-eruditorum*, quem, cum in omnium manibus sit festivus labor, compilare nolo. Et profecto fieri non potest, ut homo, qui in se ipsum nondum descendit, & quid vires valeant, quid ferre recusent, accurate tentavit, aliquid, quod luce publica dignum sit, edat. Qui enim judicii debilitate impeditur, quo minus cognoscat, quid in hac vel illa disciplinarum parte eximium, pulchrum & solidum sit, qua ratione aliis viam monstrabit ad solidam eruditionem perveniendi? Quin autem *vanum* sit horum hominum studium, non opus est ut pluribus probem, cum res ipsa loquatur. *Vanum* est hoc studium, (2.) quando homines docti etiam & literis exculti *nihil aliud* quam *famam* eruditionis & *laudem* captant. Vir eruditus & sapiens id ante omnia agit, ut animum suum solida rerum ad bene beateque vivendum facientium

cogni-

cognitione imbuat, voluntatemque ad virtutis amorem flectat; hoc vero præstito, operam navat, si alia non obstant negotia, ut & aliorum hominum felicitatem, quantum in se est, promoveat, talia in lucem proferendo, quæ alios & doctiores & sapientiores facere possunt, cætera securus laudis & vitreæ famæ; non enim tempori, non vanis hominum studiis, sed conscientiæ & veræ generis humani felicitati inservit. Esse quam videri eruditus mavult; rusticiore titulo viri boni contentus est. Sed stimulos tamen, inquiet aliquis, addit laudis amor ad literarum studia rite & ardenter excolenda.

Non parvas animo dat gloria vires,
Et fœcunda facit pectora laudis amor.

Ita est. Sed præterquam quod negem, majorem vim habere in animum vere eruditi & sapientis famam aliorum & laudem, quam studium suam & aliorum felicitatem promovendi; non ideo minus vitiosus est ille solius laudis amor, nisi dicas, eo minus homines esse taxandos, quo majore animi contentione ad perversa & prava animi studia rapiantur. Verum est, viros vere eruditos & sapientes voluptatem capere non solum ex recte factorum conscientia, sed etiam ex probatissimorum & eruditissimorum virorum laudibus. Idque possunt facere sine crimine. Sed illi, de quibus nobis sermo est, hoc *unum*, *unum* inquam, sectantur, ut *laudes quocunque jure & modo partas captent*, eoque nomine sibi *plaudant*. Hi literis dant operam, sudant, vigilant, ut per ora hominum volitent. Num vero animus meus melior est, si alii de me loquantur? Num aliquid accedit veris virtutibus meis, si alii laudibus me prosequantur, aut decedit iis aliquid, si his laudibus destituar? Consistit autem tota felicitas illorum hominum in judicio aliorum. Quid autem agit homo, qui literis gnaviter vacat, eum duntaxat in finem, ut laudetur? Respondeat *celebris noster Werenfelsius: Emit*, inquit, *judicia aliorum, judicia multitudinis incerta & fraudulenta, judicia sæpe stolida & inepta, judicia, quæ dum vivit, pleraque sunt iniqua & maligna, post mortem si æquiora sunt, nullam illi voluptatem adferre possunt.* Et ne de judicio solius multitudinis me loqui putes, ipsa illa benigna eruditorum judicia de

noſtris laboribus non certa ſunt ſigna meritæ laudis: Laudant illi ſæpe ut laudentur a nobis; laudant ſæpe nullo licet accuratiore inſtituto ſcriptorum noſtrorum examine; neſciunt ſæpe quot alienis plumis ſe exornarint ſcriptores; laudant ſæpe nonniſi amore ſectæ, quam ſequitur ſcriptor, inducti &c. &c. Idem etiam ſæpe dici poteſt de laudibus amicorum. Idem, quem ſupra laudavi *Acontius*, *Wolfio* auctor eſt, ut probe perpendat, quam parum amicis in hoc negotio tribuendum ſit. *Quonam autem* (inquit) *pacto ſtatuere poſſis, tuum de tuo judicio rectum eſſe judicium, cum tam multi in eo errent? Qua ratione te non errare intelliges? Ardua res eſt, ac neſcio an ulla magis. Amicis, inquies, plus de me credam quam mihi. At vero id dictu multo eſt facilius quam factu. Sed facturus ſane ſis, quid ſi amici ſatis ſinceri ſint, ut nolint, aut nimis verecundi, ut non audeant, quod ſentiunt proferre? Quid ſi fuerint aliis in rebus* (*quod plerumque accidit*) *occupati, ut quod oportebat, cenſuræ tempus dare nequeant? Sed mitte hæc omnia, quid denique, ſi ne illi quidem judicio ſatis valeant? Dices nonniſi probatiſſimos quoſque adhibebo. Cujus judicio probatiſſimos? Vulgi ne? minime. Præclarum tu auctorem narras. An tuo? fiat; jam alieno opus non habes.*

Ex quo ſatis conſtat, quam incerta, dubia & miſera ſit illa felicitas, quæ a laudibus aliorum duntaxat eſt ſuſpenſa. Rectiſſime ejuſmodi hominibus applicatur illud Soteris noſtri ad Phariſæos dictum: Ἀπέχουσι τον μισθον αὐτων. Quæ verba ita eleganter παραφραζει idem eximius ille Theologus *Werenfelſius: Nihil non* (inquit) *egerunt ut viderentur & laudarentur. En habent quod volunt, cernuntur, laudantur; abeant igitur, auferant mercedem ſuam: fruantur fumo quem captarunt, per me licet: Sed voti compotes facti adquieſcant, ſolidum pietatis & veræ laudis præmium aliis relinquant.* Hi homines certe minus ſapiunt quam ruſtici. Hic cur agrum colat, cur ſemina terræ mandet, cur ſulcis eam proſcindat, cauſam dicere poteſt, & fructum ex labore ſuo ſperare non putatitium & imaginarium, ſed ſolidum. Eruditus autem, qui *ſolius famæ* captandæ ſtudio ducitur, nil adferre poteſt, quod ſapienti ſatisfaciat. Si quis enim ex eo quærat, cur ab ipſo lucis ortu libris circumvallatus ungues præmordeat, legat, ſudet, tot libros evolvat, in chartam ſua cogitata conjiciat, & poſt immenſos exantlatos labores tandem ſcripta ſua prelo committat; nihil aliud reponere poteſt,

quam

quam hoc, se omnia hæc præstitisse, ut lectores laborem suum laudent, utque ex sola hac laude voluptatem capiat. Tantine autem res ista est, ut propterea tam grave onus humeris nostris imponamus? Quid aliud est illa voluptas, ex sola laude aliorum percepta, quam admiratio cæca suarum virtutum? Ah! quam misera est illa felicitas tandem hoc solo fundamento superstructa? Rectissime talibus applices, quod de studiis hominum in genere dixerat *Lucianus* in *Contemplantibus*. Ita enim Tom. I. p. 355. seq. Edit. *Gravii*, *Charonem* ad *Mercurium* loquentem inducit: Ἐθελω γεν σοι ὠ Ἑρμη ἐιπειν, ὁτινη ἐοικεναι μοι ἐδοξαν ὁι ἀνθρωποι, ἢ ὁ βιος ἁπας αὐτων. ἠδη ποτε πομφολυγας ἐν ὑδατι ἐθεασω ὑπο κρηνω τινι καταῤῥαττοντι ἀνιεμενας, τας φυσαλιδας λεγω, ἀφ ὡν ξυναγειρεται ὁ ἀφρος. ἐκεινων τοινυν αἱ μεν τινες μικραι ἐισι, καὶ αὐτικα ἐκραγεισαι ἀπεσβησαν. αἱδ' ἐπι πλεον διακρυσι. καὶ προχωρεσων αὐταις των ἀλλων, αὐται ὑπερφυσωμεναι, εἰς μεγιστον ογκον ἀιρονται. Ἐιτα μεντοι κακεινα παντως ἐξερῤαγησαν ποτε. ὁ γαρ οἱον τε ἀλλως γενεσθαι. τουτο ἐστιν ὁ ἀνθρωπων βιος, ἁπαντες ὑπο πνευματος ἐμπεφυσημενοι, οἱ μεν μειζους οἱ δ' ἐλαττους. καὶ οἱ μεν ὀλιγοχρονιον ἐχουσι καὶ ὠκυμορον το φυσημα. οἱ δε ἁμα το ζυσηναι ἐπαυσαντο. πασι δ' ἐν ἀποῤῥαγηναι ἀναγκαιον. i. e. *Volo igitur Mercuri dicere tibi, cuinam similes homines mihi videantur, eorumque vita omnis. Vidistine aliquando bullas illas torrente cum strepitu scaturiente exurgentes, flatuosos dico tumores, ex quibus spuma cogitur? Illarum igitur aliæ parvæ sunt, quæ protinus ruptæ evanescunt; aliæ vero diutius durant, sibique adjunctis aliis vehementer intumescunt, ac in maximum tumorem attolluntur: ac tandem aliquando illæ etiam prorsus ruptæ dissolvuntur, neque enim secus fieri posset. Hæc tibi hominum vita: Singuli flatu tumescunt; hi majores, illi minores, atque alii momentaneam moxque deficientem inflationem habent, alii simul atque constituti sunt, desistunt. Itaque omnes rumpi necesse est.*

V. Ut autem vitii hujus *vanitas* magis pateſcat, videndum, quibus mediis ac rationibus utantur homines, incredibili inclarescendi desiderio capti. Vir eruditus & sapiens, qui animum ad scribendum impellit, id unum intendit, ut *suam & aliorum felicitatem* promoveat. Eum in finem nihil in medium profert, quam

quod

quod alta mente diu versavit; nihil quod ostentationem ingenii prodat; nihil denique quod non utile, grave & attentione dignum sit. Hac autem in parte vanæ gloriæ auram captantes multipliciter errant. Quod per partes, sed strictim tamen speciminis loco, ostendam. Qui vano studio inclarescendi æstuat, *is nimio hoc & vitioso adfectu præpeditur, quo minus rem, quam aliis explanare vult, recte intelligat, rite perpendat, & in clara luce*, quantum argumenti matura patitur, *collocet.* Immensa autem illa laudis cupido, quæ animo insidet, nullas moras, nullas procrastinationes ferre potest; sed quoscunque hæc cura vexat, gloriæ coronam quam ocyssime videre gestiunt. Hinc festinanter corradunt & in chartam conjiciunt quascunque immaturas cogitationes. Quemlibet imaginationis lusum pro argumento solido habent. Evomunt potius libros, quam scribunt. Exiguus valde in scriptis horum hominum reperitur ordo; nulla cogitationum harmonia; nulla sermonis perspicuitas; nulla argumentationum, apte inter se cohærentium, coagmentationes, sed strues verborum

- - congestaque eodem
non bene junctarum discordia semina rerum.

Contingere hoc potissimum solet πολυγραφοις, & diversas eruditionis partes illustrare simul conantibus. Hi singulis fere annis ex XCVIIII. libris centesimum conficiunt; quos ob indefessum quidem studium laboris laudamus, in quibus tamen ut plurimum judicii ακριβειαν, aliaque, quæ libris verum decus & ornamentum conciliare possunt, merito desideramus. In hos quadrat illud *Arriani*, inter stoicæ Philosophiæ sectatores facile principis, dictum, quod extat lib. IV. pag. 387. *Edit. Cantabrig.* Δια τυλο (inquit) ε δυναμαι ειπειν φιλοπονον, αν ακουσω τυλο μονον οτι αναγινωσκει η γραφει καν προσθη τις ολας τας νυκτας, ωπω λεγω αν μη γνω την αναφοραν, ωδε γαρ συ λεγεις φιλοπονον τον δια παιδασκαριον αγρυπνωντα. ε τοινυν ωδ' εγω. αλλ' εαν μεν ενεκα δοξης αυτο ποιη, λεγω φιλοδοξον. αν δ' ενεκα αργυριω φιλαργυρον ε φιλοπονον. αν δ' επι το ιδιον ηγεμονικον αναφερη τον πονον ιν' εκεινο κατα φυσιν εχη καλ διεξαγη, τοτε λεγω μονον φιλοπονον. i. e. *Propter hoc non possum dicere industrium, si audiero istud solum, aliquem legere aut scribere, tametsi aliquis adjecerit totas*

totas noctes. Nondum hoc dico nisi cognovero, quo ista referantur. Neque enim tu industrium eum dicis, qui propter puellam vigilat. Ergo ne ego quidem eum qui multa legit: sed si gloriæ causa id fecerit, ambitiosum dico; si pecuniæ gratia, avarum, non industrium. Si vero ad rationem suam laborem istum retulerit, ut illa naturæ pareat; tum demum industrium dico. Conjuncta est sæpe cum hoc vitio *nimia & ridicula ostentatio eruditionis, in excitandis innumeris antiquis pariter & recentioribus scriptoribus, & quidem iis in locis, ubi id minime necesse est.* Scio in rebus facti, ut appellantur, opus esse testimoniis, qui enim veritatem rerum gestarum probare vult, testimoniis instructus esse debet luculentis & fide dignis. Qui novam græci vel latini scriptoris elucidationem promittit, perspicuis locis veterum ostendere tenetur, hoc vel illo sensu phrases ab iis usurpatas fuisse; sed illi famæ captatores id agunt iis in locis, ubi id minime quadrat, in rebus nempe, quæ argumentis, non aliorum dictis, probandæ sunt, aut quæ meridiana luce clariores sunt. Scilicet sol non luceret, nisi *Alphonsus* Arragoniæ Rex id dixisset; triangulus non haberet tres angulos nisi *Euclides*, vel *Academiæ Parisiensis Socius*, id affirmaret. Et, ut vanum ac ridiculum ingenium magis prodant, ex omni linguarum genere testimonia conglomerant, agentes etiam de iis, quæ omnibus promiscue nota sunt. Sic æthiopica, arabica, rabbinica, græca, hispanica &c. testimonia adducunt, ut probent res, quas vel rustici callent. Sic quidam ex hoc grege albo amici cujusdam arabicis literis illud Germanorum proverbium: *Es sind nicht alle Kæche, die lange Messer tragen*, inscripsit. Imo sæpe testimonia, quæ ad rem tamen nihil faciunt, amplissimis commentariis illustrare conantur, adeo ut lector tandem quid ejusmodi homo sibi probandum sumserit, ignoret prorsus. Quæsitum aliquando est ex homine Parisiis redeunte, ecquid de splendidissima urbe sentiret: respondit ille, se præ ædium multitudine urbem videre non potuisse. Idem sane de multorum libris dici potest: adeo multis sunt referti citationibus, ut quodnam potissimum argumentum explicandum sibi sumserint auctores difficulter pateat: dubitari autem non potest, quin hæc consuetudo ex mera cupidine ostentandi nescio quam diffusam lectionem oriatur, cum quem alium in finem ea adducta sint, nemo videre possit. Quo ipso tamen omnes citationes testimoniorum veterum & re-

centiorum eruditorum improbare nolo: placent illi, qui veterum & recentiorum egregia & acute dicta data opportuna occasione scriptis suis inferunt, atque hac ratione cogitatis propriis decus aliquod & ornamentum adferunt. Huc referendi etiam sunt illi, qui ob certas quasdam rationes, in re clara, aliorum tamen testimoniis uti coguntur. Ita contingere sæpe solet Theologis, novitatis crimen a se amoliturus, ut in re non obscura, ad alios fidei socios provocent, apud multos enim lectores plus valent testimonia, quam vero argumenta. Sed nescio qua ratione factum est, ut morbus hic viros etiam doctos invaserit. Hic certe locum habet illud *Taciti* in vita *Agricolæ: Sublimia sæpe*, inquit, *& erecta ingenia pulchritudinem ac speciem excelsæ magnæque gloriæ vehementius quam caute appetunt, nec retinere possunt in sapientia modum.* Hoc certum, nimiam illam curam excitandi virorum omnis ævi & idiomatum testimonia & dicta, infallibile veræ eruditionis signum non esse, cum quibus artibus hoc obtineri possit, obscurum non sit.

VI. Accedit *tertium* vitium, quod ex immoderata hac inclarescendi libidine oritur, nimirum *pudenda quædam insolentia, posita omni modestia, confidenter Dictatoris instar de divinis & humanis rebus loquendi & scribendi.* Ejusmodi homines plerumque altos gerunt spiritus; credi sibi volunt sine ulteriore mora, *demonstrationes* crepant, neque tamen forte quanta vis huic vocabulo insit, unquam perpenderunt. Cum autem inclarescendi studium eos vehementer agitet, frequentissime in duo contraria & sibi invicem opposita, æque tamen absurda, prolabuntur vitia; nimirum aut periculosas de religione fovent sententias, aut inepto quodam zelo commoti, vel leviter errantes, & a receptis opinionibus recedentes, impudenter lacessunt. Vir vere eruditus res, quæ ab omnibus sapientibus sanctissimæ & momentosissimæ habentur, summa cum prudentia & religione perpendit. Nihil quidem sine examine credit, sed ad rationem, tanquam lydium lapidem, cuncta exigit; leves errores, quos parum cavet natura humana, facile condonat aliis; aut aliud agendo, ubi necessitas aliqua illi est imposita, mollissimis verbis emendat, æquo animo dissensum aliorum fert, nullo sectæ studio in præceps abreptus; gloriolam vero in tuendis sententiis novis & singularibus, sed nullo fundamento superstructis, non quærit. Sed homines illi, de quibus jam quidem sermo est,

tritam

tritam semitam calcare non volunt, existimantes se acuti ingenii virorum famam non consecuturos, si cum cæteris sentirent eruditis; hinc raras tantum, paradoxas, & a communi aliorum hominum sensu abhorrentes defendunt opiniones, nullo vel debili fundamento nixas: Eum in finem ut plurimum capita religionis generalia, quæ communi Christianorum consensu admittuntur, aggrediuntur, existimantes hanc esse compendiosissimam, æternam nominis famam consequendi, viam. Omnem igitur ingenii, quod habent, vim adhibent, ut novas sententias vel inveniant, vel jam repertas acriter defendant. Athei, Deistæ, vel Sceptici vocari desiderant, quasi hujus furfuris homines soli saperent, cæteris omnibus plumbum pro cerebro esset. Alibi, ut nosti, *Vir Clarissime*, multorum exemplorum inductione hoc probavi. Unum tantum & alterum hic in medium proferam. Primum mihi suppeditat P. *Baylius* in Lexico Lit. *Guevara*. *Les nouvelles* (inquit) *de la Republique des Lettres nous ont parlé d'un certain Triumvirat, auquel mériteroit être associé Guevara. Ce Triumvirat est composé* (1.) *du Pere Morin, qui trois ans après la prise de la Rochelle soutenoit encore, qu'elle n'avoit pas été prise, & que tous les bruits, qui en avoient été publiés, n'étoient qu'un Roman.* (2.) *D'un fameux & redoutable Dialecticien, qui dit à un Gentilhomme, qui lui venoit à dire, qu'il avoit vû le Duc d'Espernon à Plassac: cela ne sauroit être par quatre raisons indisputables, & je m'en vais vous prouver* (a) *qu'il faut de necessité, que Mr. d'Espernon soit encore à Londres.* (b) *Il est plus à croire que les yeux se trompent que la raison.* (c) *La nouvelle, dont il s'agit ici, implique contradiction morale, &* (d) *peut être une contradiction physique.* (3.) *D'un homme, qui declara à Isaac Vossius, qu'après des fortes & longues meditations, il avoit composé un livre, où il montroit par des preuves invincibles, que tout ce, qui est contenu dans les Commentaires de César touchant la guerre des Gaules, est faux, & où il faisoit voir d'ailleurs amplement, que jamais César n'a été au delà des Alpes.* Alterum præbet ingeniosissimus *Evremontius*, describens ingenii indolem celebris *Is. Vossii*. *Il entendoit* (inquit) *presque toutes langues de l'Europe, & n'en parloit bien aucune. Il avoit une litterature immense. Il connoissoit à fond le genie & les coutumes des anciens peuples, mais il ignoroit entierement les manieres de son siecle. Son impolitesse se repan-*

repandoit juſques ſur ſes expreſſions. Il s'exprimoit dans la converſation, comme il auroit fait, dans un Commentaire ſur Juvenal ou ſur Petrone. Dans le même tems qu'il faiſoit des livres, pour prouver que la verſion des Septante étoit divinement inſpirée, il témoignoit par ſes entretiens particuliers, qu'il ne croyoit point de révélation. La maniere peu édifiante, dont il eſt mort, ne nous permet pas de douter, qu'il ne fut dans ce ſentiment impie. Quelques ſoins, quelques précautions, que l'on prit, on ne le pût jamais engager, à recomoitre en général les vérités de la religion chrétienne. Et cependant, ce qui paroit difficile à comprendre, cet homme avoit une credulité imbecille, pour tout ce qui étoit extraordinaire, fabuleux, éloigné de toute créance. Ce ſont les propres termes (verba ſunt politiſſimæ eruditionis viri Mr. de *Maizeaux*) de Mr. *St. Evremont*, *qui avoit aſſez pratiqué Voſſius, pour le bien connoitre. Qu'on nous vienne dire après cela, que les Eſprits forts ſont des gens épurés, des gens ſans préjugés, qui n'admettent rien qui ne ſoit exactement vrai, & d'une évidence palpable.* His adjiciam bina exempla, quæ profert *Tolandus*, qui & ipſemet novas & religioni inimicas opiniones defendit. Extant in ejus *Adeiſidæmone* p. 32. ita enim loquitur ad amicum ſuum: *Virum quendam honeſto loco natum & in rebus civilibus exercitatiſſimum tibi olim non ignotum affirmabas, qui dum providentiam divinam pro anu fatidica cum Epicureis irridere ſolitus eſt, rerum univerſitatem a ſtellarum influxu regi credebat, aliaque eum Aſtrologorum portentoſa & ridicula figmenta admiſiſſe: Alium tibi mihique familiarem, qui ſpiritibus omnibus incorporeis rejectis intelligentias, neſcio quas materiales, quæ vaticinia funderent & oracula, crearet.* Inter ſententias veterum & recentiorum Philoſophorum de origine rerum omnium, nullum magis ineptum eſſe, quam ſyſtema *Epicuri*, conveniunt docti omnes. Itaque ad famam ingenii obtinendam in eam deſcendiſſe opinionem Philoſophum hunc, inſanientis ſapientiæ Conſultum, quam maxime probabile eſt. Saltem hoc affirmavit doctiſſimus vir, *Plutarchus*, in libello *ne ſuaviter quidem vivi poſſe ſecundum Epicurum*, pag. m. 251. Και μην (inquit) απο δοξης γινεσθαι τινας Επικουρος ομολογει. Τι δε ουκ ημελλεν, αυτος ουτος σπαργων περιμανως και σφαδαζων προς δοξαν, ωστε μη μονον απολελεσθαι τους Καθηγητας, μη δε Δημοκρατει τω τα δογματα ῥημασιν αυτοις υφαιρουμενω ζυγομαχειν περι συλλαβων και κεραιων, σοφον

σοφον δε μηδενα φαναι πλην αὐτυ γεγονεναι, μη δε εἰναι; ἡ δε μητηρ ἀτομυς ἐσχεν ἐν αὐτη τοσαυτας, ὁιαι συνελθυσαι σοφον ἀν ἐγεννησαν. i. e. *Porro a gloria etiam quasdam proficisci voluptates Epicurus fatetur. Qui vero hoc non faceret? Ita insane flagrans atque æstuans gloriæ studio, ut non modo negaret illis se usum esse præceptoribus, & cum Democrate decreta ejus totidem verbis suffurato altercaretur de syllabis & apicibus, nullumque diceret extitisse sapientem extra se & suos discipulos; sed scriberet etiam, sibi cum explicaret naturam rerum ad genua accidisse suppliciterque ea tetigisse Coloten. Neoclem autem fratrem statim a puero pronuntiavisse neminem Epicuro sapientiorem unquam fuisse: matrem quoque suam in se tot tantasque habuisse atomos, quarum congressu sapiens diceretur.* En, *Vir Clarissime*, quo studium inclarescendi viros quosdam non indoctos sæpe præcipitet! Nollem autem te existimare, me ex eorum numero esse, qui omnibus propterea minutis sententiis Theologorum inhærendum esse putet, aut me omnes promiscue novas de his vel illis eruditionis theologicæ partibus in medium prolatas sententias detestari, adque ignes & rogos eos amandare, qui talia defendunt. Si quisquam enim libertatem sentiendi amat, is ego sum, nec quoad vixero mentem mutabo. Sed non possum tamen laudare & magnificare eos, qui de rebus gravissimis & sanctissimis abjecte quavis data occasione garriunt, acerrimique ingenii homines sibi esse videntur, si ea defendunt, quæ eadem facilitate, qua proferuntur, negari possunt. Dantur, ut nosti, homines hebetis ingenii & exiguo vel nullo eruditionis apparatu instructi, qui non verentur, sanctissima quæque, italico perfundere aceto, omnesque, qui religionis christianæ dignitatem & præcellentiam tuentur, pro stupidis & superstitiosis habere ingeniis, antecedentium turbam sine causa sequentibus. Eos interim facile suo genio frui permitto, modo nimio inclarescendi studio ceterosque sine fine lacerandi cupiditati modum ponant. Sint per me, si ita velint, soli acuti, ingeniosi; soli vere docti, & supra cæteros mortales, quos ex alto despiciunt, evecti. Plaudo. Ego modestiam amo, quæ veræ eruditionis vernix est. Thrasonismum nec laudare, nec adprobare unquam possum.

VII. Alii vanæ gloriæ cupidi, incidunt in vitium, uti dixi, huic contrarium. *Nimirum receptas semel sententias, dogmata etiam*

minutissima, singulari ardore defendunt, levissimos errores in majus extollunt, quosvis erectioris & liberioris ingenii homines allatrant, & hæreses se videre clamant, ubi alii, vel armatis oculis, se nil tale deprehendere confidenter affirmant. Hoc vero inclarescendi studium, hunc vanissimum cordis æstum, *zelum pro gloria Dei* appellari volunt, qui tamen cum omnibus illis vitiis conjunctus est, quæ gloriæ Dei & voluntati ejus repugnant. In hos rectissime quadrat illud cl. *Werenfelsii* epigramma, quod ita sonat:

Magno cum studio propugnas dogmata Patrum,
Numinis hoc a me gloria poscit ais:
Forsitan hoc a te, poscit quoque gloria Patrum,
Forsan & hic aliquid, poscit amice tua.

Hoc vero optimos sæpe & præstantissimos viros lacerandi studiò, putant, se immortalem nominis famam consecuturos, licet a vere eruditis pipulo differantur. Quoties legi & audivi, miselios homines, & vulgi crepitacula, in illustrem *Grotium*, aliosque viros eruditissimos, qui se infallibiles esse nunquam existimarunt, debacchantes! Licet autem solida eruditione, judicio omnium, qui sapiunt, destituti sint, sibi tamen domi plaudunt, & ut sapere videantur, omnis religionis systematicæ particulas miro fervore defendere solent. Legi pleraque scripta, quæ ab aliquot annis de *ineunda* inter Protestantes *pace* a Theologis quibusdam in lucem fuerunt edita. Pauci quidem modeste dissensum suum testati sunt, adductis rationibus. Plurimi vero controversiarum, quæ mutuo intercedunt, momentum ita exaggerarunt, ut putares, non minus distare Lutheranos a Reformatis, quam Judæos a Christianis: Homines erant adeo impudentes, ut asseverare publice non dubitaverint, pacem illam *Orationi Dominicæ, Symbolo Apostolico, & omnibus religionis christianæ capitibus, in Catechismis contentis*, contrariam esse. O tempora, exclamabam hæc legens, o mores! ubinam gentium sumus? Initio, cum hæc perpenderem, credidi ejusmodi homines nulla religionis conscientia duci, & eam albis dentibus ridere: Neque enim mihi persuadere potui, hominem sanæ mentis, & religionis christianæ amantem, tam inepte, tantisque cum conatibus paci huic sacræ, Deo gratæ, cœtui puriori utilissimæ,

mæ, christianæ religionis, quæ nonnisi pacem spirat, genio accommodatæ, præstitu etiam facili, obniti posse. Sed mutavi sententiam, & jam quidem crediderim, ejusmodi homines inepto quodam inclarescendi studio, ad tantam insaniam abreptos fuisse. Erravi ergo cum existimavi eos pro veritatibus, sua opinione, vel magis vel minus momentosis, pugnare voluisse. Pugnant pro gloria sua: volunt mallei hæreticorum & lumina ecclesiæ orthodoxæ haberi. Hinc ille fervor, hinc clamores illi stentorei; hinc singularis ille, si Diis placet, pro veritate zelus. Quod si rigidi illi & morosi censores riderentur, & risui, ut digni sunt, publice exponerentur; si nonnisi eruditi & pacifici Theologi pro optimis haberentur; si ille vulgo præstantissimus vocaretur Theologus, non qui in disputando de quovis argumento est fervidus, & pro omnibus minutis opinionibus tanquam pro aris & focis pugnat, sed qui solida eruditione, pietate cumprimis, & zelo pro gloria Dei, Dei inquam, ornatus, & instructus esset; qui crescenti indies uti errorum gravissimorum, ita & vitiorum torrenti, sese opponeret; si hæc inquam vulgo essent recepta, ausim quovis pignore contendere, numerum ejusmodi zelotarum vehementer imminutum iri, tantumque abfore, ut rixando & clamando aliquam nominis celebritatem essent consecuturi, ut potius omnium sapientum iram & contemtum in se essent provocaturi. Hæc autem cum aliter se multis in locis habeant, famam aliquam iniqui illi censores ex fervore tanto captant, iisque, qui veram indolem rerum theologicarum ignorant, in deliciis sunt. Quam *vanum* autem est, in dilacerandis fratribus famam nominis quærere? Quam *vanum* est, tum se beatum credere & celebrem, si quantum potuimus, omnem spem pacis præscidimus; si operam damus, ut Christiani, qui modesti, pacificique esse deberent, in mutua viscera sæviant; si ex una controversia, quarum multitudine obruitur orbis, & ingemiscit Ecclesia, decem procudimus; si nos Romanensibus deridendos & devorandos exhibemus; si denique a principiis, quibus innititur magnificum opus Reformationis, quam longissime recedimus. Hoc unum tamen in ejusmodi hominibus mihi placet, quod omni data occasione in *rationem* invehantur: hoc enim summo faciunt jure. Nam hæc semper est illis contraria, imo a longo jam tempore prorsus eos deseruit. *Vanissimum* vero hoc inclarescendi studium, eos eo deducit aliquando

do, ut quotquot a sententiis suis, quas de religione fovent, discedunt, pro hominibus etiam aliarum disciplinarum ignaris habeant: scilicet ille errat, dicunt, in articulis quibusdam religionis; ergo eruditus S. Literarum interpres, acutus Philosophus & Criticus esse non potest. Hinc v. gr. de commentariis eruditissimorum virorum, qui S. Literas inlustrare conati sunt, abjecte sentiunt, eo quod non ubique reperiant, quæ cum opinionibus suis conveniunt. Et quod cæcitatem horum hominum manifestam facit, ubi de sacris plane non agitur, maligne tamen judicare solent, eam duntaxat ob causam, quod homines illi, alii, quam vellent ipsi, sectæ addicti sunt. Dabo tibi, *Vir Clarissime*, hujus rei specimen. Edidit *J. Clericus Pedonem Albinovanum*, & *Corn. Severum* cum notis *Scaligeri*, *Lindenbrochii* & *Heinsii*, adjectis propriis adnotamentis sub nomine *Theodori Goralli*. Hunc librum in cujusdam Bibliotheca vidi. Quæro utrum eum legerit? Affirmat, & sibi quam maxime placere notas *Goralli* ait: post aliquod temporis intervallum, cum inaudivisset, *Clericum* sub nomine *Goralli* latere, sententiam statim mutavit, & prorsus nullius frugi collectanea, eas notas esse, perhibuit. De re ipsa judicent æqui censores, non enim de judicii hujus veritate, sed ejus causa hic agitur. Sed mittamus ea, quæ ad religionem pertinent, & ad alia properemus literarum studia, circa quæ homines inclarescendi studio vanissimo correpti, versari solent. Elegantiorum literarum culturam, artis criticæ & historiarum peritiam, ad solidam eruditionem consequendam necessaria esse, nemo tam rudis est literarum, qui ignoret. Sed aliter in hisce versatur vir vere doctus & sapiens; aliter ille, qui *inclarescendi* tantum *studio* fertur. Vir eruditus ad ea semper, in his desudans literis, attendit, quæ cum aliis scientiis lucem, tum generi humano insignem adferre possunt utilitatem. Non tamen in his solis, quibus ille delectatur studiis, omnem sapientiam repositam esse credit, adeo ut alios minus in his literis versatos despiciendi causas se habere existimet. Neque etiam magnam impendit operam, in examinandis & defendendis iis, quæ neque ad alias disciplinas exornandas, neque ad mentem perficiendam, quicquam conferunt. Ubi vero sibi ab aliorum opinione recedendum esse putat, modestissimis hoc facit verbis. At longe alia est horum, de quibus verba facimus, agendi ratio. Plerumque

ubi

ubi animos ad humaniores literas excolendas adjecere, morum elegantiam deponunt, & acerbe in eos, qui circa phrasin vel variantem lectionem dissentiunt, debacchantur. *Bochartum*, *Ez. Spanhemium*, *Scaligerum*, *Salmasium*, *Grotium*, aliosque viros in his literis principes, ob leves errores, Orbilii isti tanquam pueros virgula censoria plectunt, adeo ut grammaticus ille fastus, quo ilia eorum tument, in proverbium abierit. Sane si quis irritabile hoc genus vatum vel verbulo officii sui monuerit, nihil est tam acerbe dictum quod non in eum evomant. Sed *Tu* hæc omnia ex *Werenfelsio*, *Menkenio*, *Lilienthalio*, *Mathanasio* aliisque, satis cognita perspectaque habes. Cum hoc insatiabili inclarescendi studio frequenter conjunctum esse solet pessimum vitium, quod πυλυπραγμοσυνη appellatur; vitium, quo nullo habito virium nostrarum respectu, omnia tentare, cuncta scire, in omnibus excellere volumus. Negare nolumus, extitisse, & adhuc dari viros, qui accurata multarum disciplinarum cognitione instructi fuerunt. At vix uno vel altero seculo ejusmodi eruditionis portenta in lucem prodeunt. Ea enim est scientiarum difficultas, & rerum cognoscendarum multitudo, ut adhibitis omnibus diligentiæ & ingenii dotibus & adminiculis, difficulter unius partis eruditionis vel disciplinæ singulos angulos perreptare, & minutas omnes partes accurate cognoscere possimus. At nostri, de quibus agimus, auræ vanæ captatores, in eo gloriam quærunt, si in singulis disciplinis versati esse videantur. Eum in finem omnium disciplinarum compendia addiscere solent, & pro more seculi nostri collectanea ex omni disciplinarum genere studiose congerunt, quibus omni data occasione superbire solent, adeo, ut qui nescíret, qua ratione omnia fuissent corrosa, firmissime crederet, ejusmodi homines in omni literarum genere consenuisse, inque pectoribus eorum totam vetustatem reconditam esse. Meram autem multifariæ eruditionis ostentationem esse, præterea-que nihil, norunt illi, qui uni duntaxat disciplinæ per vitam vacarunt. Pessimum hoc est, quod nimirum invita, ut plurimum, Minerva, & repugnantibus animorum viribus, ad tot varia addiscenda commoveantur. Eleganter hanc ingeniorum pestem depingit P. *Gualdus* in vita *Pinelli*, viri, dum viveret, excellentissimi. *Carnificina* (inquit pag. m. 325.) *ingeniorum nulla major, quam promiscue & sine ullo delectu impellere hominem in ea studia, quæ ipse fastidiat ac averse-*

averſetur. Hinc torpent animi juvenum peſtilenti hoc ſidere afflati; hinc bonarum artium & bonæ mentis contemtus & odium. Hinc rerum rumor & ſententiarum vaniſſimus ſtrepitus, ut ille ait. Neque aliunde fœdi plerumque exitus, quos tum demum vitare liceret, ſi patris ſapientis, Naturæ monita non aſpernarentur. Prodit in hanc ſententiam græviſſimus auctor Plutarchus, Apollinem Delphicum, Romanæ eloquentiæ parenti, quæ ratione ad immortalitatis faſtigium pervenire poſſit, conſulenti reſpondiſſe: Hoc illum aſſecuturum, ſi ad propenſionem præſcriptumque Naturæ, non ad ſententiam aliorum, vitam inſtitueret. At is famæ & gloriæ præpoſtere ſitiens, vulgi rumuſculis percitus, & domeſticorum commodis conſultum volens, ultro ſe perditum ivit, non ſecus atque ille,

Quem pater ardentis maſſæ fuligine lippus,
A carbone & forcipibus gladioſque parante
Incude & luteo Vulcano ad Rhetora miſit.

Ita *Gualdus*. En, *Vir Clariſſime*, ſpecimen errorum, in quos ſe præcipitare ſolent illi, qui nimio inclareſcendi literis ſtudio ardent.

VIII. Juvat autem paulo uberius vitii hujus oſtendiſſe *vanitatem*. Hoc ut fiat, *primo* obſervandum, quam maxime *incertum* eſſe, utrum id, quod omni virium contentione quærunt, conſecuturi ſint, nec ne. Quærunt hi homines nominis celebritatem, laudem & famam virorum ingenio præſtantium. Non jam dicam eos, quos lubido, & incredibile ſtudium inclareſcendi corripuit, difficulter apud cordatos & vere eruditos laudem conſecuturos, quoniam ut plurimum feſtinanter omnia componunt, nec ſatis circumſpecte ſingula perpendunt. Concedam autem tantiſper, nihil hac in parte in eis deſiderari poſſe; incertum tamen eſt, quæ fata habitura ſint ingenii ſui monumenta. Ea enim eſt ſæpe ſeculi, ſeu potius hominum, malignitas, ut in eo potiſſimum gloriam quærant, ſi aliorum egregiis conatibus detrahere, laboreſque eorum extenuare poſſint: Sæpe optime dicta ſilentio involvunt, leviſſimum vero errorem, quem parum cavet natura humana, exaggerant, in majus extollunt, atque eloquentiam ſuam in aliis exagitandis ſolent oſtentare. Aut enim ea profers, quæ ab aliis centies dicta ſunt, aut ſupra vulgus eruditorum ſapis, viamque calcas nullius,

lius, aut paucorum, ante tritam solo. Si *prius* est, certatim omnes, saltem plerique clamabunt, te crambem bis terque coctam lectori gustandam propinare, & vano labore prelum exercuisse. Quam difficile autem est, inter tot scriptores, in tanta librorum copia, in medium aliquid proferre, quod ab aliis ante dictum non sit? Quis omnes veteres & recentiores evolvere poterit auctores? Per conscientiam testare, te alios non compilasse, sed e proprio sinu cuncta repetiisse, vix tamen tibi fidem habebunt maligni judices. Si vero altius te tollas humo, eaque scribas, quæ præstantia & novitate argumenti sese commendare possunt, plerumque eos, qui in his, de quibus agis, literis principes sibi esse videntur, irritas: credunt enim actum esse de sua existimatione, si alius, æque ac ipsi acutum cernat; hinc linguæ prælia oriuntur. Hoc certe eveniet, si in rebus ad religionem spectantibus novam & insolitam ingrediaris viam. Novatorem te esse dicent, & monstrum in pectore alere, malignas passim de te spargent inter alios suspiciones, adeo ut laudis honorisque loco *Heterodoxi* (quod vocabulum, quantum valeat, norunt omnes) famam tibi concilies. Sed demus hæc omnia secus se habere; concedamus te famam eruditi a quibusdam consequi, num in eo judicio, si sapis, semper adquiescere secure potes? Non putarim. Illi enim ipsi, qui nostra tantopere extollunt, aliquando nobis ipsis sapientiores non sunt: sæpe in cœlum nos tollunt laudibus, ut lapsu graviore ruamus; sæpe concedunt aliquid imperitiæ nostræ; sæpe quos laudant in sinu rident. Non raro etiam fit, ut illi, qui se nostra magni facere simulant, amici sint, fautores, benevolentia & meritis nobis devincti; sæpe priores eos laudavimus; sæpe timent iram aut nostram, aut fautorum nostrorum, & quæ alia sunt, quæ propensam erga nos voluntatem excitare possunt. Quam *vanum* vero est, tot laboribus distringi, in tanta laudis & famæ, quam unice adpetimus, incertitudine? Quam ineptum est, judicio hominum tam fallaci superstruere omnem nostram felicitatem? Quam absonum id quærere, quod quotidianæ mutationi obnoxium est? Varia enim, ut supra monuimus, sunt hominum judicia. Quod hic laudat, alius ridet. Pauci quos æquus amavit Jupiter, tam felices sunt, ut omnium laudes & applausus reportent. Cui ergo fidamus? Cujus judicio secure subscribemus? Loquor autem semper de iis, qui

nonnisi gloriam captant, securi eorum, quæ verum decus literato conciliare possunt. Sed fac denuo Te eruditi viri famam non apud quosdam tantum, sed plerosque consequi, in Ephemeridibus nomen tuum cum laude extare, atque adeo te laudem illam tantopere quæsitam adipisci, velim probe observes, hanc eruditionis, quam obtinuisti famam, communem tibi esse cum ingenti numero eorum, qui minime ea digni sunt. Sunt inter illos, qui scribendis libris famam adepti sunt, homines, qui ex XCIX. libris centesimum confecerunt; qui præter artem excerpendi sciunt nihil; homines superbi, inani fastu tumentes, miseri verborum aucupes; sunt qui clari sunt ob obscuram linguam; sunt quos Majorum duntaxat imagines commendant; sæpe Doctori umbratico non minus titulus *Celeberrimi*, *Doctissimi*, *Excellentissimi* &c. quam viro vere sapienti, tribuitur, & quod pessimum est, nullus, dum in his terris versamur, infallibilis judex; nulla auctoritas Senatus Populique Eruditorum, cujus ope viri eruditi a semidoctis distinguantur, prostat. Num plaudere sibi potest ingeniosissimus & excellentissimus pictor, videns eandem laudem tribui homini, qui Delphinum silvis appingit, fluctibus aprum? Si *Chærilus* aliquis incultis versibus & male natis retulit egregii Poëtæ laudem, num hoc *Virgilium* beat? Scribendi enim insania multos veluti pestis adflavit.

Navem agere ignarus navis timet, abrotonum ægro
Non audet nisi qui didicit dare, quod Medicorum est
Promittunt Medici, tractant fabrilia fabri,
Scribimus indocti, doctique poëmata passim.

Quod de Poëtis ait *Horatius*, de singulis aliis scientiis dici hodie potest. In tanta igitur doctorum & semidoctorum turba, si forte etiam Tu aliquod nomen adeptus es, num hoc adeo te beat? Num hoc dignum est præmium pro tot laboribus & sudoribus? Num propterea cristas tollere & altum sapere debes? Sane tantum abest, ut hæc promiscua turba te ad scribendum incitare debeat, ut potius non leve sit, ad te a scribendis libris absterrendum, argumentum. Ita sane sentiunt plures viri, solida eruditione instructi. Audi doctissimum *Laufferum*, virum longiore vita dignissimum, ita de se pronuntiantem: *Dicunt mihi* (inquit) *sæpius amici mei, desidiosus es; nimium*

nimium otio indulges; quin laboras, quin componis; est ætas, est tempus; sunt libri; est mos seculi, etsi pauci apud nos scribant, exterorum tamen scripturiunt docti juxta ac indocti.

Stulta est clementia cum tot ubique
Vatibus occurras, perituræ parcere chartæ.

Hoc ipsum est quod scribere nolim: Nolo ineptorum numerum augere scriptorum. Sed, dulce est, dicunt, nosci ab omnibus; fama celebrari dulce; dulce digito monstrari; hic est doctus ille, qui tot jam libros composuit. Ego ut fumum non emo, ita nec vendere volo. Nec curo a turba celebrari; nec turbæ verba dare possum. Si vano placerem popello, male me haberet; dicerem cum Phocione: ὦ δῆτα τι καιον λεγων ἐμαυτον λεληθα. *Nulli unquam celebritatem nominis invideo. Scio quanto labore, quanta temporis, sanitatis, visus jactura hæc ipsi constet. Idem cum Seneca sentio, dicente: Cum videris igitur prætextam sæpe jam suntam, cum celebre in foro nomen non inviderit: Ista vitæ damno parantur.* Hactenus *eruditus* ille *Helvetius.* Sed, inquies, semper tamen dantur viri acuti ingenii, qui solidum ab inani discernere possunt. Ita est. Sed memineris, eos de quibus loquor, nonnisi laudem famamque captare, atque in id tantum intentos esse, ut in ore hominum versentur. Quod si hoc unum eos beat, jam principibus nequitiæ magistris, & fratribus ignorantiæ immixti sunt. Non minus enim noti sunt impurissimi elegantiarum arbitri, *Tibullus, Catullus, Propertius & Petronius*, quam vero *Socrates*; imo amplius dico, venefici, latrones, prostibula, & bucephalus aliquis, multorum ore circumferuntur, non minus quam excellentissimi viri. Quod si igitur nihil aliud quærunt vanæ auræ captatores, qui insolentem sibi fiduciam arripiunt, quam ut in ore hominum versentur, ut nomen suum certis præfixum sit libris, aut ut alii, qualescunque tandem illi sint, data occasione eos laudent, fruantur hac sua felicitate, sibi gratulentur de egregio consortio; aliis vero permittant præstantius laudis decus & ornamentum quærere.

IX. Summum autem *vanitatis* indicium ejusmodi hominum ex eo manifestum est, quod nonnisi *immortalem*, *immortalem* inquam, nominis famam quærant. Dicunt illi, vitam silentio tran-

ſigere pecorum eſſe, quæ natura prona atque ventri obedientia finxerit; oportere igitur illos, qui ſeſe ſtudeant cæteris animantibus præſtare, ingenii opibus gloriam quærere, & memoriam ſui quam maxime longam efficere. Hac ratione nos pro mortalibus gloria æternos fore. Strenue igitur vacandum literis, nec extimeſcenda etiam virorum præſtantiſſimorum judicia; graſſandum ad æternam nominis famam. Detrahat licet (inquit noſter homo) eruditioni meæ, & meritis præſens ſeculum iniquum;

At mihi quod vivo detraxerit invida turba,
Poſt obitum duplici fœnore reddet honos.
Omnia poſt obitum fingit majora vetuſtas,
Majus ab exequiis nomen in ora venit.

Sed quid non poſſem in contrarium dicere, *Vir Clariſſime?* Liberaliter tamen agamus cum his hominibus; concedamus non ſolum mentes, quod & veriſſimum, morte carere, ſed & rerum in terris, literatoque orbe geſtarum & gerendarum, poſt fata memores eſſe homines: ponamus, haud poſtremum felicitatis gradum mentium, corporum vinculis ſolutarum, in eo conſiſtere, quod accurate ſciant, quid inter eruditos geratur, quæ fata ſcientiarum, quæ judicia hominum de his vel illis libris. Hæc incertiſſima licet, imo falſa ſint, dabimus tamen illis, ne vitam ipſis reddamus acerbam; pellucebit tamen *vanitas* horum hominum, ſatis ſuperque. Dico igitur *primo* incertum quam maxime eſſe, utrum ſcriptorum noſtrorum rationem habitura ſit poſteritas, & laudibus eadem elatura dignis. Sæpe vivo & ſpirante auctore libri ab eo editi non leguntur, ſed lacerantur & deferuntur:

- - in vicum vendentem thus & odores
Et piper, & quicquid chartis amicitur ineptis.

Tot præclara Veterum monumenta edax vetuſtas, imperitorum malitia & ignorantia, ſuperſtitio & bella, memoriæ noſtræ ſubtraxerunt, ut nomina, prætereaque nihil, aut levia quædam duntaxat fragmenta nobis relicta ſint. (*) Ambulavi nuper extra urbem, vidi

(*) Auctores Actorum Lipſienſium ad Annum 1718. pag. 196. "occaſione relationis de itinere Turnefortii narrant, hæredes Peirescii MSS. in ejus Muſeo reperta conſecraſſe Vulcano & per integram fere hyemem conclave hoc modo calefeciſſe. Aliud exemplum huc faciens adduxit ce-

vidi in terra jacentem chartam, sustuli; miratus Theologi nuper demum demortui laborem esse, quo casei particulam tegebat rusticus. Nec accidit hoc scriptis, quæ omnium doctorum judicio digna non sunt ut legantur; sed optimi sæpe & bonæ frugis pleniſſimi cum tineis & blattis luctantur, aut bene compacti in Bibliothecis extant, sed leguntur a nemine. Unde autem sperare possunt hi homines, propria ingenii sui monimenta non eadem fata habitura? mors etiam saxis marmoribusque venit. Quod si tamen tam beati & felices sint, ut scripta in vulgus edita legantur, dubium tamen quam maxime est, utrum eruditorum applausum consecutura sint. Omnium, ut nosti, *Vir Clarissime*, scientiarum fatales quædam periodi sunt, & ut vestimentorum, sic scientiarum perpetua quædam est mutatio. Olim per multa secula nemo pro Philosopho habebatur, qui *Aristotelis*

Ieberrimus P. D. Huetius in commentario de rebus ad se ipsum pertinentibus, pag. 21. Edit. Lipſ. Hoc ipso tempore (inquit) eandem describendæ veteris Græciæ operam in se suscepit is, quem dixi, Theodorus; cum vix ullam agnosceret supereſſe spem tam vasti & ardui exspectandi operis a Palmerio, sene jam fere decrepito. Rem ergo aggressus ipse est; nec certam & accuratam rerum notitiam adepturum se ratus est, ex sola veterum monumentorum lectione, nisi oculis ipse suis cerneret littorum, fluminum & montium situs, ac dirutarum urbium vestigia. Profectus igitur in Græciam, multa peragravit loca, rudera lustravit, intervalla dimensus est, omniaque retulit in commentarios, sibi postmodum usui futura, postquam tantis onustus opibus patriam repetiisset. Jamque affectum erat institutum opus, mihique ostenderat paratas ad editionem descriptiones Illyrici, Epiri, Peloponnesi & Achaiæ: sigillatimque eas publicari suadebam, reliquis in aliud tempus sepolitis, quasi præsagus futuri. Postquam enim excessit e vita, in domesticum ejus instrumentum, scripta, libros, chartas invaserunt hæredes, Librariorumque repudiarunt postulata, operam suam venditantium ad committendam typis descriptionem veteris Græciæ, maluerunteque tot annorum, tot vigiliarum perire fatum, & consanguinei sui memoriam merita gloria fraudari. Hactenus Huetius. Quid sibimet ipsi, antiquitates ægyptiacas colligenti, contigerit, exponit pag 65. biographiæ dicens: „ Nos „ quoque jam diu volvebamus hoc saxum, grandemque observationum „ & commentationum ægyptiacarum suppellectilem congesseramus, publi„ cis usibus nec indignam nec inutilem, cum repentino ædium nostrarum „ Parisinarum casu literariæ meæ opes conturbatæ & attritæ ita concide„ runt, ut vix paupertinæ aliquæ & laceræ ex hoc naufragio tabulæ „ servatæ sint. „ Vide quid idem Huetius narret pag. 99. biographiæ suæ de opere Hadriani Parvillerii.

ſtotelis decretis addictus non eſſet. Hic ſolus regnabat, & cum Deo in ſcholis diviſum quaſi habebat imperium. Noſti ridicula elogia, quæ in eum congeſta erant; nihil unquam de homine tam præclare dici poteſt, quod in *Ariſtotelem* collatum non fuerit. Succeſſu temporis, & renatis literis, ſordere cœpit Stagirita, & Scholaſticorum quiſquiliæ rejectæ. Exortus eſt, ut alios taceam, nobiliſſimus *Carteſius*, qui poſt multa linguarum prælia, principatum in philoſophia obtinuit. Me puero, illi demum acutum cernere dicebantur, qui hujus viri methodum ſequerentur, & principia ipſius cum theologia arcte copularent. Exorti mox viri acuti ingenii, qui pleraque hujus philoſophiæ capita impugnabant, libere contendentes, ea nullis certis principiis eſſe ſuperſtructa. In Anglia novam philoſophandi methodum induxit *Lokius*, quem multi in Germania ſequebantur, ita ut tandem eclectica Philoſophia caput extulerit. Hæc vero denuo vileſcere incipit, & ex primis immotiſque principiis, non hinc inde arreptis diverſorum ſyſtematum & ſententiarum partibus, ædificium philoſophicum conſtruendum eſſe clamant multi, & illuſtres duntaxat viros, *Neutonum*, *Leibnitzium* & *Wolfium*, in diſciplinis philoſophicis audiendos eſſe contendunt. Aliis placet ἐπέχειν, exiſtimantibus, ita cum natura comparatum eſſe, ut ad certitudinem in iis, quæ de Deo, mundo & homine ſciri poſſent, nunquam perventuri ſint mortales. In tanto autem eruditorum diſſenſu, pulchre conſtat, quam incerta ſit illa ſpes perennis gloriæ conſequendæ, & quam lubrica felicitatis illius, laudibus obtinendæ, ratio. Nec putes in philoſophicis duntaxat diſciplinis magnam hanc rerum & judiciorum diverſitatem obtinere. Graſſatur hoc malum per omnes diſciplinas. Theologia primum a Chriſto & Apoſtolis tradita, cum nativa ſua ſimplicitate, tum probitate eorum, qui eam ſectabantur, ſeſe commendabat. Statim vero poſt exceſſum Apoſtolorum exorti ſunt viri diverſis animi dotibus & opinionibus imbuti, ſed artis recte cogitandi, linguarumque haud ſatis gnari, qui proprii ingenii inventa cum religionis chriſtianæ decretis copulare voluerunt. Patres ſæpe in conciliis ſanciverunt talia, quæ ipſimet non ſatis intellexerunt, ſaltem ea credenda impoſuerunt, quæ a Chriſto & Apoſtolis perſpicue definita nunquam fuerunt. Tandem incidit divina hæc diſciplina in manus Scholaſticorum, hominum nugivendulorum, qui ut verbis *magni*

Eraſmi

Erasmi utar, *de rebus arcanis & adorandis magis, quam explicandis, illoto ore loquebantur, profanis Ethnicorum argutiis disputabant, arroganter definiebant, & divinæ Theologiæ majestatem, frigidis, imo sordidis verbis simul & sententiis, conspurcabant; atque hæc interim dum nugabantur in scholis, existimabant sese universam Ecclesiam, alioquin ruituram, non aliter Theologorum fulcire tibicinibus, quam Atlas cœlum humeris sustinet apud Poëtas.* Nec potuit, antequam ars critica studiumque linguarum emersisset, aliam induere faciem Theologia: quamprimum vero per viros eruditos hæ disciplinæ in lucem protractæ fuerunt, omnem operam navarunt viri sapientes, ut nobilissima disciplina pristinæ restitueretur simplicitati. Quod quibusdam in locis feliciter tentatum; alibi vero diverso schemate denuo repræsentata, novorumque decretorum philosophicorum veste induta est, ita ut quasi dedita opera eam quidam obscurare denuo voluisse videantur, & ita semper, diversis sub titulis, eadem fabula agitur.

Nihil jam dicam de aliis literarum studiis. Vides, *Vir Clar.* quem in finem hæc a me adducta sint. Nimirum in tot diversorum ingeniorum & disciplinarum varietate & mutatione paucis contigit, ut post fata debitis laudibus celebrarentur posteritati relicta ingenii monumenta, sed passim vel negliguntur, vel nihili æstimantur, & pulvere sordida sunt. Accedit, quod, quæ nostra ætate sæpe recta & laudanda habebantur, post fata demum nostra pro falsis vel periculosis venditentur. *H. Valesius Observat. ad Euseb. Lib. I. cap. 2. pag. 6.* exemplum adducit. *Vetus* (inquit) *omnis Christianorum Theologia Deo quidem Patri monarchiam tribuit, Filio vero ac Spiritui Sancto* οἰκονομιαν, *id est administrationem & dispensationem, ut docet Tertullianus adversus Praxeam; verum hujusmodi locutiones cum antea sine ulla erroris suspicione usurpatæ fuissent, tandem post Concilium Nicænum repudiatæ sunt a Catholicis & Arrianis relictæ.*

Ita notum est, quam longe diverse judicarint Patres ante *Augustinum* de gratia, & illi qui postea ad nostram usque ætatem secuti sunt.

Et profecto, quod *tertio loco* notari velim, mentes hominum eruditorum a corpore sejunctæ miserrimæ essent, & continuis iræ & æstus fluctibus agitarentur, si quæ inter eruditos agerentur, post fata sua scirent.

Notissimum est, ne quidem post mortem virorum doctissimorum, livorem mordacis ingenii hominum quiescere. Sæpe lepores leonibus mortuis insultare solent. Unum vel alterum exemplum inter innumera juvat attulisse: *Socrates hist. eccl. lib. VI. cap. XIII.* mentionem injiciens acerrimorum hostium, qui in obtrectando *Origene* e vivis jam erepto turpem famam quæsiverunt, ita loquitur: Οἱ ἐυτελεις, καὶ ἀφ ἑαυτων μη δυναμενοι φαινεσθαι ἐκ τε ψεγειν τες ἑαυτων κρειττονας, δεικνυσθαι βελονται. Τυτων πεπονθε πρωτος Μεθοδιος, της ἐν Λυκια πολεως λεγομενης Ολυμπε Ἐπισκοπος. Ἐιτα Ευσαθιος ὁ της ἐν Ἀντιοχεια προς ὀλιγον ἐκκλησιας προστας. Καὶ μετα ταυτα Ἀπολιναριος καὶ το τελευταιον Θεοφιλος. Ἀυτη των κακολογων τετρακτος ἐ κατα ταυτον ἐλθοντες τον ἀνδρα διεβαλλον. Ἀλλος γαρ δι ἀλλο ἐπι την κατ' ἀυτε κατηγοριαν ἐχωρισαν, δεικνυντες ἑκαστοι, ὡς ὁ μη διεβαλλον τυτο παντες ἐδεξαντο. Ἐπειδη γαρ ἀλλος ἀλλε δογματος ὁ καθ' ἑις ἐπελαμβανοντο, δηλον ὡς ἑκαστος ὁ μη ἐσκωπτεν τυτο ὡς ἀληθες παντως ἐδεχετο τω ἀποσιωπαν ἀπαινων τυτο ὁ μη διεβαλλε. i. e. *Viles homines & obscuri, qui per se ipsi inclarescere non possunt, ex potiorum vituperatione famam aucupari conantur. Laboravit hoc morbo primum Methodius, Olympi Lyciæ civitatis Episcopus. Deinde Eustathius, qui exiguo temporis spatio Antiochensem Ecclesiam rexit. Post hunc Apollinaris, ac postremo Theophilus. Hæc est quadriga maledicorum, qui non eadem incedentes via Origenem calumniati sunt. Alius enim alia de causa ad accusationem ejus prorupit, quo facto singuli satis declararunt se omnino probasse ea, quæ minime reprehendissent. Nam quoniam alius aliud dogma singillatim refutare aggressus est, perspicuum est, singulos pro vero admisisse, id quod minime insectati sunt: tacite scilicet ea comprobantes, quæ non exagitabant.* Eadem fata post mortem expertus est celebris *Chrysostomus.* Adducamus hic verba clarissimi, dum viveret Theologi, *J. Basnage:* Hic *histoire de l'eglise*, Tom. I. pag. 102. de hoc negotio ita loquitur: *On a quelquefois raison de crier contre les Théologiens, dont la haine & les animosités passent jusqu'au tombeau, & vont au delà de la mort. Il semble, que tous les differens personnels devroient être enterrés dans le sepulcre. On devroit prévenir la mort, ou du moins se reprocher de l'avoir laissée venir avant que de se réconcilier. Les*

chefs

chefs de l'egliſe doivent au peuple cet exemple, je ne dis pas de charité chrétienne, mais d'humanité. Cependant ce ſont ces chefs de l'egliſe, & entre ces chefs ce ſont quelquefois ceux qu'on traite de Saints, qui pour des legers demêlés, ou de petites violations de diſcipline, pouſſent la vengeance & la haine juſqu'après la mort. C'eſt ainſi que St. Cyrille ſe chargea de continuer la haine de ſon Oncle contre la mémoire de St. Chryſoſtome, qu'on avoit degradé, & qui étoit mort cruellement en exil. Tranſeo mille alia exempla, & unius tantum, ejuſdemque recentiſſimi exempli, mentionem faciam. Nemini eruditorum ignotum eſt nomen *Guilberti Burneti*, Epiſcopi quondam Sarisberienſis, viri eruditione, pietate, ſapientia & meritis in univerſam Eccleſiam Proteſtantium, celeberrimi. Egregium hunc præſulem infames illi optimorum virorum cenſores & calumniatores, *Jeſuitæ* nimirum *Trivoltienſes*, non ſolum acerbiſſime poſt fata perſtrinxerunt, variorumque vitiorum & errorum poſtularunt; ſed & inter *Doctores umbraticos*, i. e. tales, quos Galli *des Pedants* vocant, a quo tamen vitio nemo magis alienus erat, quam illuſtris ille præſul, retulerunt. Vide *Memoires* de *Trevoux*, *Fevrier* 1745. *p.* 289. *ſeqq.* Sed dignitatem magni viri, & innocentiam erudite tuitus eſt, impudentemque horum Orbiliorum audaciam cordate retudit, vir quidam doctus in *Mercurio Helvetico*, qui *Neocomi* editur, MenſeSept. & Octobr. proxime præterlapſi anni 1745. Ex his aliiſque innumeris exemplis patet, quam incerta ſit illa ſpes laudis poſt mortem conſequendæ. Certe non poſſent non mentes illæ, ſi talia ſcirent, vehementer agi. Ponamus enim *Ariſtotelem* ſciviſſe, & adhuc ſcire, quid de ſe ſenſerint, & adhuc ſentiant eruditi; bone Deus! quam miſer eſſet ſtatus hujus hominis! Is enim non ſolum per multa ſecula contemtus jacet, & *Platoni* multis intervallis poſtpoſitus fuit, ſed & reverendi Patres eccleſiæ primitivæ de eo magnifice non ſenſerunt. Poſtea incidit in manus Barbarorum, qui quidem zelo pro ejus gloria ardebant, ſed cum imperitia linguæ græcæ intelligere eum non valerent, miſere magni viri ſcripta interpretati ſunt; tandem ita fuit neglectus, ut nihil unquam tam acerbe & abjecte dictum fuerit de quoquam, quod pleno horreo in hunc Philoſophum effuſum non fuerit. Multi ſummam gloriam & laudes ſingularis eruditionis in perſtringendo *Ariſtotele* quæſiverunt, & adhuc quærunt. Recentioris ævi ſcriptores multi eum Atheiſmi poſtularunt. Hodie pauciſ-

simi scripta hujus viri legunt. *Plato* a multis pro homine fanatico habetur, qui in Metaphysicis talia effutiverit, quæ ipsemet non intellexerit.

Utrum *Stoici Spinozæ* præcursores fuerint, nec ne, hodie sub judice lis est, postquam superioribus seculis in cœlum fuerant lati laudibus a plurimis, uti ex historia philosophica satis constat. Plerique modernorum adserunt, Ethicam horum hominum, splendidissimis verbis prolatam, arenam esse sine calce: de reliquis nil dicam, neque utrum, jure vel injuria, talia ipsis impacta fuerint, disquiram. Hoc tantum expendas velim, *Vir Clarissime*, quo animo nempe & qua fronte, si aliqua his sapientiæ Antistitibus post obitum rerum in terris actarum cognitio esset, hæc judicia hominum laturi essent. An non putas, eos irarum fluctibus æstuaturos, inprimis quod defensioni jam quidem nullus esset relictus locus? Neque enim credibile, perinde bonis illis animabus fore, quid posteri de se sentiat, cum nostri homines, de quibus agimus, præcipuam felicitatis partem in eo positam esse dicant, si quibus laudibus efferantur ipsimet perspectum habeant. Et quid putas illustrem *Grotium* sensurum, animadvertentem non solum eruditos quosdam, sed & vilissimos quosque, & in umbra educatos magistellos, & pietati suæ & famæ detrahere conantes? Quid Patres, quorum artis criticæ imperitiam, zelum minime semper purum, erroresque in apricum produxere nostræ ætatis eruditi? Num putas *Bezam*, & qui ejus sententiam probarunt, nimirum hæreticos gladio esse puniendos, serena mente audituros, hanc opinionem hodie pro pestilentissima haberi, variisque, iisque gravissimis argumentis, impugnari? Quo animo excepturi essent beati Reformatores nostri tot calumnias, quæ post fata sua contra ipsos effusæ fuere? Crediderim ego, quasdam fastu & superbia turgidas Criticorum mentes omni nisu elaboraturas, ut potestas ipsis concederetur superas evadendi ad auras. Et cum nemini tam beato esse licuerit, ut nunquam falsum judicium de his vel illis argumentis tulerit, singulæque scientiæ indies augeantur, fieri aliter non potest, quam ut mentes illæ, gloriæ cupiditate ardentes, singulari studio ferantur, vel ad confessionem errorum, vel ad opinionum semel arreptarum defensionem, quod tamen in hoc rerum statu, in quo eos jam quidem positos esse per tempus concedimus, præstare non possunt.

Ex

Ex quo sequitur, eas omnes infelicissimas fore, si rerum inter eruditos gestarum post sua fata haberent notitiam. Hactenus, ut vides, liberaliter concessi, mentes non statim post mortem in loca aut tetra, aut beata & amœna migrare, sed in loco quodam tertio, aut circa corpora versari, probeque perspectas habere, quid inter eruditos geratur: Cum autem hæc omnia incerta, imo falsa sint, clarissime patet, spem illam immodicam laudis post mortem consequendæ instabilem, imo vanam esse. Nollem autem quenquam, hæc, quæ jamjam a nobis dicta sunt, ita interpretari, ac si existimaremus, viros eruditos præsentium duntaxat, posteritatis vero nullam habere debere rationem. Non ita sentio. Cum enim felicitatis aliorum promovendæ rationem habendam putem, eo ipso etiam sequitur, eruditum eo tendere debere, ut ingenii sui monumenta post fata maneant, aliisque utilitatem adferant. Bone Deus! quibus in tenebris versarentur eruditi, si mortuorum laboribus & egregiis scriptis carerent. Loquimur ergo de iis duntaxat, quorum animis *nonnisi laudis* post fata consequendæ *cupido*, prætereaque nihil, insidet.

MEDITATIONIS
DE EO, QUOD NIMIUM EST
IN STUDIO LITERIS INCLARESCENDI.

Pars posterior.

TAndem, ut alia plura mittam, hæc ipsa inclarescendi cupido, hoc immoderatum gloriæ studium, homines in infinitas curas conjicit, animosque ab officiis, Deo, patriæ, liberis, præstandis, quam sæpissime avocat. Cum vanum literis inclarescendi desiderium, altissime animis horum hominum inhæreat, eosque totos occupet, fieri aliter non potest, quam ut vera mentis tranquillitate non raro destituantur; ingens enim illa libido libros evolvendi, & scribendi, excerpendi, cogitata sua ad gustum seculi adornandi, eruditisque placendi, animum distrahit & turbat. Solliciti enim semper esse debent de successu laboris, & de judiciis hominum. Metuendi sunt severi judices, qui nullo habito ordinis, stemmatis, dignitatis & titulorum respectu, aut scapham scapham appellant, vel errores graviores coarguunt, vel optime dicta male interpretantur, & acerbe perstringunt. Quod si id fiat, diu noctuque propterea animos macerant; vitam sibimet ipsis acerbam reddi clamant, Deos hominesque accusant, malignitatem seculi deplorant, contemtumque hunc cum certissimo eruditionis damno conjunctum esse existimant. Nec hæc sufficiunt, ad animos turbandos: de parandis apologiis, & perstringendis adversariis quammaxime sunt solliciti, at plerumque propter iram, nec sibi, nec aliis satisfacere solent; errores enim, quos forte commiserunt, fateri nolentes, in omnes se versant partes, aliumque plane

verbis

verbis suis subesse sensum clamitant, licet ille nullis fidiculis inde erui possit. Quam miser vero sit animus, tot curis distractus, pulchre vides Vir Cl. Imo vel antequam animos ad scribendum librum adjunxerunt, & cuncta in ordinem digesserunt, multiplices curæ circa capita eorum saliunt. Cum enim incredibili famæ siti laborant, tritæ plerumque viæ insistere nolunt, sed ut eruditi esse videantur, argumenta rarissima, licet nullis aut pauciſſimis utilitatem adferant, illustranda tamen sibi sumunt. Eum in finem multi eruditi per literas sunt consulendi, rarissimi libelli comparandi; manuscripta sæpe vetustate tantum non exesa, curiosis oculis sunt inspicienda. Mox autem morosus quidam, & lividus Bibliothecarius conatus eorum frustratur; mox cum detrimento non exiguo sanitatis & pecuniæ itinera sunt instituenda; aut si hoc non sit, prensandi amici, fautores, Mæcenates. Eorum in gratiam quidlibet loquendum, & in cœlum sæpe extollendi homines laude indigniſſimi. Conjunctum insuper est hoc studium *summo cum periculo*, inprimis si ea tangunt, quæ ad religionem spectant. Unicus sæpe libellus omnem fortunam, omnem spem promotionis subvertit, licet is sæpe castæ religioni & pietati inimicus non fuerit. Postquam enim Christiani in sectas varias abiverunt, & quælibet existimat & tuetur, se solam aliis rectam ad cœlum viam monstrare, fieri aliter non potest, quam ut illi, qui e suæ sectæ opinionibus, licet minoris illæ momenti sint, recedunt, nociva sibi concitent pericula. Quod si ineptus ille inclarescendi ardor eos eo deduxit, ut cœlum ipsum stultitia petere, & sanctissima quæque albis dentibus ridere non dubitarint, merito pœnas luunt suæ superbiæ & petulantiæ. Exemplo sit, ut multos alios taceam, *Tolandus*; quot tædia, molestias & persecutiones sibi attraxit, homo intolerando fastu in præceps actus? Quot vano ambitionis æstro pereiti, tandem veluti furiis agitati violentas sibi intulere manus? En tristes, *Vir Clarissime*, fructus insanabilis morbi! En felicitatem umbraticam & vanissimam! Quoties rusticos & artifices, labore manuum vitam tolerantes, ab omni fastu liberos, & rerum inter eruditos gestarum ignaros; in iis vero, quæ ad bene beateque vivendum requiruntur, contentos, intuitus sum, *beatissimos* eos prædicavi, si cum difficili & anxia quorundam eruditorum vivendi ratione eos contuli. Vidit id jam suo tempore ingeniosissimus *Montagne*, quando tom. II. opp. pag. 351,

hæc

hæc pronuntiavit: *J'ai vû en mon tems cent artisans, cent laboureurs plus sages & plus heureux, que des Recteurs de l'Université, & auxquels j'aimerois mieux ressembler.* Non jam dicam pretiosissimum tempus ita inutiliter perdi;

Nam fugit interea, fugit irreparabile tempus
Omnia dum capti circumvectamur amore.

Amore, inquam, tot curarum, tot occupationum, de quibus olim, cum adscriptus pœnæ dies venerit, ratio reddenda erit. Hoc tantum notamus, ejusmodi laudis & vanæ gloriæ cupidos, ut desideriis suis satisfaciant, *sanctissima sæpe religionis officia negligere.* Parum sæpe curant, utrum mentem suam emendaverint, & tumultuantium affectuum dominium compresserint, nec ne. Immensam illam gloriæ laudem, minime pro vitio, rationi & genio religionis christianæ contrario, habent: alieni plerumque sunt a modestia illa christiana, quam discipulis suis S. Soter toties totiesque inculcavit: raro amore & moderati animi studio erga dissentientes sunt animati; cœtus christiani incrementum parum curant, neque admodum solliciti esse solent, qua ratione grassanti passim incredulitati & impietati obices ponant; nimis abjecte de pietatis studio sentiunt; eruditionem semper crepant, existimantes, se cœlitus ad illustrandas & propagandas literas natos esse. Si Pastorum munere defunguntur, plerumque de sacris sermonibus rite elaborandis nullam, aut exiguam habent curam, quia amore aliorum studiorum incensi sunt: hinc loco solidæ & perspicuæ demonstrationis ad conscientiam hominum, adhortationumque firmissimis rationibus superstructarum, audias & legas sæpe hinc inde arreptas frivolas explicationes, allusiunculas & emblemata. Frustra sæpe exspectes perspicuam argumentorum rite inter se connexorum, coagmentationem, ordinem & rerum gravissimarum copiam. Causam hujus mali noli quærere; tempus sanctissimis laboribus consecratum impendunt hi homines gravioribus, si Diis placet, negotiis & curis, nimirum rei literariæ commodis promovendis. Hinc rariores sunt, quam vulgo putatur, accurate scripti sermones sacri. Haud ignoro, alios dari etiam fontes hujus mali; sed incredibili studio inclarescendi multos V. D. M. præpediri, quo minus officio gravissimo satis-

satisfaciant, negabit nemo, qui, quæ hinc inde peraguntur, expendit. Si publice in cathedra scholastica tales docent, in eo fere omnem curam reponunt, ut nimirum rarioris argumenti dissertationibus magnam nominis adquirant famam; parum interea curantes, utrum optimarum artium ac disciplinarum studiosis solide scientiarum principia tradant; hinc raro ea, qua oporteret, cura & diligentia, prælectiones suas publicas adornant. Mirum igitur non est, studiosos sæpe conqueri, se negligi, aut rariora duntaxat, sed minus necessaria didicisse. Sed quod pessimum est in hoc negotio, dum edendis libris jugiter sunt intenti, de animis emendandis & ad virtutis normam fingendis sæpe ne cogitant quidem, quasi qualiscunque scientia, & gloriola valde dubia, quam sibi accessuram credunt, ad vitam homine sapiente dignam degendam plus conferat, quam probitas morum, amorque virtutis. Quid dicam de neglecta cura rei familiaris & liberorum? Quot sunt, qui nimia illa inclarescendi cura, & Bibliothecam magnam colligendi sedulitate commoti, curam liberorum ad pietatem formandorum neglexerunt, & cum detrimento familiæ ære alieno tantum non oppressi fuere? Quot sunt, qui morum rusticitatem propterea sibi contraxerunt, & ad civilia negotia omnia ineptos se fecerunt? Quam pauci sunt, de quibus prædicare possis, quod in *Thoma Moro* laudat *Erasmus*, *epist. lib. XVII. epist.* 17. *ad Guil. Budæum*: *Soles* (inquit) *in literis tuis subinde queri, quod tua causa male audiret philologia, quæ tibi duo mala conciliasset, valetudinis & rei familiaris dispendium. At Morus hoc agit ut omnibus nominibus, & apud omnes bene audiat, hoc literis se debere prædicans, quod prosperiore sit valetudine, quod optimo principi, quod suis & exteris charus & gratiosus, quod re lautiore, quod sibi, quod amicis jucundior, quod patriæ, quod cognatis & affinibus utilior, quod ad aulæ commercium, quod ad procerum convictum, quod ad omnem vitæ consuetudinem accommodatior, denique quod Superis gratior. Primum male audiebant studia, quod sensum communem adimerent addicto cultori. Nulla est profectio, nulla negotia tam multa, tam ardua, quæ libellos Moro de manibus excutiant, & tamen vix alium reperies qui magis sit omnibus omnium horarum homo, qui ad exequium facilior, ad congressus magis obvius, in colloquio magis alacer, quique tantum veræ prudentiæ cum tanta morum suavitate conjunxerit.*

Quibus rebus factum est, ut quum ante paucos dies literarum amor ad omne vitæ vel præsidium vel ornamentum haberetur inutilis, nunc nemo pene sit Magnatum, qui liberos, ut Majorum imaginibus dignos, agnoscat nisi bonis literis eruditos. Hactenus *Erasmus.* Interim dum toti gloriæ cupiditati addicti sunt, labitur tempus, vires animi & corporis deficiunt, ardor inclarescendi cum ætate tepescere incipit, ingruit tandem terminus vitæ fatalis. Qua ratione vero talia laudis & gloriæ mancipia, vitæ recte peractæ conscientia frui, & de Numinis propitia erga se voluntate certi esse possint, iis, qui religionis naturam perspectam habent, dijudicandum relinquo. Pone hominem vanissimo hoc inclarescendi studio ardentem, & famæ cupidine captum, in lectulo emortuali constitutum, & ad plures mox abiturum, ita loqui: *Ego non qualicunque ingenio ornatus ab ipsa juventute incredibili diligentia vacavi literis, diuque noctuque iis invigilavi; multa volumina evolvi, splendidam quin etiam Bibliothecam mihi comparavi, ingenti & insatiabili desiderio, famam eruditi consequendi, nomenque meum ad seram posteritatem transmittendi, arsi. Eum in finem elegantes quosdam & mea opinione multa eruditione refertos libros conscripsi, ad pietatem quidem & veram sapientiam consequendam parum facientes, sed profundissimam meam eruditionem abunde demonstrantes; multa corrupta & mire deturpata loca Catulli & Petronii sagacitate ingenii mei restitui: Chronologiam Sinensium & Assyriorum meliorem in ordinem digessi; ex lectione multorum Rabbinorum rarissimas conjecturas, ad quædam obscuriora V. & N. Testamenti loca illustranda, collegi. Problemata quædam geometrica, frustra hactenus ab eruditis tentata, solvi: In novo systemate physico excogitando viginti & plures annos desudavi: Meditationes quasdam metaphysicas subtilissimas in lucem edidi, aut nulli, aut paucissimis profuturas, quæ tamen testes erunt sempiterni acerrimi mei judicii. Theologus fui, & omnes præsentes, præteritas & tantum non futuras controversias in numerato habui: Malleus eram hæreticorum, id est, omnium a me dissentientium; Decreta Dei quoad vixi in ordinem digessi; de futuris Ecclesiæ fatis tam callide & asseveranter locutus sum, ut posthac omnes prophetiæ V. Testamenti, & Apocalypsis Johannis meridiana luce clariores futuræ sint. Hæc omnia ego ingenii mei excellentia & eruditionis quadam immensitate præstiti: dissentientes a me strenue depexos dedi, & ad παλινῳδιαν redegi: multi*

eruditi-

eruditorum de extollenda mea eruditione quasi de palma certabant; laudibus meis omnia diaria eruditorum resonabant. Minuti equidem quidam Doctores vehementer me impugnabant; sed nolui ignavo sanguine inquinari, cum potuissem facile in eos generosum impetum facere. Cæterum de pietate sectanda & promovenda, de proximo adjuvando, sollicitus quammaxime non fui. Non liberis, non uxori, non familiæ, uti Christianos deceret, prospicere potui, præpeditus curis reipublicæ literariæ exornandæ. Nunc satur laudis & dierum, præter immortalem famam, quam nulla unquam, ut credo, obliterabit ætas, pro tot sudoribus, laboribus, meditationibus & studiis in literatum orbem exspecto beatam immortalitatem, præmium virtutis, vitam æternam. Quid judicas, *Vir Clar.* de tali fidei confessione? Num satis sanus ejusmodi homo tibi videtur? Num vanitas ejus non pellucet? At aliter tamen loqui non posset homo, qui per omnem vitam *nonnisi* eruditionis *famam* captavit, licet forte non omnia præstiterit, vel præstare potuerit, quæ eum præstitisse finximus & concessimus. Ponamus ab altera parte plebejum, inter vitæ & mortis confinia positum, sic differere: *Ego quidem eruditus nunquam fui, nec talem me esse unquam existimavi. Operam dedi, ut indolem atque naturam religionis christianæ pro captu meo perspectam haberem, eaque exinde addiscerem, quæ animum meum totum in amorem Dei abripere possent. Deum amavi, colui, timui. Mentem a pravis adfectionibus, ab habitu vitiorum, quantum fragilitatis humanæ ratio passa est, liberam servavi. Proximum dilexi, & quantum poteram, adjuvi. Fui vir bonus, pius & sedulus pater familias. Neminem contemsi, omnes me sapientiores & meliores esse credidi. Ut spem salutis æternæ consequendæ firmam haberem, allaboravi: Hic scopus meus, hic præcipuus labor erat; nunc animam meam tradam Soteri meo, quem amavi, nixus Patris optimi, per Christum mihi conciliati, misericordia, &c. &c.* Ego vero, *Vir Clar.* lubentius in hujusmodi idiotarum turbam referri cuperem, & hac ratione mori mallem, quam famam duntaxat eruditi consequi, qui nonnisi laudis obtinendæ gratia per omnem vitam literis vacaverat. Hoc certum, viros sapientissimos & de literis optime meritos, peracto vitæ tempore, non tam in fama & laude eruditionis, quam vero in testimonio bonæ conscientiæ, & spe certa futuræ felicitatis præsidium quæsivisse. Inter eruditissimos & acutissimi ingenii viros referendum esse Joh.

Lokium, nemo dubitat. Hic vir, morti vicinus, epistolam scripsisse dicitur ad famosum *Collinum*, aperiundam demum post suum discessum. Hæc vero ita sonat: *Puissiés-vous vivre heureux, & joüir long-tems de la santé, de la liberté, du contentement d'esprit, & de toutes ces benedictions dont la Providence vous a favorisé, & sur lesquelles vôtre vertu vous donne une espece de droit! Vous m'avez aimé lorsque je vivois, & je ne doute point que ma memoire ne vous soit chère maintenant que je suis mort. Tout le fruit que je desire que vous en retiriez, c'est de vous convaincre, que ce monde n'est qu'une scene de vanité, qui passe rapidement, & n'apporte aucune solide satisfaction; il n'y a* que le sentiment d'une bonne conscience & l'esperance d'une vie à venir dont on doive faire quelque cas. *C'est ce que je puis vous assurer par ma propre experience, & ce que vous éprouverés vous-même, quand vous serés appellé à rendre compte. Adieu. Je vous souhaite les meilleurs de tous les biens.* J. LOCKE.

Extat hæc epistola in præfatione Abrahami le *Moine*, quam versioni gallicæ libri illustris *Scherloki*, *Episcopi* tum *Bangorienfis*, de *usu & finibus prophetiarum* præmiserat. Plurima insuper adsunt testimonia veterum, ex quibus constat, eos laudis gloriam, quæ eruditione & rebus præclare gestis paratur, non pro ultimo fine habuisse. In ea sententia erant potissimum Stoici. Huic sectæ addictus erat *Persius* Poëta. Hic vero *Satyra I.* v. 45. ita de hoc argumento loquitur:

Non ego, cum scribo, si forte quid aptius exit,
Laudari metuam: neque enim mihi cornea fibra est:
Sed recti, finemque, extremumque, esse recuso
EUGE tuum & BELLE.

Ad quem locum consule eruditissimum *Casaubonum*. *Plinius* junior, vir modestissimus, ita epist. L. I. ep. 8. de se loquens ait: *Meminimus, quanto majore animo honestatis fructus in conscientia, quam in fama, reponatur. Sequi enim gloria, non appeti debet: nec si casu aliquo non sequatur, idcirco quod gloriam meruit, minus pulchrum est.* Nollem autem Te hoc ita intelligere, ac si mihi persuaderem, veri nominis pietatem cum vera eruditione pugnare: minime hoc volo. Scio pietatem veramque eruditionem in una sede morari

morari posse. Neque etiam unquam existimavi, omnes promiscue eruditos tam vanæ laudis cupidine captos esse; scio multos non tantum solidissima eruditione instructos esse, sed & excellentissimis virtutibus eminere. Interim negari simul non poterit, multos eruditorum vana duntaxat laudis cupidine esse incensos, atque iis magna cura intentos sæpe esse, quæ ad suam aliorumque felicitatem promovendam, aut parum, aut nihil conducunt.

XI. Hactenus de vanitate & gravitate vitii hujus satis egimus. Age inquiramus jam in præcipuas ejus causas, & more Medicorum, detecto morbi fonte, remedia quædam suppeditemus, quæ nostra opinione eum, si non tollere, saltem vim ejus ex parte frangere possunt. Primam & præcipuam morbi hujus causam esse existimo, *quod plerique homines ingenii vires non satis excutiant, & quid illæ valeant, quid ferre recusent, non rite examinent.* Multi aut parentibus, aut amicis obsecundantes, ad literarum studia animos adjungunt, nullo aut debili valde ingenio instructi, unde successu temporis oritur fastus, studiumque qualiscunque eruditionis famam consequendi: nolunt hi homines in se descendere, & virium suarum sive naturalium sive studio adquisitarum, terminos expendere. Hinc quam primum se aliquo eruditionis apparatu instructos esse putant, ad literas illustrandas se cœlitus vocatos existimant. Quantocius igitur hoc monstrandum orbi literato; eundum in publicum, & laureolam eruditi viri esse deportandam opinantur. Quod si ambitione vehementi sunt capti, & fautorum præsidiis muniti, crescit illud desiderium cito inclarescendi, licet in ipso operis tractandi initio & medio facile deprehendant, se exequendis, quæ susceperant, pares haud esse. *Amphora cœpit institui, currente rota urceus exit.*

Accedit *secundo* loco, *quod multi eruditionis solidæ & sapientiæ gustum non habent, qui fructus est præclari duntaxat ingenii.* Juvenes nunc hos, nunc illos promiscue evolverunt libros, sæpe non optimos: familiariter haud sunt usi viris vere doctis & sapientibus, qui non ridiculam, vanam & mere scholasticam, sed solidam divinarum & humanarum rerum cognitionem multo studio & labore consecuti sunt. Hinc quamprimum scientiarum, quæ in Gymnasiis & Academiis traduntur, fundamenta jecerunt, Diaria eruditorum evolverunt, suppellectilem quandam librariam sibi com-

paraverunt, & collectanea quædam congesserunt, existimant, jam tempus adesse, ut ad edendos libros sine ulteriore mora animos adjiciant. Hactenus tamen, in quo vera eruditio & sapientia posita sit, per nebulas tantum vident. Existimant, eos, qui varias intelligant linguas, vastam lectionem quavis data occasione ostentent, innumerorum auctorum citationibus superbiant, audacter de quibusvis, etiam captu difficillimis, rebus loquantur, & nemini pertinacia, in semel arreptis opinionibus acriter defendendis, cedant, veri nominis eruditos esse. Solidum vero ab inani, certum & immotum a verisimili & falso, solerter distinguere, & pretia scientiarum raro mentis acumine ponderare, nesciunt. Hi, qualescunque tandem excolant literas, frustra sunt. Non vident enim id, quod in scientiis pulchrum & præcipuum est. Recte & acute de ejusmodi hominibus disserit *Malebranche*, in *præfat. op. de inquirenda veritate*: *Ils étudient* (inquit) *plutôt pour acquérir une grandeur chimerique dans l'imagination des autres hommes, que pour donner à leur esprit plus de force & plus d'étendue. Ils font de leur tête une espèce de garde meuble, dans lequel ils entassent sans discernement & sans ordre tout ce qui porte un certain charactère d'érudition, je veux dire tout ce qui peut paroître rare & extraordinaire, & exciter l'admiration des autres hommes. Ils font gloire de ressembler à ces cabinets de curiosités & d'antiquités, qui n'ont rien de riche, ni de solide, & dont le prix ne dépend que de la fantaisie, de la passion & du hazard, & ils ne travaillent presque jamais à se rendre l'esprit juste, & à regler les mouvemens de leur cœur.* Quam primum vero homines pestilenti hoc sidere adflati sunt, difficulter in viam reducuntur. Quisquis talibus veræ eruditionis laudem detrahere, & eos ab inceptis revocare vult, aut morosus est, aut rerum pretia ignorat. Fas, inquiunt, odisse viros, nullo libros componendi studio inflammatos, nosne incepto desistere victos? *Vive la guerre des Savans; le sang y est épargné, on n'y répand que de l'ancre & barbouille.*

Tertio ad ineptum hoc studium famæ fovendum, *multum sæpe conferunt ipsi literarum Doctores & Professores*; quod qua ratione fiat, breviter exponam. Nimirum mature satis in adolescentibus deprehenditur fastus quidam, & magnum desiderium, sese supra alios quavis arte extollendi, variisque ingenii, nondum maturi,

turi, fructibus superbiendi. In hoc rerum statu, erectiora ingenia non sunt deprimenda, neque studium ingenii dotes explicandi vituperandum, sed excitandum. Interim tamen Doctores publici, quod tamen sæpe facere negligunt, frequenter cum talibus ingeniis differere deberent, de disciplinarum difficultate, & ingenii nostri imbecillitate; aliquando, si audacius de summis rebus differerent, socratica disputandi methodo essent tentandi, adeo ut inviti, mancam valde suam esse eruditionem, fateri tenerentur. Sæpe etiam ingeminandum, eos demum sibi videri multa scire, qui nesciant quid sit scire: frequenter monendum, modestiam veri Eruditi certissimum characterem esse, eamque eruditioni verum conciliare decus: sine ea qualemcunque scientiam histrioniam esse; Doctores umbraticos, non sapientes, fastu turgere, turpem ignorantiam, non veri nominis eruditionem, inflare; in medium proferenda exempla doctissimorum virorum, qui excellentissimis ingenii dotibus ornati, ad libros tamen edendos commoveri haud potuere: quosdam in nonum, decimum, imo vicesimum annum ea, quæ chartæ illeverant, pressisse, modestissime de se locutos, & ita demum Eruditorum laudes reportasse: ostendendum, quot periculis sese objecerint illi, qui nimio inclarescendi studio commoti, neque satis literis hactenus exculti, ad scribendos tamen libros animos adjecerunt. Memini eruditum quendam Germaniæ Professorem sæpe solitum cum studiosis extra urbem deambulare, & si quando illi insectum quoddam forte occurrens pedibus vel baculo necarunt, ex iis serio quæsiviisse, quo jure id facerent, quibusve argumentis probarent, licitum esse ejusmodi animalculo, non sine causa a Deo producto, necem inferre, & responsis suis & exceptionibus ita eos in angustum coëgisse, ut quo se verterent nesciverint. Agnovit necessitatem nostri consilii πολυμαθεστατος *Plutarchus* in examine quæstionis, *quomodo quis suos in virtute paranda profectus sentire possit?* Οἱ μεν ἐν γεωργοι (inquit) των ξαχυων ηδιον ὁρωσι τας κεκλημενας καὶ νευοντας ἐπι γης, τας δ'ὑπο κυφοτητος αἰρομενας ἀνω κενας ὑγκανται καὶ ἀλαζονας: ὕτω δη καὶ των φιλοσοφειν βουλομενων νεων, οἱ μαλιστα κενοι καὶ βαρος ὐκ ἐχοντες, θρασος ἐχουσι καὶ σχημα καὶ βαδισμα καὶ προσωπον ὑπεροψιας καὶ ὀλιγωριας μιστον ἀφειδουσης ἁπαντων. ἀρχομενοι δὲ πληρουσθαι καὶ συλλεγειν καρπον ἀπο των λογων το συβαρον καὶ φλοιωδες ἀποτιθονται. Και καθαπερ ἀγγειων

ὑγρον

ὑγρον δεχομενων ὁ κενος ἀηρ ἐκθλιβομενος ὑπεξεισιν, ὑτως ἀνθρωποις πληρυμενοις των ἀληθινων ἀγαθων, ἐνδιδωσιν ὁ θυφος, καὶ γινεται το ὀιημα μαλακωτερον, καὶ παυομενοι τυ δια πωγωνα καὶ τριβωνα φρονειν μεγα, την ἀσκησιν ἐπὶ την ψυχην μεταφερυσι, καὶ τω δηκτικω, καὶ πικρω προς ἑαυτυς μαλιστα, τοις δἀλλοις πραοτερον ἐντυγχανυσι. Το δε φιλοσοφιας ὀνομα καὶ την τυ φιλοσοφειν δοξαν ὐκ ἁρπαζυσιν ἀυτοις ὡς πρωτερον, ὐδε προσγραφυσιν, ἀλλα καὶ προσαγορευθεις ὑφ' ἑτερυ ταυτη τη προσηγορια φθασειεν ἂν ἐυφυης νεος ὡς ἐιπειν μειδιασας καὶ ὑποπληθεις ἐρυθηματος.

ὐτι ἐγω Θεος ἐιμι τι μ'αθανοισιν ἐϊσκεις.

i. e. *Agricolæ quidem ſpicas libentius vident, quæ inclinatæ verſus terram vergunt; quæ enim ob levitatem ſurſum attolluntur, eas inanes eſſe putant & caſſas: Ita & adoleſcentum, philoſophiæ dare operam volentium, qui maxime vani ſunt & gravitatis expertes, audaciam ii habent ſpeciemque & inceſſum, vultumque plenum ſuperbiæ ac contemtus nemini parcentis: ubi vero impleri incipiunt, fructumque e doctrina colligere, tum ferocia iſta & vanitas deponitur; ac quemadmodum vaſis humorem recipientibus inanis aër eliditur; ita hominibus, quando veris implentur bonis, faſtus decedit, & arrogantia remittit, ceſſanteſque propter barbam & pallium ſuperbire exercitationem ad animum transferunt, mordacique & auſtera ratione adverſum ſe ipſos potiſſimum utentes cum aliis manſuetius colloquuntur; nomen vero & gloriam philoſophiæ, non ut ante, ſibi arrogant, atque inſcribunt; ſed & hoc nomine compellatus adoleſcens ingenii probi rubore perfuſus & ſubridens mature ſic occurret:*

Non ego ſum Deus, ad quid me cœleſtibus æquas?

Hæc vero præcepta ſaluberrima cum vulgo negligantur, ipſique literarum Doctores non raro aut veræ ſapientiæ & eruditionis expertes ſint, aut faſtum illum, qui mature in animis adoleſcentum radices agit, quantum in ſe eſt, non eradicare conantur, quid mirum, ſi ſucceſſu temporis, ſuperbia creſcente, ſtultæ vanitatis pœnas luant?

Oritur

Oritur etiam (IV.) immensa laudis & inclarescendi cupido ex eo, *quod illi qui librum aliquem publicare volunt, judicia virorum doctorum & amicorum, vel haud expiscentur; vel quod ipsi amici candide de conatibus ipsorum mentem non aperiant, sed sæpe laudent, quod censura dignum esset.* Veteres olim, ut ex *Cicerone*, *Plinio* aliisque constat, orationem habituri aut librum edituri, cum amicis primo cogitata sua communicabant, qui laudabilis mos, ut multa alia laudanda, nostris temporibus, in desuetudinem venit. Tam præclare plerumque de conatibus nostris sentimus, ut aliorum judicio & examine ne quidem opus esse putemus. Hinc festinamus, cito per ora virorum doctorum volare cupimus, turpem putamus in scriptis, metuimusque lituram. Cum vero oculi plus videant, quam oculus, & alii a partium studio longius remoti sint quam nos, qui proprios ingenii fœtus adamamus, laudabili hoc tentamine fieri posset, ut mature defectus ingenii nostri perspiceremus, stylo & materiæ limam adderemus, eaque, quæ chartis mandata sunt, rigido denuo examini subjiceremus. Vir enim sapiens erroris admonitus

Cum tabulis animum Censoris sumet honesti,
Audebit quæcunque parum splendoris habebunt
Et sine pondere erunt & honore indigna ferentur
Verba, movere loco, quamvis invita recedant,
Et versentur adhuc inter Penetralia Vestæ.

Dolendum vero est, rariores esse amicos illos, qui cordatum & sincerum judicium de nostris laboribus ferant. Perverse, ut plurimum observamus regulam Soteris nostri, qua injungit, ut aliis non faciamus quod nobis fieri nollemus. Nolumus, ut alii nostra scripta rigido subjiciant examini, & male dicta notent, sed potius vehementer optamus, ut ea laudent, nostrisque sententiis album adjiciant calculum; hinc & aliis idem officium præstamus, si tamen hoc nomine digna est temeraria & ingenuo homine indigna assentatio. Verissimum est illud *Senecæ* quod extat Epist. 59. *Illud præcipue impedit, quod cito nobis placeamus, si invenimus qui nos viros bonos dicant, qui prudentes, qui sanctos, agnoscimus. Nec sumus modica laudatione contenti: quicquid in nos adulatio sine pudore congessit,*

tanquam debitum prendimus. Optimos nos esse, sapientissimosque affirmantibus assentimur, cum sciamus illos sæpius mentiri: adeoque indulgemus nobis, ut laudari velimus in id, cui contraria quammaxime facimus. Ita vero fieri aliter non potest, quam ut cæco amore abrepti, & amicorum falsis laudibus inescati, citius quam par erat, scripta nostra in publicam protrudamus lucem, ea admiremur, nobis plaudamus, & semel animis infuso inclarescendi studio, nullo monitore intercedente, magis magisque intumescamus.

Promovent, (quod quinto loco notari volumus) *hunc morbum, ipsi Ephemeridum literariarum scriptores, dum libros parum accurate scriptos laudant, & fastum passim in libris regnantem non ea, qua oporteret, libertate notant.* Scio non eos tantum, qui rara eruditione & præcellentissimo ingenio instructi sunt, libertatem habere, sua cogitata cum eruditis communicandi. Libera est Respublica literaria: nullus Dictator hic locum habere debet. Fateor enim, non omnes errores, qui forte in scriptis hujus vel illius reperiuntur, acerbius esse perstringendos. Dantur mediocris ingenii & eruditionis viri, sed qui modeste de se, suisque laboribus sentiunt, placide de aliis judicant, & ad monita virorum doctorum benevole audienda paratissimi sunt. Hi, si forte cespitaverint, bysſinis verbis meliora sunt edocendi. Sed ab altera etiam parte dantur multi, qui centies dicta repetunt, nihil quod dignum legi sit, in lucem proferunt, altos tamen spiritus gerunt, viros vere doctos lacessunt, & in iis exagitandis nescio quam sapientiæ & pietatis laudem quærunt. Hi mea opinione ab iis, qui ejusmodi Ephemerides scribunt, ita essent notandi, ut omnium risui & contemtui exponerentur, atque in posterum modeste de se, aliisque loquerentur, vel, quod præstaret, immaturos ingenii fœtus in ipso partu enecarent. Hæc autem præstanda essent sine partium, sectæque studio. Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine est habendus. Cum vero hoc frequenter variis ex causis negligatur, mirum haud est, quod indocti etiam, & non iis ingenii & eruditionis copiis instructi, quæ Scriptori verum decus adferre possunt, pergant literis famam quærere, ridiculi esse, tempus pretiosum & breviſſimum non necessariis terere, & præclare de se, suisque meritis, sine ulla tamen sontica causa, sentire.

Vitium

Vitium hoc, (VI.) laudem & famam consequendi *fovet & promovet communis ille error multorum eruditorum, quo imbuti existimant, cum Aristotele, veram hominis felicitatem consistere in sola contemplatione veritatis.* *Aristoteles Ethic. Lib. X. cap.* 8. ita de hoc argumento loquitur: Αλλα μην ζην δε παντες υπειληφασιν αυτες και ενεργειν αρα· ου γαρ δει καθευδειν ωσπερ και Ενδυμιωνα. Τω δη ζωντι τε πραττειν αφηρημενω, ετι δε μαλλον τε ποιειν, τι λειπεται πλην θεωριας, ωστε η τε θεε ενεργεια μακαριοτητι διαφερουσα θεωρητικα αν ειη. Και των ανθρωπινων δε η ταυτη συγγενεστατη ευδαιμονικωτατη. Σημειον δε και το μη μετεχειν τα λοιπα ζωα ευδαιμονιας της τοιαυτης ενεργειας υπαρχει. i. e. At vero vivere ipsos universi putant, quare & operari; non enim oportet eos ut Endymionem, ajunt, dormire. *Viventi igitur ei, cui actio & multo magis effectio non tribuitur, quidnam aliud præter contemplationem restat. Quare operatio Dei præcellens beatitudine contemplativa sine controversia fuerit. Et humanarum igitur operationum ea est homo summe felix, quæ illi maxime est cognata: signum est hujus & animalia cætera felicitatis expertia esse.* Ex hoc *Aristotelis* loco patet, eum, & turbam ingentem sectatorum, qui vel eruditione florent, vel sibi eruditi videntur, Deum sibimetipsis similem, adeoque imitandum putasse. Nimirum hi homines plerumque vitæ tempus indefesso studio literis vacarunt, atque ex eo summam voluptatem perceperunt. Hinc ex ingenii sui modulo, & animorum statu, non alios homines duntaxat, sed & Deum ipsum mensurantur, similique adfectioni deditum esse existimant. Sed mea opinione falluntur Stagirita & sequaces ejus: Quanquam enim Deum jugi virtutum suarum contemplatione delectari non negemus; patet tamen, ex ipsa rerum creatione, conservatione & regimine Universi, respiciendo ad τα αιδητα & ad τα νοητα, potius in constanti bonitatis, potentiæ & sapientiæ, exercitio felicitatem Optimi Numinis consistere, quam in nuda sui & rerum creatarum contemplatione. Quid enim esset vastissima illa rerum Universitas, si Deus jugi contemplationi suarum virtutum intentus, omnia fortuitis casibus temere ruentis materiæ molis, aut hominum voluntati, permitteret, incurius rerum humanarum? Similiter infelix esset generis humani status, si ejus felicitas in sola contemplatione consisteret, cum plerique mortalium ad jugem ejusmodi & eruditam rerum divinarum & humanarum contemplationem sint inepti-

Non negamus, animos eruditorum ex contemplatione rerum præstantissimarum singularem capere voluptatem; neque inficias imus quosdam etiam reperiri, qui suavem hunc sensum, neque cum divitiis Crœsi, vel cum exquisitis etiam deliciis, facile commutaturi essent. Sed præterquam quod pauciſſimi ita animati sint, inficiamur, veram hominis felicitatem in hoc positam esse. Non quæritur, quam suaviter vivat talis eruditus, sed quid Deo, sibi & societati, debeat. Sane, si quis, quod tenentur præstare omnes, radices vitiorum suorum quantum potest, evellere; si tumultuantium adfectuum vim frangere; si ea, quæ Deo grata sunt, quotidie præstare vult; si toti se mundo genitum esse probe meminit, &c. &c. satis habet, quod agat, & mox deprehendet, non tam in contemplatione, quam vero in jugi, perpetua & constanti actione & labore vitam esse transigendam. Et quis credat, nos in angustum hoc corporis ergastulum vel ideo tantum conjectos, ut neglectis illis, quæ ad emendationem nostri & ad proximi utilitatem facere deberent, abstrusarum rerum contemplatione animos fatigemus, & evanida cerebri φαντασματα, fluxumque idearum continuo advenientium & abeuntium observemus? Quod si dicas, non quarumlibet rerum contemplatione mentem pasci, & felicem reddi; se præstantissimarum duntaxat, & diviniſſimarum, nodum non solvis; vel enim res illas præstantes contemplamur duntaxat, vel ideo hoc facimus, ut, quæ jugi meditatione digna esse putavimus, in vitæ usus revocemus, atque adeo variis officiis adaptemus. Prius duntaxat præstare velle absonum est. Sapiens enim nihil sine fine agit. Sed finis omnis meditationis est actio. Confer virum doctum, per omne vitæ tempus subtiliſſimis contemplationibus intentum, atque eo nomine valde sibi plaudentem, cæterum rerum, quæ in Ecclesia, in Republica, in familia & domo sua aguntur, incurium, & ad vitæ varia officia & munia obeunda prorsus imparatum; confer inquam ejusmodi virum cum artifice operibus manuum sedulo intento, & victum sibi parante, ad omnia officia Deo, Patriæ, familiæ, pro ingenii captu & viribus, præstanda paratiſſimo, cæterarum rerum, de quibus eruditi solliciti esse solent ignaro, & facile sapienti constabit, uter magis *felix* sit deprædicandus. Non repetam, quod supra dixi, pleroſque mortalium ad fixam ejusmodi & jugem contemplationem rerum divinarum & humanarum

narum instituendam esse ineptos; videamus in quarum rerum contemplatione tantas plerique quærant delicias. Multi animos pascunt contemplatione rerum abstrusarum, nihil, aut parum ad felicitatem omnium promovendam facientium, difficilium sæpe nugarum. Quidam delectantur abstractissimis Metaphysicorum ideis; in mundo quodam intelligibili versantur, & corpore sese indutos tantum non obliviscuntur: alii per omnem fere vitam vastissimorum corporum in cœlo fluitantium naturam & motus contemplantur, ignota habitacula hominum in planetis degentium rimantur, ad maculas solis diligenter attendunt, vitiorum mentis plane immemores. Hic se beatum & valde felicem deprædicat, si quæ de religione inde a condito mundo usque ad suam ætatem stulte & inepte dicta sunt, perspecta habet: Alius insignem in omnis generis errantibus refellendis & perstringendis voluptatem capit, & viam ad cœlum nonnisi iis aperit, qui eadem, quæ ipsemet probat, defendunt, cæteros omnes miseras orci victimas esse pronuntiat. Quidam per omnem vitam in imitanda eloquentia Ciceronis desudant, & si magnos in hoc studiorum genere fecerunt progressus, sibi vehementer plaudunt, existimantes, in hac peritia sermonis omnem sapientiam esse repositam. Denique, ut alia mittam, non desunt, qui tum demum se se eruditos & felices esse putant, si veterum Romanorum & Græcorum mores & consuetudines cognitas habent; si urere, secare, transponere verba, & cum fastu antiquis pariter & recentioribus Criticis insultare possunt. In his multi Eruditorum vitæ tempus præcipuum terunt; at qui pretia rerum novit, & quem in finem ab O. M. Numine conditi simus ἀτερ παθων expendit, nunquam sibi persuadebit, in his veram felicitatem & dignitatem hominis positam esse. Quidam ex hoc numero sæpe variis sunt dediti vitiis; hæc vero ubi animos vehementer occuparunt, veram mentis tranquillitatem fugant, adeo ut peracta aut ad finem vergente ætate sentiant, quam parum præsidii in multis partibus eruditionis humanæ reperiatur. Sane hi homines mihi similes videntur cervo illi in fabula, qui ramosa mirans laudabat cornua, tenuitatem vero crurum suorum vituperabat; cum vero venatorum vocibus excitatus, ope horum per campum fugiens, canes facile elusisset, cornibus impeditus & a canibus captus, in hanc moriens erupit vocem: *O me infelicem! qui nunc demum intelligo, ut illa mihi profuerint,*

quæ despexeram, & quæ laudaram, quantum luctus habuerint. Nollem quemquam hæc ita interpretari, ac si cum nescio quibus devotis animabus literarum omnis generis culturam negligendam, aut prorsus abjiciendam putarem; sum enim ab hac opinione alienissimus; sed hoc duntaxat volo, tantum temporis, si non plus homini christiano inprimis, vacandum officiis, quæ Deo, Patriæ, amicis liberisque debemus, quantum consecramus optimis studiis, neque unquam hæc pia studia a conatibus laboribusque ad eruditionem spectantibus separanda. Hoc demum mea opinione est sapere, & vere eruditum esse.

Recte de hoc argumento differit *Seneca*, epistola XX. ad *Lucilium* suum scribens: *Te rogo ut philosophiam in præcordia ima demittas, & experimentum tui profectus capias non oratione nec scripto, sed animi firmitate & cupiditatum diminutione. Verba rebus proba. Aliud propositum est declamantibus & assensionem coronæ captantibus, aliud his qui juvenum & otiosorum aures disputatione varia aut volubili detinent. Facere docet philosophia, non dicere, & hoc exigit ut ad legem quisque suam vivat, ne orationi vita dissentiat, ut ipsa inter se vita unius sine actionum dissensione coloris sit. Maximum hoc est & officium sapientiæ & indicium, ut verbis opera concordent, ut & ipse ubique, par sibi, idemque sit.* Cum vero multi hæc divellant, & in sola cultura literarum veram gloriam quærant, mirum non est, multos inclarescendi magno desiderio tangi, licet non iis præsidiis sint muniti, quibus vera gloria comparatur.

Denique, (ut alia plura mittam) homines tanto ardore laudis & famæ incensi, *non cogitant satis de exiguis effectibus & fructibus, quos pleraque scripta in animos hominum habent.* Scopus eorum, qui cum aliis meditationes suas & labores communicare solent, is potissimus esse debet, ut nimirum homines a gravioribus erroribus & vitiis revocent, veramque generis humani felicitatem quærant. Eum in finem traduntur præcepta varii generis, quæ felicitati hominum internæ & externæ promovendæ inservire possunt. Excellentissima vero præcepta & media nil prosunt, si ad vitæ usus non revocentur. Atqui experientia testatur, pauciissimos, (ut de errantibus duntaxat agam) eo adduci, ut veritati victas dent manus. Pauciissimi mortalium legere dignantur scripta, quæ de erroribus religioni contrariis agunt. Multos vel ipsum vocabulum *controversiarum*

versiarum offendit: vel si talia aliquando legunt, faciunt id obiter, vel præjudiciis capti, accurato ea examini non submittunt, vel denique, si veritatis lux oculos aperit, fateri tamen errores aut nolunt, aut non audent. Postquam enim semel in partes itum est, plerique sententiis, quas juvenes imbibere, tanquam saxo adhærent, neque facile a se impetrare possunt, ut fateantur, se erroribus hactenus addictos fuisse. Notum insuper est, non sine periculo, non dicam errores graves, sed & leviores impugnari. Exoriuntur enim statim clamores, rixæ & contentiones. Atque hæc causa est, cur innumera scripta polemica vel nullum, vel exiguum usum habeant. Idem fere dixeris de plerisque scriptis exegeticis. Libertas interpretandi in iis duntaxat locis conceditur, quæ in controversiam non veniunt. Ubi vero de locis, quibus quælibet pars sua dogmata probare solet, agitur, frenum menti suæ injicere debet Interpres; imo vero res in quibusdam locis eo est redacta, ut, licet Interpres ex animo cuidam dogmati sit addictus, unum vero vel alterum locum ad hoc vel illud dogma stabiliendum offerri solitum rejiciat, non desint, qui clament, ipsum dogmati ipsi vere addictum non esse. Scripsit ingeniosus Anglus libellum, quo probare voluit lectionem S. Literarum esse periculosam plane: Inter alia hoc utitur argumento, quod nimirum etiam illi, qui illas serio evolvant, & expendant, heterodoxis, & a recepta sententia alienis sententiis & interpretationibus, imbui possent; planum est, eum ironia duntaxat uti, eosque perstringere voluisse, qui eo fine duntaxat S. Literas legunt, ut inveniant eas opiniones, quibus a juventute subscripserunt. Et profecto huic malo vix, ut sunt res hominum, obex poni potest: videas doctissimos Interpretes, ubi ad locum quendam suis opinionibus contrarium deventum est, ita se torquere, & tenebras luci inferre, ut vix in unum hominem tam diversum agendi, & ratiocinandi modum cadere posse, tibi persuadere possis. Interim res ipsa tamen verissima est. Fassus hoc est ὁ μακαριτης cl. *Werenfelsius*, Theologus, omnium, qui sapiunt, judicio, perspicacissimus. Hic vero in dissertatione sua de *scopo interpretis* ita de hac materia loquitur: *Maxima pars hominum non id agunt, ut e Scriptura discant, quid sibi credendum sit, sed ut, quod crediderunt ante, ex ea confirment. Rapit hic quisque ad suam sententiam stabiliendam, quicquid sibi prodesse*

deſſe putat: quod obeſt detorquetur, aut neſcio qua diſtinctione eluditur: atque ita παρεγμενεια alia aliam poſt ſe trudente tantum non ubique verus Scripturæ ſenſus amittitur. Apoſtolus utilem Scripturam S. & merito prædicat ad παιδειαν & ελεγχον: unde recte adverſus Doctores E. R. pertendimus, omnium controverſiarum, quas decidi noſtra intereſt, deciſionem in hoc libro reperiri. Et reperiretur certe, ſi ea mente Scripturam Sacram legeremus, qua illam legere oportet. Sed fatendum eſt, culpa hominum pene factum eſſe, ut Scriptura hodie ad doctrinam & redargutionem inutilis ſit. Quem enim diſſidentium meliora docere poteſt, cujus errorem corrigere, quas lites dirimere; ſi jam nemo quicquam in ea cernit, niſi quod vult cernere, & errans nihil aliud quam errorem ſuum in iſto loco videre cupit, non minus quam recte ſentiens veritatem? Hactenus ille vir. Mitto exempla, quæ ex aliis diſciplinarum partibus adduci poſſent. Quod ſi vero viri optimi & præſtantiſſimi, qui non tam laudem & famam quærunt, quam vero veritatis cognitionem & felicitatem promotam vellent, ſcopo ſuo ſæpe excidunt, pauciſſimoſque ad veritatis cognitionem & confeſſionem adducunt, cur vanæ laudis tantum captatores, tantum laboris inſumunt, ad famam eruditionis conſequendam?

XII. Ex iis, quæ hactenus de hoc argumento dixi, aliqua jam ratione cernis, *Vir Clariſſime*, quibus mediis ſit utendum, ad morbum hunc epidemicum, ſi non prorſus tollendum, ſaltem imminuendum. Nimirum ante omnia neceſſe eſt ut Præceptores, Profeſſores & Amici, mature huic malo obicem ponant: Quod fiet, ſi omni data occaſione vanitatem hujus vitii vivis coloribus depingant, & animos adoleſcentum, eruditionis opinione tumidos, continuis interrogationibus fatigent, & hac ratione arrogantiæ ſuæ convincant. Illi vero ipſi, qui hujus morbi indicia in ſemetipſis deprehendunt, in ſe deſcendere & vires ſuas tentare, amicorum vero, adulatorumque benigna judicia de ſuis laboribus, non magni æſtimare debent. &c. &c. Sed juvat, ut terminis Medicorum utar, ſpecifica quædam proferre remedia, quæ impedire poſſunt, quo minus animus nimio inclareſcendi ſtudio inficiatur. Et *primum quidem erit, ſi adoleſcentes, literis per vitam vacaturi, philoſophicas & mathematicas diſciplinas rite addiſcant.* Notum eſt, has diſciplinas rite addiſci non poſſe, ſine judicio quodam acuto, meditatione, attentione, & accurata idearum collatione. Hac ratione omnium optime juvenes

ſentiunt,

sentiunt, quid vires valeant, quid ferre recusent. Hæ animos præparant ad ingenii humani imbecillitatem probe cognoscendam. His præparati vident, quantum requiratur ad veri nominis *demonstrationem*: ita denique demum deprehendunt, quam multa ignoremus prorsus, quam pauca vero perfecte cognoscamus; quam facile specie veri nobis imponant sophismata, & verborum involucra; quam difficulter ex primis & immotis principiis reluctantem, & a nobis dissentientem, refellamus, & falsi convincamus. Ejusmodi meditationes seriæ nos sapientes & modestos efficere possunt; animadvertimus enim ita, arctissimos esse scientiæ humanæ limites; hæremus enim circa naturam *ideæ*, & *atomi*, ut de mille aliis nil dicam. Non possum ea, quæ de hoc remedio dicenda essent, melioribus verbis exprimere quam iis, quibus usus est *celeb. Werenfelsius*, antidotum contra logomachias, quæ plerumque ex nimio disputandi & inclarescendi studio oriuntur, suppeditaturus. Ita enim doctissimus ille vir, differt. de *logomachiis* cap. X. differit. *Assuescant* (inquit) *adolescentes meditari, animum intendere, attentionem conservare, ordine conveniente a cognitis paulatim ad incognita proigredi, omnia, quæ discunt, ex principiis suis deducere, certa ab incertis, evidentia a verisimilibus, magis probabilia a minus probabilibus discernere: adsuescant quoque ignorantiam suam in plerisque rebus animadvertere, ut discant ingenio suo & scientiæ diffidere, judicium sæpe cohibere, ac tardi esse quidem in adsentiendo, sed in condemnando longe tardiores. Exerceantur in iis ubi disputationibus locus non est, quales sunt arithmeticæ & geometricæ demonstrationes, qdversus quas, si quis argumentari vellet, merito suo ab omnibus rideretur; quæ disciplinæ ad scopum nostrum propterea quoque utilissimæ sunt, quia nullæ aliæ magis a verbis nos ad res ipsas deducunt. Hæ solæ ab omnibus vocabulis nihil significantibus penitus sunt perpurgatæ: in his solis in eo nemo fallitur, quod voces quasdam, quibus nulla in mente distincta respondet notio, memoria tenens, rem ipsam sibi intelligere videtur. Scio non cuilibet licere in his artibus conseneſcere, sed προπαιδιας loco periculum in iis facere, saltem in eum finem, ut mature discernere discamus, quid sit scire, quid nescire, ac propterea, quid nos ipsi sciamus, quid nesciamus, ubi nuda verba, ubi res ipsas teneamus, omnibus licet, & omnibus utile est, si non necessarium.* Hactenus B. *Werenfelsius.* Profecto saluberrimi fructus ex cognitione harum

disciplinarum ad omne genus eruditionis redundant: discimus inde verum scientiarum & eruditionis pretium, inprimis si his disciplinis accedat studium *Ethicæ philosophicæ & christianæ*. Ope Philosophiæ deprehendimus, in omnibus disciplinis multa reperiri non necessaria, multa ad ostentationem potius, quam vero ad veritatis inquisitionem, generisque humani utilitatem facientia. Ex ea edocemur, alia accurate esse cognoscenda, alia vero leviter transmittenda. Sine his literis Criticus & Philologus, nisi θεια quadam μοιρα placido sit ornatus ingenio, ridiculum, morosum & superbum sese exhibebit, omnem sapientiam in apicibus literarum, & arte conjectandi & emendandi, reponet. Theologus his disciplinis non imbutus, minime operam dabit, ut & ipse de religionis capitibus principalibus rite sit edoctus, & ut alios de iisdem convincat; leve a momentoso discernere non valens, controversias nullius momenti eodem fervore tractabit, quo discutiuntur ea, quæ cum salute connexa sunt; in dissentientes omnes promiscue parata tollet cornua; pietatis vero promovendæ studium tam acriter non urgebit. His vero rite imbutus disciplinis, operam dabit, ut animum ipsemet primum emendet suum, antequam de errantibus revincendis sollicitus sit, probe gnarus, pestilentissimam hæresin esse improbam vitam. Modestus insuper erit, mitis & pacificus. Ea potissimum suis auditoribus inculcabit, quæ ad veram felicitatem consequendam plurimum conferunt. Ex omni Theologiæ apparatu, exempla in medium proferet, quæ mentis nostræ in rebus divinis rite cognoscendis imbecillitatem & imperfectionem manifestam faciunt; unde & auditoribus suis eos commendabit, qui de articulis fundamentalibus, de vero & falso Theologorum zelo, de docta in Theologia ignorantia &c. &c. erudite scripserunt; frequenter elegantissimos illos J. *Scaligeri*, quos & hic extare volo, versiculos discipulis in memoriam revocabit.

Ne curiosus quære causas omnium
Quæcunque libris vis Prophetarum indidit
Adflata cælo plena veraci Deo
Nec operta sacri supparo silentii
Irrumpere aude, sed prudenter præteri.
Nescire velle, quæ Magister Optimus
Docere non vult, erudita inscitia est.

Divi-

Divinum illud præceptum M. *Erasmi*, quod in elegantissimo libello, *de ratione veræ Theologiæ* dedit, quavis data occasione ingeminabit; sonat autem ita: *Ad veram Theologiam perveniendi primum præceptum est, ut ad hanc Philosophiam plane cœlestem animum adferamus ea dignum, non tantum purum ab omnibus, quoad fieri potest, vitiorum inquinamentis, verum etiam ab omni cupiditatum tumultu tranquillum ac quietum. Hoc sacrum limen adituris absit omnis fastus, procul absit illa veri nocentissima pestis, gloriæ fames.* Erunt forsitan, qui contrarium probaturi, ad omnium seculorum experientiam, ad ingeniosissimum *Lucianum*, provocabunt, ex quibus pateat, inter Eruditos, Philosophos inprimis, fastu, superbia, & inclarescendi studio, in præceps actos fuisse. Non nego multos veterum & recentiorum Philosophorum hac labe infectos fuisse. Sed hoc non obstante duo repono. *Prius* est; omnium sapientum consensu, vitia docentium disciplinis ipsis adscribi non debere: Ita nemo negabit, multos ex iis, quos V. D. Ministros & Theologos appellamus, religioni, quam profitentur, minime convenienter vivere; nemo tamen propterea dicet, religionem sua natura ad pietatis studium conferre nihil. Unde etiam sequitur, fastum, quo multi Philosophorum turgebant, non impedire, quo minus asseramus, culturam accuratam philosophicarum disciplinarum multum conferre ad vanæ laudis studium minuendum. *Posterius* quod moneo hoc est; nimirum Philosophi nomine non intelligo hominem, qui duntaxat artem ratiocinandi callet, principia & hypotheses systematis alicujus probe intelligit, & adversus dissentientes eadem tueri & defendere potest; sed eum potissimum, qui simul animum a pravis adfectibus purgavit; qui accuratam habet sui & facultatum suarum cognitionem; qui vera rerum & scientiarum pretia perspecta habet; qui temere nihil admittit vel rejicit; qui modestus, veri amans: uno verbo, ut dicam, eam imaginem Philosophi animo meo repræsento, qualem depinxit in suis opusculis B. *Werenfelsius*, & post eum vir doctissimus J. F. *Mejerus Halensis*. Hominem vero, ejusmodi virtutibus ornatum, aptissimum esse, ad inanem superbiam retundendam, nemo iverit inficias. Talis sane facile deprehendit, veram eruditionem sine sapientia & mentis cultura locum habere non posse, sed veræ virtutis studium cum amore literarum copulandum esse; persuasus erit, eos non recte sapere, qui

multa quidem volumina evolverunt, sed in omni vitæ ratione promiscua turba sapientiores & meliores non sunt. Et quid tandem judicabunt homines literarum rudes, si videant, eos quos eruditos appellamus, quosque supra cæteros mortales laudibus extollimus, ambitioni, rixandi studio, iræ præcipiti, aliisque vitiis deditos valde esse; quid inquam judicabunt de literis & disciplinis, quas jure meritoque commendare solemus? An non tales Philosophi μεχρι τυ λεγειν ανευ τυ πραττειν in causa sunt, ut literis suum pretium non constet inter omnes? An non multi eruditos pro umbraticis habebunt doctoribus, & eruditionem, tantopere celebratam, Charlataneriæ (ignoscant eruditi huic vocabulo minime ciceroniano) quoddam genus esse pertendent? Quo ipso manifestum est, cum Philosophiæ studio conjungendam esse sapientiam, modestiam, & veri rectique amorem. Hæ vero virtutes ad fastum & inane inclarescendi studium deprimendum multum conferunt.

Secundo multum ad morbum illum minuendum conferre crediderim, *si literarum studiosi maturiore ætate eos evolvant auctores, qui erudite & acute monstrarunt quam multis pleræque disciplinæ obseptæ sint difficultatibus.* Dico autem *maturiore ætate* hoc præstandum esse; postquam nempe gravissimarum scientiarum fundamenta rite sunt jacta, & inprimis animi accuratiore notitia Theologiæ & Philosophiæ sunt imbuti. Antequam hoc factum est, nollem cuiquam auctor esse, ut libellos ejusmodi evolveret, quoniam in morbum alium, nimirum studium & voluptatem de omnibus dubitandi, incidere posset. Novi homines, qui, cum Philosophiæ & Theologiæ præceptis non satis imbuti ad ejusmodi libellos avide legendos animos adjecissent, in graves prolapsi sunt errores, & accedente fastu, in vitam rectam reduci non potuere. Faciendum igitur hoc suaserim, quando animus graviorum disciplinarum cognitione est instructus, ingeniumque variis exercitationibus probe excultum est. Hi enim libri animos præparant ad accuratum examen eorum, quæ hactenus a nobis credita pro veris fuerant, instituendum. Hi docent, non levibus fundamentis superstruendas esse sententias, quas defendere volumus: monstrant, sæpe nos ignorare, quod pulcherrime scire nobis videmur: animos ad prudentem ἐποχην sectandam quasi trahunt; & quantum sit, quod ignoremus, & imperfecte cognoscamus, monent. Præconium est memoratu

moratu digniſſimum, quod *Cælio Calcagnino*, viro ſapientia non minus quam doctrina præſtanti, cujus inter eruditos, qui ſeculo XVI. Italiam illuſtrarunt, haud ignobile nomen eſt, in elogio ſepulcrari bibliothecæ, in qua, ut maximam vitæ partem egerat, ita condi volebat, inſcripto tributum legimus. Ex diuturno enim ſtudio inprimis hoc didiciſſe laudatur, *mortalia contemnere, & ignorantiam ſuam non ignorare.* Quod dum cl. *Stolle* in deſcriptione ſuæ bibliothecæ refert, ſubjicit: *Wenn dieſes alle Gelehrten zu Herzen nähmen, ſo hätten wir nicht ſo vil Windmacher in der Welt.* Hoc teſtimonium debeo diligentiæ cl. & doctiſſimi G. *Albrecht*, Conrectoris Francofurti ad Mænum digniſſimi mihique faventiſſimi, quod extat diſſ. III. de *docta & laudabili in ſtudio exegetico ignorantia.* A multis egregiis & doctis viris audivi, ſe lectione talium librorum a faſtu, ſuperbia, δοκησιτοφια retractos fuiſſe. Scio, quoſdam præpoſtere doctos optare, ut ejuſmodi libri ex orbe literato proſcriberentur, & hominum manibus excuterentur. Quod ſi viri hi hoc tantum vellent, libros nimirum ejuſmodi non promiſcue ab omnibus eſſe legendos, minime omnium ab adoleſcentibus, artis ratiocinandi non ſatis peritis, & ſolidiore cognitione graviſſimarum diſciplinarum deſtitutis, pedibus in eorum ſententiam irem: ſed cum erectiora & præſtantiora ingenia a lectione horum librorum arcere volunt, næ illi minus prudenter agunt; ita enim ratiocinando tacite confiteri videntur, eam eſſe vim & efficaciam illarum difficultatum, quæ contra ſcientiarum & religionis fundamenta moventur, ut nihil illis cum aliqua veri ſpecie poſſit opponi. Si vero hoc falſum eſſe putant, quid obſtat, quo minus illæ difficultates expendantur, & ad lydium rationis lapidem exigantur? Num dicendum, in religione chriſtiana v. gr. dari dogmata contradictoria, quia auctores horum librorum omnem ingenii aciem intendunt, ut hoc probent? An nihil erit certi, quia Pyrrhoniſmum quidam defendere aggreſſi ſunt? Non putarim. Ea certe dogmata, quibus innixa eſt religio chriſtiana, (de ſingulis opinionibus Theologorum non loquimuur) ut de principiis mathematicis & metaphyſicis jam nil dicam, tam ſolidis fundamentis ſunt ſuperſtructa, ut rigidiſſimum examen ſuſtinere poſſint. Hoc certum, lectionem ejuſmodi libellorum plurimum conferre poſſe, ad faſtum, ſuperbiam & jactantiam, qua multi vanæ gloriæ cupidi conſtricti ſunt, ſi non ſup-

primendam, saltem minuendam. Quinam autem hi libri sint, tute *Vir Clarissime* optime nosti.

Immo; quod *tertio loco* addo, *libri de vanitate scientiarum, de moribus & incommodis Doctorum umbraticorum, similisque generis, agentes, non parum faciunt ad inane illud gloriæ & famæ studium reprimendum.* Longa & difficilis via est perveniendi ad sanitatem mentis per præcepta; brevis & expedita per exempla. Qui igitur ejusmodi libros, quorum nomina supra adduxi, evolvit, & deprehendit, quam ridiculos sese exhibuerint homines inepto fastu turgidi; quos risus excitarint; quo aceto perfusi fuerint a viris doctis; ut famam, quam immortalem reddere voluerant, turpiter decoxerint; tempusque melioribus consecratum negotiis misere perdiderint; ille inquam, qui hæc serena mente expenderit, nec insanabili laudis cupiditate in præceps actus est, operam dabit, ut potius animum gravissimis disciplinis excultum habeat, quam ut festinanter ad alios docendos sese accingat. Huc etiam referre possumus ipsius *historiæ literariæ* studium, caute & sobrie institutum. Historia literaria est *historia sapientiæ & stultitiæ.* In ea enim ceu in brevi tabella, ut ingeniorum humanorum præstantiam & efficaciam, sic eorundem vanitatem, imbecillitatem, excessus & defectus deprehendimus; manifestum ex ea erit; plerosque errores eruditorum a nimia inclarescendi cupiditate & famæ studio originem traxisse. Unde sapiens colliget, hæc vitia omni cura esse vitanda. Sane qui non eo animo historiæ literariæ vacat, ut sapientior, modestior, in dissentientes æquior fiat, ille nondum vera rerum pretia mihi perspexisse videtur.

Quarto tandem & ultimo loco *considerare deberent homines laudis duntaxat & famæ consequendæ studio incensi, ab una parte vitæ nostræ brevitatem; ab altera officiorum, quæ Deo, proximo & nobis debemus, necessitatem & gravitatem.* Vitam nostram brevem & fluxam esse, nemo est qui inficietur. Eruditi pariter & plebeji hoc uno ore fatentur. Vita hæc brevis innumeris negotiis & curis est obsepta, quæ mentem distrahunt, & ab officiis præstandis avocant: multum temporis somno, conviviis, deambulationibus, imo nihil agendo terimus; vacamus uxoribus, reddimus amicis tempora, facultates ad bene & commode vivendum corradimus, morbis divexamur, &c. &c. præclare Manilius.

- - *tam*

- - tam ſollicitis vitam conſumimus annis
Torquemurque metu, cæcaque cupidine rerum,
Æternique ſenes curis, dum quærimus ævum,
Perdimus & nullo votorum fine beati
Victuros agimus ſemper, nec vivimus unquam.

Interim ruit irreparabile tempus, & incerti ſumus, quando ad plures nobis eundum ſit. Hoc ſtudium inſuper inclareſcendi, & libros qualeſcunque edendi, animos fatigat, vires corporis frangit, & non raro veri amantes in difficiles morbos præcipitat. Quam ineptum vero eſt, vitam tot curis diſtrictam ſibi reddere acerbiorem?

Quod ſi ab altera parte ad officia, quæ Deo, parentibus, patriæ & nobis debemus, attendimus, bone Deus! quam manifeſtum eſt, eos omnes perperam agere, qui neglectis his graviſſimis officiis, in id duntaxat ſunt intenti, ut laudis & eruditionis famam captent. Profecto, ſi homines illi, antequam perverſæ huic cupiditati frena laxarent, taciti ſemetipſos interrogarent, utrum animos ſuos excellentiſſimarum rerum cognitione inſtruxiſſent; utrum omnibus præjudiciis, aut præcipuis ſaltem, quæ nos in cognitione veritatis & virtutis morantur, valedixiſſent; num amorem voluptatum, ambitionem, ſordidum habendi ſtudium &c. ex animis eradicaviſſent; num denique perſpicaces, ſapientes, modeſti & pii evaſerint, haud dubito, quin plurimi ſurdo illo monitore conſcientia adacti, confeſſuri eſſent, ſe nequidem hactenus de his officiis cogitaſſe, nedum ut de iis præſtandis præ cæteris fuerint ſolliciti. Quis autem eſt tam abſonus, ut aſſerat, pluris intereſſe, linguarum peritiam habere, locos corruptos emendare poſſe, quam animos turpiſſimis adfectionibus captos correxiſſe? Quis ſanæ mentis homo contendet, majoris momenti rem eſſe, ſcire quid *Plato*, quid *Ariſtoteles*, quid *Carteſius*, quid *Leibnizius*, aliique Sophi ſenſerint, quam ea intelligere & præſtare, ſine quibus beati eſſe non poſſumus? Quis affirmaverit, præſtare omnium gentium de religione opiniones perſpectas habere, quam ea officia rite cognoſcere & cuſtodire, quæ divinus Legislator nobis injunxit, & ſine quorum præſtatione infelices ſumus? At quid aliud agunt homines nonniſi famæ cupiditate incenſi, quam ut, quæ præſtantiſſima ſunt, negligant, aut

ſegniter

segniter curent, in iis vero vitam potissimum consumant, quæ veram sapientiam & mentis tranquillitatem nobis conciliare non valent? Nimirum hi homines volunt esse *duces cæcorum*, & *celeberrimi viri*, hactenus tamen sapientia prima destituti sunt, quæ est, stultitia caruisse: adeo verum est illud ingeniosissimi Viri D. L. M. *Vayerii* dictum: *Dans ce grand Hôpital des incurables, il n'y a point des plus foux, que ceux, qui veulent guérir les autres.* Perpende mecum, *Vir Clarissime*, quid Deo, patriæ & proximo debeamus. Deum, præstantissimum illud Numen, tenemur cognoscere, amare, colere, in communione ejus nostram salutem quærere, & pro gloria ipsius promovenda omnia facere & præstare; omnem vitam nostram ad Ipsius nutum componere. Debemus patriæ inservire, imo toti mundo nos genitos existimare. Sunt officia sanctissima, quæ parentibus, liberis, amicis, omnibus denique in universum præstanda sunt. Quam difficilia vero præstitu sunt hæc officia? quæ impedimentorum, undique ingruentium, moles? Digna sunt, quæ hic adducantur, verba Ph. *Mornæi*, viri Arte & Marte illustris, prolata in libello de *vitæ mortisque consideratione* pag. m. 42. *Scientiæ atque artes* (inquit) *mentem quidem inexhausto labore fatigant, nullam tamen duraturam homini tranquillitatem conciliant. Quanto majore mens nostra cognitione fœta plenaque est, tanto uberiorem nobis comparare studemus, neque ulla scientia illas, quæ animum nostrum in diversa rapiunt, controversias, tollit, aut summovet miseros tumultus mentis* (ut ait Poëta) *& curas, laqueata circum tecta volantes. Mentem quidem eruditione poliunt artes, vitiis ac morbo minime liberant; doctrina excultum reddunt, bonum neutiquam; scientem, haud sapientem. Adde quod quanto quisque uberiorem nactus est cognitionem, tanto minus se profecisse fere agnoscit: quanto mens disciplinis onustior est, tanto se magis vacuam & inanem esse comperit, usque adeo etiam, ut quantacunque homini in hoc mundo cognitio obtingere potest, eorum sit, quæ a nobis ignorantur vel minima portio, summaque nostra sapientia in insciticæ atque ignorantiæ propriæ, universa demum hominis perfectio in imperfectionis cognitione consistit; quam quidem ut quisque maxime consecutus est, ita & majori cæteris mortalibus sapientia præditus, facileque omnium perfectissimus.* Eant igitur vanæ auræ captatores, & dicant, nihil esse quod agant; credant, se ad id tantum natos, ut non necessariis animos fatigent;

ut

ut quovis anno fœtum ingenii, qui sæpe in ipso partu enecandus esset, in lucem edant; ut sudent, consarcinent undiquaque collectanea, & multum agendo famam quandam eruditionis adipiscantur; lubentes hoc gaudium ipsis concedimus, dummodo fateantur, se hactenus, dum *hoc unum* obtinere conati sunt, nondum sapere, nondum hominis sapientis & boni civis officia impleviſse. Erunt forte qui dicant, posita veritate argumentationis meæ, multos a scribendis libris absterritum iri. Quanquam periculum nullum sit, eo res deventuras, ponamus tamen si ita velint; num propterea doleremus vices seculi nostri? Sane feliciora essent tempora nostra, si multi perituræ chartæ parcerent, & de hoc potissimum ante omnia essent solliciti, ut animos suos emendarent, & vera sapientia exornarent, quam vero scribendis libris vacarent. Obruitur enim orbis tot futilibus scriptis, tot sterilibus hypothesibus, tot disputationibus, quæ parum, aut nihil valent ad generis humani commoda promovenda. Si nonnisi vere docti scriberent, haberemus pauciores, sed elegantius & accuratius scriptos libros, nec tot vanissimorum libellorum lectione animi studiosorum corrumperentur. Amplius dico, omnes illi, qui neglectis plane officiis illis hactenus recensitis, ad libros etiam præstantissimos in lucem edendos animos adjiciunt, præpostere agunt. Negligunt enim ea, quæ omnium Sapientum judicio gravissima & utilissima sunt; in iis autem curam omnem reponunt, quæ minus necessaria sunt. Scio, libros publica luce dignissimos, editos ab iis, qui variis vitiis tamen erant contaminati. Sed si hi homines operam dedissent, ut probi potius, sapientes & modesti, quam vero, ut eruditi essent, an non Deo & conscientiæ magis feciſſent satis? Non negamus interim viros vere sapientes & eruditos recte agere, & de orbe erudito bene mereri, si studio gloriam Dei & felicitatem generis humani promovendi, ad scribendos libros animos adjiciunt; imo exorandi sunt, ut quæ domi premunt, cum literato orbe communicent, ne malorum librorum mole obruamur.

En habes *Clarissime Vir*, quæ *de eo, quod nimium est, in studio inclarescendi literis*, meditatus sum. Libere animi mei sensa aperui, quoniam & Te libertatem sentiendi amare scio. Literas dedi ad amicum candidum, simplicem & veritatis amantissimum. Dixi de vitiis, peperci personis. Eandem, quam amo, libertatem,

tem, aliis lubens concedo. Tu, si quæ minus accurate a me dicta putes, memineris, me non librum, aut systema, sed epistolam ad Amicum scripsisse.

Vale, *Vir Clarissime*, & porro, quod facere semper solitus es, fave tuo L. *Candido*.

Vale denuo.

DISSERTATIO DE CRIMINE HÆRETIFICATIONIS, EJUS CAUSIS ET REMEDIIS (*)

Pars I.

THES. I.

AB eo tempore, quo tradendis ſanctioribus diſciplinis admotus fui, mecum conſtitui, in publicis, quæ habendæ ſunt, diſſertationibus, talia pertractare argumenta, quæ S. Litterarum ſtudioſis ſcitu quammaxime eſſent neceſſaria, & utilitatem afferrent omnibus, quorum animi veritatis & ſapientiæ amore incenſi ſunt. Semper enim exiſtimavi, & adhuc exiſtimo, tempus, quod nobis publicis Doctoribus conceſſum eſt, pretioſius eſſe, quam ut id in quæſtionibus parum profuturis excutiendis impendatur. Et profecto, qui ad morbos, quibuſcum plerique Chriſtiani docti pariter & indocti conflictantur, animum convertit, facile videbit, ad eos ſanandos ſalutari medicina opus eſſe. Id vero tum demum fieri exiſtimo, quando viri docti & religionis gnari, ab

Repræſentatur ſcopus auctoris.

(*) Singularem diſſertationem de hoc argumento ſcripſit magnificus Academiæ Tubingenſis Cancellarius Ch. M. Pfaffius, quam tamen videre hactenus non licuit.

ab una parte capitalia religionis christianæ capita perspicue exponunt, ea solidis argumentis probant, & contra hostium insultus erudite & masculè vindicant: ab altera vero, si in causas incredulitatis diligenter inquirunt, veros ejus fontes detegunt, & tandem salutaria huic malo occurrendi suppeditant consilia. Utrumque præstare annisus sum, in *dissertationibus de causis incredulitatis & medela huic malo adhibenda.* Themate vero hoc ad finem perducto, cogitandum mihi erat de alia materia, quæ non minus gravis, utilis & auditoribus nostris scitu necessaria esset, quam ea, quæ a nobis hactenus pertractata fuerat. Cum vero nemo tam hospes sit rerum inter Christianos gestarum, ut nesciat, quanta mala Ecclesiis & societati civili intulerit barbarum & omni humanitati contrarium studium, vel innocentes prorsus homines, vel leviter errantes, gravissimorum errorum reos postulandi, eos insectandi, persequendi, variis calamitatibus subjiciendi, inque eos sæpe dirissimis pœnis sæviendi, nemo qui ad ea respicit, quæ non obstante tanta, quæ nobiliores Europæ provincias circumfundit, eruditionis luce, inter mortales aguntur, mirabitur, si ad pestem hanc humani generis, quæ ipsa incredulitate, si ad funestos ejus fructus respicias, gravius longe malum est, si non tollendam plane & radicitus extirpandam, quod in hac rerum caligine & humanorum animorum diversitate expectari vix potest, sed reprimendam & minuendam animum convertamus. Haud ignoro, a multis viris doctis de hoc argumento actum fuisse: at præterquam quod hi libri ut plurimum S. Litterarum studiosis ignoti sint, nihilque fere scribi possit, de quo alii non ante cogitarint, existimamus & nos lucem aliquam huic argumento, pro ingenii nostri modulo, accendere debere.

II.

In medium quædam proferuntur dubia, contra argumentum hujus disputationis.

Antequam ad argumentum ipsum dissertationis explicandum progredior, video necesse esse, ut quibusdam objectionibus, quas quidam moturi forte sunt, occurram; nihil enim ab insidiis tutum est, neque quicquam tam utile & necessarium in medium proferri potest, quod sinistris interpretationibus obnoxium non sit. Dantur homines vel solida rerum divinarum cognitione destituti, vel odio quorundam hominum, liberius quam par est sua opinione

sentien-

sentientium, inducti, aut multifariis articulis religionis sed parum necessariis ab ipsa juventute onerati, quorum pretium & pondus ob ingenii imbecillitatem expendere nunquam vel potuerunt vel voluerunt. Hi vero periculosum valde esse putant *de crimine hæretificationis* publice scribere & agere. Necesse igitur est, ut horum hominum rationes in hac sectione in compendio repræsentem, & in sequentibus dein, quantum valeant, examinem.

Et *primo* quidem dicunt hac ratione utilissimum, & Christianis quammaxime necessarium *studium controversiarum* facile vilescere & contemni posse, si publice adstruatur, hæretificationem grande crimen esse, cum tamen omnes omnium temporum orthodoxi Theologi existimarint, elenchum exercendum esse non tantum in eos qui graviter errant, sed in tales, qui ab opinionibus Ecclesiæ receptis ullo modo recedant.

II. Laborem ejusmodi patrocinari *Indifferentistis*, aliisque non procul ab horum opinionibus alienis, existimantibus, pietatem ante omnia inter Christianos esse urgendam, errorum vero tantam curam non esse habendam; evitanda igitur esse omnia, quæ versutis illis vulpeculis præsidium aliquod & speciem defensionis præbere possint.

III. Apostolos ipsos in suis scriptis non solum hæresium mentionem facere, auctoresque earum nigro lapillo notare, sed & Paulum in epistola ad Titum cap. III. monere, tales homines esse quammaxime vitandos: licitum ergo esse homines, ab ecclesiæ veræ sententiis semel receptis deviantes, publice acri censura perstringere.

IV. Neglectis & vili habitis levioris momenti erroribus, apertam in ecclesiis christianis fore fenestram gravioribus longe erroribus impune disseminandis. Principiis igitur obstandum esse, & refellendos omnes, quicunque vel leviter ab orthodoxæ ecclesiæ placitis recedant.

V. Præstantissimos ecclesiæ primitivæ Patres, singulari pietatis studio eminentes, non solum pestilentes hæreses alacriter impugnasse, sed & fortiter sese opposuisse iis, qui a catholicæ ecclesiæ opinionibus publice receptis recesserint: exemplo esse posse indiculos hæresium a viris gravissimis & ecclesiæ christianæ columinibus, nimirum ab *Epiphanio*, *Augustino* & *Philastrio* confectos. Probe insuper considerandas controversias, quæ post tempora Reforma-

tionis in ipsis Protestantium cœtibus exortæ fuerint; ex his manifestum fore, quam incredibili Majores nostri cupiditate arserint, errores etiam prima fronte leves impugnandi.

VI. Purioris Theologiæ cultoribus semper displicuisse studia *Ch. Thomasii*, *Arnoldi*, & similium, qui mitius de antiquis & recentioribus hæreticis vel errantibus senserint, & sæpe Theologos ipsos orthodoxos, propter zelum, quo novas opiniones aggressi sunt, acerbe perstrinxerunt.

VII. Zelum pro gloria Dei postulare, ut non minus viri cordati erroribus omnibus, quam vitiis, fortia sua opponant pectora.

VIII. Experientiam testari, iis in locis, ubi libertas sentiendi de religionis negotiis concessa sit, v. gr. in Anglia, deterrimos errores palam spargi & defendi, non melius igitur huic malo occurri posse, quam si mature ostendatur, quam nocivi sint minimi etiam errores, & quanta mala ex iis oriri possint.

IX. Joannem in Apocalypsi vehementer culpasse Episcopum Ecclesiæ Laodicensis, propterea quod neque calidus sit neque frigidus, *i. e.* ut quidam interpretantur, quod veritas illi curæ cordique parum fuerit, & quod facile errantes tolerare potuerit.

X. Denique & rationem & revelationem suadere, ut omnem veritatem sine discrimine amemus & tueamur; & ab altera parte omnes promiscue errores fugiamus & impugnemus.

III.

Examinantur argumenta in medium producta.

Dispiciendum jam est, cujus ponderis sint hæc argumenta in medium prolata. Et primo quidem ajunt, eos, qui crimen hæretificationis impugnent, efficere ut studium controversias tractandi in multorum animis vilescat. At quæritur, quid per studium controversias tractandi intelligatur. Si per id intellectum velint singularem fervorem, omnes minutas controversias inter Christianos ortas non solum cognoscendi, sed & omni data occasione eas impugnandi & amplificandi, & ex pustulis ulcera faciendi, tantum abest, ut inde utile & salutare aliquid ecclesiis & rebuspublicis accedere possit, ut potius felices prædicemus illas, in quibus nulli homines ejusmodi spiritu animati reperiuntur, quique minutas illas controversias nequidem cassâ nuce dignas putant. Utinam! utinam!

hoc

hoc ſtudium vileſceret magis atque magis, & profecto felicior eſſet Chriſtianorum ſtatus quam nunc eſt. Si vero nomine ſtudii controverſiarum intelligatur, virorum vere doctorum conatus, graves & pietati inimicos errores refellendi, & religionis præcipua capita tuendi & defendendi, fateor, me nulla ratione perſpicere poſſe, qua ratione is detrimenti aliquid patiatur, ſi dicatur, hæretificationem malum eſſe graviſſimum & deteſtandum, imo crimen publicis caſtigandum pœnis, de quo tamen in ſequentibus, ad has objectiones datis reſponſis, uberior nobis dabitur dicendi occaſio.

Ad *ſecundum*: Doctores publici, qui omnes ingenii nervos potius intendunt ante omnia, ut pietatis veræ ſtudium promoveant & capita religionis primaria auditoribus ſuis explicent, ſolidiſſimisque adſtruant argumentis, quam vero ut omnes minutas opiniones ſingulari fervore impugnent, Indifferentiſtis minime favent, ſed pro viris ſapientibus & cordatis ſunt habendi, magnique ab omnibus, qui vera rerum pretia norunt, æſtimandi. Ut enim ita agant, religionis ſalutaris depoſcit natura, vitæ noſtræ brevitas, officiorum illis incumbentium gravitas, & parum profuturus labor, qui ex polemico ſtudio nimis rigido & ad minuta quæque ſeſe extendente emergit. 2.) Qua fronte tandem dici poteſt, iis perinde eſſe, quamcunque tueantur religionem, qui hoc unum quærunt, ut innocentes & leviter errantes graviorum errorum non poſtulentur rei, neque adeo cum iis confundantur, qui divinas humanaſque aſpernantur leges, & religionis nullam vel exiguam habent curam? Profecto niſi quis velit quadrata rotundis miſcere, nullumque inter errores & errores facere diſcrimen, nullam habet hæc objectio ſpeciem veri.

Ad *tertium* veriſſimum eſt, in N. Teſtamento mentionem fieri hæreſium: at hanc vocem in malam ſemper rapi partem falſum eſt, de quo tamen argumento fuſius agemus in diſſertatione, quam meditamur, *de cauſis mature exortarum in eccleſia chriſtiana hæreſium.* 2.) Non erant illi dicti hæretici & pſeudapoſtoli homines vel innocentes vel leviter errantes, ſed qui peſtilentes errores imo & vitia defendebant. Quidam abſolutam neceſſitatem legis ceremonialis tuebantur: Alii reſurrectionem Jeſu Chriſti impugnabant: hi merum hominem fuiſſe Chriſtum adſerebant; illi Platonicorum decreta cum ſanctiſſima Jeſu Chriſti diſciplina commiſcere aggreſſi ſunt: rurſus

alii

alii variis opinionibus seducti, & phantasiæ deliramentis in præceps acti, Christum ipsum non in crucem actum, sed nescio quod φαντασμα stulte argutabantur; ut de aliis erroribus, ab hominibus illis male sanis defensitatis nihil dicam: at quid tandem faciunt hæc ad id, quod aggressi sumus thema? 3.) Manifestum est ex scriptis Apostolorum, eos voluisse, ut leviter errantes, qui infirmi in fide dicuntur, omni cum lenitate tractarentur, & ferrentur, dum meliora edocti rectius saperent. Vide loca sequentia. Rom. XIV. XV. 1. Corinth. VIII. IX. X. XIII. Gal. VI. 1. 2. Philipp. III. 15. 16. Ephes. IV. Coloss. III. &c. &c. 4.) Apostoli erant φερομενοι ὑπὸ πνεύματος ἁγίε, miracula poterant patrare ad fidem conciliandam suis decretis; nos vero Doctores omnes nonnisi ratiocinari possumus cum dissentientibus & iisdem sæpe laboramus, quoad facultatem intellectus & voluntatis, morbis, quibus impugnantur illi, qui a nobis dissentiunt. 5.) Præponere ut plurimum, quæ de errantibus ævi apostolici dicuntur, rapiuntur ad controversias, quæ inter Christianos modernos agitantur, de quibus Apostoli sæpe ne somniando quidem cogitarunt. Digna est *doctissimi viri J. Clerici* observatio, quæ in additamentis ad Hammondum, & quidem in epistola ad Titum Cap. III. v. 10. reperitur, atque ita sonat: *Αἱρετικὸς proprie idem est ac αἱρετίζης, hoc est, is qui αἱρεσιν, sectam quampiam sequitur, sive sint ejus dogmata vera sive falsa. At cum ecclesiarum apostolicarum ab Apostolis rectarum, aut ab apostolicis viris, & cum magistris consentientium, essent dogmata vera: quicunque ab earum αἱρέσει* (voce illa in meliorem partem sumta) *deficiebant, illi sine dubio falsa dogmata fovebant. Atque hinc factum, ut postea HÆRETICI dicerentur, prave sentientes, seu in ecclesia vellent vivere, si modo tolerarentur, seu ab ea secederent. At cum omnium hominum & temporum eadem habenda ratio non sit, sic nec hæreticorum; ideoque præceptum Pauli non est præter ejus mentem urgendum. Quicunque olim discedebant ab Apostolis, illi eo ipso se Christianos esse negabant, cum hominibus adflatis, a quibus solis poterant peti dogmata christiana, & quorum auctoritas miraculis firmata erat, contradicerent. Illi sine dubio erant vitandi a Christianis, qui cum Apostolis credidissent, postea eorum doctrinam rejiciebant, alios Doctores sequuti. Sed qui, postquam rectores ecclesiarum nequaquam adflati erant, neque miraculis pollebant, visi sunt sibi in ecclesiis animadvertere defectionem ab Apostolis*

Apostolis in rebus ipsis, quamvis callide dissimularetur, atque errorum emendationem frustra a rectoribus ecclesiarum petierunt, hi, inquam, non fuere amplius αἱρετικοὶ vitandi, si vere poterant errores periculosos & tyrannidem aliis exprobrare. Non potest his objici μορμολυκειον illud ecclesiæ, quasi maximus numerus, qui eo nomine ornatur, non potuisset sensim saltem ab Apostolis deficere, & necessario essent damnandi, quicunque ab eo discedunt. Alia plane est ratio hæreticorum apostolici ævi, & eorum, qui emendari ecclesiam XVI. seculo petiere. Priores Apostolis palam nuntium mittere se profitebantur: posteriores contra iis solis se adhærere contendunt, nec ulla scripta, præter apostolica, quasi regulam fidei, & morum admittunt. Et ad versum 11. ubi vox αὐτοκατάκριτος occurrit, ita commentatur: *αὐτοκατάκριτος hic est, qui relictis apostolicis & christianis cœtibus eo ipso se negat esse Christianum, ideoque non debet amplius haberi Christianus, ex sui ipsius judicio vitandus est ergo a Christianis, ex quorum numero amplius esse se, ipse negat. At nunc sunt plurimi, qui ab aliis Christianis invisis nominibus* Hæreticorum & Schismaticorum *dicuntur, qui tamen non possunt dici αὐτοκατάκριτοι, quia non minus conantur quam alii intelligere doctrinam & præcepta Christi ab Apostolis tradita, iisque obsequi, nec minus sperant, se solius Christi beneficio salvatum iri. Pro conditione miseræ mortalitatis, ignorantiæ, præconceptis opinionibus ac infirmitate judicii, multi errores in animos hominum irrepunt, qui non minus christiane, ad reliqua quod attinet vivunt, ac rectius sentientes. Hos, quia discedunt ab aliis, iniquissimum esset αὐτοκατακρίτους dicere. Qui se Christianos negabant, ii si vitabantur a Christianis, queri non poterant, quia vitabant ipsi Christianos, & qui errores, ut putat, in aliis carpit, nec potest eorum cœtibus interesse, nisi eos probet, atque ab iis propterea abstinet, nec tamen homines ipsos vitat, aut minus christiane habet, ei gravissima injuria fit, nisi pari humanitate habeatur.* Ita celeberrimus ille vir. *

(*) Quamvis haud diffitear, celebertimos nostræ ætatis Theologos & Jurisconsultos in definiundæ hæreseos & hæretici natura accuratiores fuisse, quam Majores nostros, certum tamen est, B. Reformatores rectius sensisse de hisce quam Doctores pontificios. Exemplum unum afferre juvat, nimirum M. Bucceri. Is edidit epistolam, Argentinæ M. D. XXX. impressam, sub hoc titulo: „ Epistola M. Bucceri in Evangelistarum

Ad IV. Non dicimus, leviorum errorum nullam plane esse habendam rationem, sed hoc tantum, eos non esse extollendos & exaggerandos, hominesque, qui his erroribus subscripserunt, esse contra

„ enarrationes nuncupatoria, ad præclaram Academiam Marpurgensem, „ in qua quid hæresis, qui hæretici, & quatenus cum dissentientibus „ societas Christi servanda sit, disseritur. „ Quoniam hic libellus forte in paucorum manibus est, quædam ad institutum nostrum pertinentia ex eo decerpam.

Primo provocat (numeri paginarum non sunt designati) ad locum Pauli ad Titum cap. III. verbaque Apostoli: „ Hæreticum hominem post „ unam & alteram admonitionem devita. „ Respondet ad hoc sequen„ tibus verbis: „ Sed quam minime multi sunt, qui quid Paulo hære„ ticus homo dicatur perspectum habeant. Nequaquam enim hæreti„ cum esse censet Apostolus, ut quidam, qui dogmati alicui erroneo „ adhæret pervicacius; id enim & probatissimis sanctis usu venit; quip„ pe qui nihil prorsus recipiant, nisi quod indubitato credant juxta „ Scripturas esse, eoque nullius mortalium gratiæ cedendum. Jam cum „ in confesso sit, & hujusmodi plerumque commenta pro oraculis Dei „ ex errore amplecti, fit sane, ut illis ita faveant quoque, ita animum „ addicant, ut par est, verbo Dei, imo eo impensius, quo caro inven„ tis suis afficitur ardentius. „ Et quibusdam interjectis: „ Sic se res „ habent humanæ, ut dum hac carne gravamur, quamlibet veritatis „ studiosis, multa tamen sæpe videantur, etiam in Scripturis Dei, qui„ bus illæ nihil minus tradunt; attamen dum tenet hic error, & ca„ ro adeo suis inventis favet, quod falsum est, etiam a sanctissimis „ hominibus pro vero sæpenumero defenditur, imo ut id statuant, „ veritatem haud leviter oppugnant. Etenim volunt esse veri, quæque „ divinitus se accepisse arbitrantur, ut Dei placita defendenda existi„ mant. His quicquid facies, alios non reddes, donec errore illos „ ipse solvat Christus. Huic igitur eos, nimirum suo Domino, relin„ quas oportet, colens nihilominus eos fratrum loco, dum ex germanis „ & infallibilibus fructibus videas, apud eos sedem habere Spiritum Pa„ tris tui. Quin quo errant in pluribus, eo decebit te illos tractare „ charitate magis sedula & officiosiore, quo & Christi sui in te Spiri„ tum sentientes, & tuis præterea officiis devincti, cum quæ affers, au„ diant libentius, tum fidem quoque illis citius habeant, ac ita, quod „ tuæ partes sunt, accommodum te Servatoris Spiritui instrumentum ex„ hibeas. Ut autem, qui Paulo hæretici sunt, plane cognoscamus, ip„ sum audire convenit. „ Nec enim tam multis malum hæreseos no„ tum est, quam multos tenet. „ Carnis opus est, ut ex catalogo illo „ Pauli ad Galatas cap. V. liquet, eoque pro occasione nulli deest, „ quem caro, hoc est depravatæ hujus naturæ sensus, totum regit, sic„ ut nec alia carnis opera absunt, si modo sit eorum occasio. Soli eo „ liberi sunt, quos moderatur Spiritus Christi, & pro ea, qua modo-

contra ea tolerandos, moderatique animi ſtudio & argumentis eos in viam eſſe reducendos. Et quæ cauſa tandem eſſet, cur cordati Theologi præcipuum tempus collocarent, in refellendis minutis

„ ratur portione. Nam aliquatenus hoc malum & Sanctos infeſtat, dum „ hic a Domino peregrinantur. Id quod ex priore ad Corinth. XI. „ liquet. Illic enim ſic legimus: Audio ſchiſmata in vobis eſſe, & par- „ tim credo. Oportet enim inter vos & hæreſes eſſe, ut manifeſti fiant, „ qui inter vos probati ſunt. Vide, quæ ſchiſmata, eas & hæreſes „ vocat, utrumque nihil aliud, ut ex ſequentibus ejus loci liquet, quam „ factiones & ſtudia. Ex his enim fiebat, ut quiſque ſuam cœnam ha- „ beret, alius alium contemneret, nec in commune Domini cœnam „ celebrarent. Hoc ergo malo laborantem, qui ſcindere in ſtudia „ Chriſtianos quærat, hoc eſt qui in eccleſia Chriſti factioſus ſit, hære- „ ticum hominem appellavit, ſcribens Tito. Nam cum ante hæc hor- „ tatus hunc eſſet, ut de fide in Chriſtum, per quem juſtificati hære- „ des ſumus vitæ æternæ, eos, qui Deo crediderant, confirma- „ ret, quo ſollicite bonis operibus incumberent, quæ ſola ſint honeſta „ & utilia; ſtultas autem quæſtiones & genealogias & contentiones ac „ pugnas legales omitteret, propterea, quod ſint inutiles & ſupervacaneæ, „ ſubjecit: Hæreticum autem hominem &c. Perfacile itaque intelligere „ eſt, etiam ex hoc loco, hæreticum hominem a Paulo vocari, conten- „ tioſolum & ſupra quæſtiones ſupravacaneas cum jactura dilectionis in- „ ſanientem, ſectaſque & ſtudia præpoſtero dogmatum nihil ad pietatem „ facientium amore excitantem. Certe, qui hujuſmodi eſt, cum eo „ nihil cum fructu pietatis ex ſacra doctrina contuleris, cumque ſemel „ ac iterum admonitus reſipiſcere negligit, per ſe ipſum damnatus pec- „ cat. Sentiunt enim, qui tales ſunt, vim veritatis, cumque, quid ad „ innocentiæ inſtaurationem faciat, intelligant, inſano tamen contentio- „ nis ſtudio transverſum rapti, manus veritati dare nolunt. Hære- „ ſis itaque apud Paulum morbus eſt faciendi ſectas, & in ſtudia ſcinden- „ di eccleſiam Chriſti. Hæreticus, qui hoc morbo laborat, & non qui „ errori duntaxat alicui obnoxius, pro doctrina Dei, ſua vel aliorum „ figmenta amplectitur, atque ideo hoc quoque nomine defendit, ſi tan- „ tum non ob id ab iis, qui Chriſtum una quærunt, ſecedat, & evadat factionis „ vel auctor vel ſectator. Hoc ergo inter hæreticum & erroneum inter- „ eſt, quod ille a fratribus ſecedit, Chriſtique ſocietatem illis renun- „ ciat; hic vero, quamlibet a fratribus diſſentiat, jus tamen commu- „ nionis cum illis ſervat inviolatum. Deinde cum uterque, quamdiu „ eos error tenet, quæ ſentit & loquitur & defenſat, facit hoc tamen „ hic, tanto quam ille humanius, quanto plus adhuc illo retinet chari- „ tatis, utque minus apud hunc ſpiritus erroris, quam apud illum va- „ let, ſic prima fidei, in quibus convenit, provecta ſtudet, ut ſæpe ſe- „ cundaria illa, de quibus eſt diſſenſio, pulchre diſſimulet, cum ille „ totus in iis ſit, in quibus errat, etiam ſi ea rite & vere cognita,

opinionibus pietati veræ minime noxiis; tantum enim abeſt, ut aliquid lucrarentur; ut potius innumeras controverſias exigui momenti enumerando & impugnando, controverſiarum etiam neceſſariarum ſtudium enervarent, & ſuſpectum redderent. Tot enim in eccleſia chriſtiana exortæ ſunt minutæ controverſiæ, tanto zelo ac fervore plerumque ſunt agitatæ & amplificatæ, ut ne centeſimus quidem eas memoria ſervare, nedum gravia a levibus diſtinguere poſſit. Unde fieri ſolet, ut quidam exiſtiment, omnes Theologorum controverſias nonniſi eſſe inutiles rixas, nemini profuturas, ex quo tandem ſequitur, ut nemo, vel pauciſſimi, etiam ubi neceſſitas & religio id poſtulat, libros a doctiſſimis viris ſcriptos de rebus maximi momenti evolvant, & cum debita attentione legant. Et hujus negligentiæ auctores ſunt hæretifices & indocti zelotæ, de quorum inficeta & periculoſa agendi & garriendi methodo in hac ipſa diſſertatione agimus. Experientia denique teſtatur, ubi de minoris momenti controverſiis, ſive antiquioribus ſive recentioribus inter eruditos agitatis, altum ſervatur ſilentium, eas memoria tandem excidere hominum, atque obſoleſcere. Ubi vero eædem in ſcenam producuntur, & de novo repræſentantur, ſemper reperiuntur novi athletæ controverſias illas novis coloribus incruſtaturi. Quod ſi noſtra ætate quidam *Pajoniſmi*, *Coceejaniſmi* & *Roëllianiſmi*, ut de cæteris *Ismis* nihil dicam, hiſtoriam conderet, patronorumque harum opinionum vel cauſam ageret, vel vehementius in eos inſurgeret, fieri aliter non poſſet, quam ut lites redintegrarentur, & novis certaminibus locus relinqueretur. Hæretifices vero, quos impugnamus, omnium illorum malorum cauſa ſunt, atque viam ſternunt ad controverſias redintegrandas & alendas, quæ nullum finem & exitum reperiunt.

Ad V. *primo* monemus in hac, de qua agimus, diſputatione, non ſermonem eſſe de gravibus erroribus, quos impugnare licet, & ad quod præſtandum omnes cordati viri, ſi modo religionem & momenta

„ ad pietatem nihil aut perparum momenti adferant. Hinc jam & ter-
„ tium diſcrimen ſequitur, ut Chriſti communionem cum hæretico vel
„ ad tempus, ipſo ſcilicet ſecedente, oporteat intermittere, cum er-
„ roneo vero nunquam. Nam nec cuivis hæretico in totum valedicen-
„ dum eſt, ſed ei ſoli, quem compertum ſit hoſtem ſe agnitæ veritati
„ conſtituiſſe, atque jam Spiritum Sanctum, cui ſceleri omnis veniæ
„ ademta ſpes eſt, blaſphemare. „ Hactenus Bucerus.

momenta controversiarum rite intelligant, suas ingenii vires intendere debent. Interim prudenter agerent hi homines, quibuscum jam nobis res est, si altum servarent de studiis Patrum primitivæ ecclesiæ adversus errantes silentium. Profecto, si hæretificatio valet, utilis est, atque Theologis digna, actum est cum primævorum Patrum orthodoxia, & ipsi hæretifices nostri contra eos calamos stringere debent. Certum enim & extra controversiam positum, antiquissimos Patres, *Justinum M.*, *Irenæum*, *Cl. Alexandrinum*, *Origenem* &c. si in terras redirent, & suas opiniones palam defenderent, impune non abituros, sed iram & theologicam severitatem nostrorum athletarum experturos. Vide *J. Clerici*, *Dallæi*, *Barbeyracii*, & aliorum doctissimorum virorum de scriptis horum Patrum judicia; sed sola lectione opus est, ad judicii nostri veritatem comprobandam. *Hieronymus* omnibus artibus, quas hæretifices adhibere solent, contra *Vigilantium* usus est, quas in compendium redegit idem doctissimus *Clericus*, in dissertatione de argumento theologico ab invidia petito. Non putandum *J. Clericum*, solum nimio fervore abreptum, duriusculum de *Hieronymo* tulisse judicium. Præstiterunt hoc alii multi. *Erasmus* maximus Hieronymi admirator, in *Apologia ad Martinum Dorpium* ita de eo scribit: *Ipse Hieronymus vir tam pius & gravis aliquoties non sibi temperat, quin in Vigilantium excandescat acrius, in Jovinianum insultet immoderatius, in Ruffinum amarulentius invehatur.* *Hutterus* contra Paræi Irenicum pag. 14. ait: *Qui beati Hieronymi* contra *Jovinianum*, *Vigilantium* & *Ruffinum scripta evolverit, mirabitur potuisse in virum Eremitam tantam bilis effervescentis cadere vehementiam.*

Mitto aliorum testimonia. Vide tamen quæ de ingenio ipsius nimis fervido monuit historiæ ecclesiasticæ scriptor accuratissimus *Tillemontius*, ecclesiæ romanæ ex animo addictus, in diario gallico, Journal des Sçavans. Tom. 40. p. 381.

Ad VI. exemplum *Thomasii*, *Arnoldi*, & aliorum eandem tibiam inflantium, nihil instituto nostro officit. Laudaverint illi aliquando, plus quam decet, veri nominis hæreticos & errores eorum extenuarint: non propterea licitum erit, innocentes homines aut leviter errantes in classem hæreticorum, id est, gravissime errantium referre. Interim in eo laudandi sunt viri illi, quod hæretifices veteres & recentiores strenue perstrinxerunt, artesque

eorum in apricum produxerunt; certe ita agendo plus utilitatis religioni atque pietati attulerunt, quam ii, qui innoxias opiniones in majus extulerunt, atque vehementissime in homines optimos insurrexerunt (*). Quærendum insuper esset, quinam illi sint purioris Theologiæ defensores, de quibus hi homines, quibuscum mihi res est, loquuntur. Quibusdam in locis eo nomine appellantur tales, qui omnes partes systematicæ religionis acriter defendunt, pro iis tanquam pro aris & focis decertant, tribunitiis concionibus & clamoribus omnia replent, omnis erectioris ingenii homines allatrant, & in eo gloriam quærunt maximam: at hi ipsi in causa sunt, cur contra hæretificationem sit insurgendum, & strenue contra hanc pestem generis humani depugnandum. Ad *sapientes* vero, *eruditos* & *cordatos* Theologos, quod spectat, qui soli purioris Theologiæ defensorum nomine digni sunt, illi quidem ingemiscunt, quando audiunt, quosdam in ecclesia christiana Sacrorum antistites dari, qui conspectis tot vitiis & gravibus erroribus, nihil tamen commoveantur, neque quantum deberent, gravissimis malis occurrere tentent: Iidem vero semper leve a momentoso solerter distinguunt, religionem a minutis quæstionibus, nullam utilitatem vel damnum religioni vel societati civili allaturis, distinguunt, neque sine urgente necessitate ad alios impugnandos calamos arripiunt, memores illius accuratioris Theologiæ definitionis, quam dedit Apostolus *Jacobus*, *cap. III. v. 17. suæ Epistolæ*, quæ ita sonat: Ἡ δὲ ἄνωθεν σοφία,

(*) Diffitendum tamen non est, Arnoldum frequentissime in perstringendis viris præstantissimis & veritatis amantissimis modum vehementer excessisse in sua historia ecclesiastica, de qua celeb. HEUMANNUS in conspectu Reip. Lit. pag. m. 165. ita judicat: „ Præcipuum hujus viri „ opus est historia ecclesiastica, quam appellavit impartialem, hoc est „ affectu amoris pariter & odii carentem. Id quod hoc sensu verum „ est, quod nullum affectum amoris favorisque ostendit erga orthodoxos, „ nullum affectum odii erga heterodoxos, & potissimum Enthusiastas. Idem de ARNOLDO fert judicium celeb. PFAFFIUS, Hist. Lit. Tom. III. p. 22. Cl. BUDDEUS in Isagoge ad Hist. Lit. pag. 919. ita de Hist. Eccles. ARNOLDI judicat: „ Id enim vero cum agere videretur, ut hæreticorum „ quorumvis in se susciperet patrocinium, eosque, si non defenderet, „ certe excusaret, & in mitiorem de illis pronuntiaret partem, Catholicos „ autem, sive Orthodoxos, acriter perstringeret, malorumque omnium, „ quibuscum ecclesia conflictata est, in eos transferret culpam, varias „ Virorum doctorum expertus est censuras.

σοφια, πρῶτον μεν, ἁγνη ἐστιν, ἐπειτα ἐιρηνικη, ἐπιεικης, ἐυπειθης, μεστη ἐλεους, καὶ καρπῶν ἀγαθῶν, ἀδιακριτος καὶ ἀνυποκριτος. Iidem quando graviter errantes argumentis, argumentis inquam, non conviciis impugnant, eos tamen non odio habent, vel auctores sunt ut omnium contemtui & insectationibus expositi sint.

Ad VII. Quis sanæ mentis homo negaverit, cordatorum Theologorum & V. D. M. esse, ut vitiis ecclesiam & societatem civilem turbantibus, ita etiam erroribus veræ pietati nocivis fortiter sese opponant? Atqui in hoc veri pro gloria Dei zeli naturam positam esse, omnes, qui sapiunt, lubentissime confitebuntur. Qui vero aliorum errores extollunt, innocentissimos quosque falsis suspicionibus premunt, & pro scholasticis suis opinionibus, quas pueri didicerant, acriter pugnant, eos zelo pro gloria Dei tactos esse nonnisi illi credunt, quorum cerebrum atra bilis labefactavit. Superbia potius, ignorantia, factionis & aliis insultandi studium, ipsorum pariter & præceptorum suorum prætensa auctoritas causa sunt tanti & tam ridiculi zeli. Legant nostri auditores (eruditis enim hæc notissima sunt) τῦ μακαρίτυ celeb. *Werenfelsii de vero & falso Theologi zelo meditationem.*

Ad VIII. Verum est, iis in locis ubi libertas sentiendi de rebus ad religionem spectantibus concessa est, dari homines impudentius agentes, & gravissima religionis capita impugnantes: at num propterea libertas jure divino nixa, veritatem inquirendi, & pro captu conscientiæ judicandi, tollenda est? Profecto liberius de religionis articulis sentientibus, & gravissimos articulos religionis christianæ impugnantibus, debemus tot excellentia opera, in quibus veritates Theologiæ naturalis & revelatæ magno eruditionis masculæ apparatu contra varii generis hostes, ab *Anglis* cumprimis, defensitatæ sunt. Et profecto hi plus contulerunt ad religionem in tuto collocandam, nova luce perfundendam, & contra subtilissimas objectiones vindicandam, quam centum Systematographi orthodoxi. Deus dedit hominibus facultatem, quam libertatem vocamus, per quam fieri solet, ut multi hoc beneficio abutantur, & in atrocissima ruant scelera; num propterea Deus tanquam minus sapiens accusandus, aut omnia peccatilla, levesque errores, quas parum cavet natura humana, in gravissimorum vitiorum censum sunt referenda? Non putaverim. Conferatur status eorum, qui in eccle-

sia

sia romana sub tristi superstitionis & tyrannidis jugo degunt & gemunt, cum eorum moribus, quibus licitum est divina atque humana dogmata expendere; & manifestum erit, longe feliciores esse eos, quibus natale solum contigit, in qua amplissima conscientiæ libertas viget, illis, qui credere tenentur, quod vulgo creditur, licet illud, quod probatur publice, ineptissimum sit, & rationi pariter ac revelationi quammaxime contrarium. Superstitio omnis est incredulitatis vera scaturigo. Ingenuo homine vero digna libertas efficit, ut homines, nonnisi intercedente examine liberrimo, alterutram in partem de his vel illis religionis articulis sincerum ferant & liberum judicium.

Ad IX. Ex textu ipso Joannis non patet, Episcopum illum Laodicenum, ut secundum stylum nostri temporis Theologorum loquar, vel universam ecclesiam Laodicensem Indifferentistarum partibus addictam fuisse circa articulos religionis: Et si talis fuisset, profecto id ad causam, quam tuemur, nihil plane faceret. Non enim quæritur, utrum illi nobis probentur, qui judicant, perinde esse, quid de religione statuatur; sed hoc unum in disceptationem venit, utrum homines vel innocentes plane, vel leviter errantes, in censum hæreticorum sint recensendi, & propterea vehementer exagitandi? Sane qualiscunque hujus ecclesiæ vel Episcopi fuerit vel sentiendi vel vivendi ratio, hoc tamen prorsus instituto nostro non contrariatur. Et vereor, ne auditis virorum doctorum interpretationibus, homo ille vel plerique Laodicensium, socii fuerint eorum, qui minimas sententias erroneas impugnant, in cæteris vero pietatis studium parum curant. Neque prudenti & laudabili consilio virorum præstantissimorum, qui hæretificationis ardorem pressum vellent, obstat increpatio severa facta a Domino contra ecclesiam Laodicensem, Apocalyps. C. III. v. 15. seq. qualemcunque etiam interpretum sequaris explicationem. Versus 15. ita sonat: *Novi opera tua, te nec frigidum esse nec fervidum; utinam frigidus esses aut fervidus!* In hæc verba ita commentatur cl. *Vitringa:* Testimonium, (inquit) quod Dominus hic edit de statu Laodicensium est notabile, sed pudendum. *Frigidum esse* est hic haud dubie, veram religionem ignorare & eam non colere. *Fervidum esse*, in vera religione cum studio & zelo intenso versari. Uterque ille status tam respectu Dei quam hominis illius tolerabilior est, quam

quo

quo quis religionem cognitam negligenter & incurioſe tractat, qui eſt ſtatus *teporis*. Tepor enim in religione ex alio vix oritur principio, quam ex eo, quod quis veritatem, religionem, & proinde religionis objectum, Deum, tanti non faciat, quanti deberet, quod peccatum graviſſimum eſt, & Deo non ferendum, qui magnitudinem illius beneficii, quod in vera religione hominibus impertiit, ipſe pro merito ſuo æſtimat. Hactenus *Vitringa*. Certe ſi hanc explicationem ſequamur, viri docti, quorum veſtigia ſequor, nec *frigidi* nec *tepidi* vocari poſſunt. Non *frigidi*, quia religionis chriſtianæ primaria capita probe perſpecta habent, eaque contra errantes ſolide vindicanda eſſe uno ore clamant: non *tepidi*, quia religionis articulos momentoſos a levioribus probe diſtinguunt, nec leviores etiam ſine modeſta cenſura ſemper tranſmittendos eſſe putant; ſimul vero ingeminant, eos non exaggerandos eſſe, aut propterea ceſpitantibus eſſe inſultandum. *Pricæus* ad h. l. proverbialem locutionem eſſe putat, & per phraſin, nec frigidum, nec fervidum eſſe, denotari hominem ἄψυχον, parum ſibi conſtantem in ſuis actionibus. In hanc etiam ſententiam inclinant *Interpretes Berolinenſes*. Hæc interpretatio ſi valet, nemo non videt, eam adverſus moderati animi ſtudioſos viros fruſtra adduci.

Ad X. Licitum eſſe errores etiam leves, & vitia qualiacunque impugnare, non ſemel in ſuperioribus confeſſi ſumus, neque de hoc ulla nobis cum diſſentientibus intercedit controverſia. Hoc tantum aſſerimus, pro errorum natura, temperandam & inſtituendam eſſe noſtram refutationem. Ratio profecto & revelatio ſuadent & injungunt, ne innocentes pro nocentibus habeamus; ſuadent ut fratrem errantem placide moneamus, erroreſque quos parum cavet natura humana illi condonemus; quod *hæretifices* non faciunt, quoniam & innocentes accuſant, & leves errores in majus, contra jus & fas extollunt, & quantum in ſe eſt, eoſdem lædunt & Proceres rerumpublicarum contra eos concitant.

IV.

Pergendum tandem eſt & videndum, quid hæretificationis nomine intelligatur; antequam vero de ea agamus, cognoſcendum eſt, quid per hæreſin vulgo ſignificetur; hicque diſpiciendum

Quid hæretificationis & hæreſeos nodum

mine intelligatur, exponitur.

dum est, quo sensu apud profanos Scriptores, Scriptores item sacros & ecclesiasticos hæc vox sumatur; at quoniam animus est, ut supra dixi, conscribere dissertationem, *de causis mature in ecclesia christiana exortarum hæresium* (*), & inprimis disquirere, quo sensu in apostolica ecclesia hæc vox sit usurpata, breviter hic tantummodo receptas inter plerosque Christianos recensebimus αἱρέσεως definitiones. Paucis tamen de voce αἵρεσις aliquid ante est notandum. Ex græcis & latinis Scriptoribus manifestum est, vocem hanc in bonam & malam partem sumi. Vide Commentatores in D. *Laërtium* & *Suizeri Thesaurum*. In Novo Testamento eodem sensu sumitur. Vide Act. XV. 5. & XXIV. 5. Act. & XXVI. & XXVIII. In malam partem sumitur ad Galat. cap. V. v. 20. Hic vero non tam de erroribus intellectus, quam de vitiis voluntatis agitur. Confer locum, 1. Cor. XI. v. 19. ubi vide Interpretes respectu vocis δεῖ & ἵνα. Primus locus, ubi de *hæretico* agitur, extat ad Titum cap. III. v. 20. ubi dicitur, hominem hæreticum esse evitandum, eumque esse αὐτοκατάκριτον, quæ descriptio ideam hæretici nobis reddit admodum difficilem. Dicitur enim ejusmodi homo αὐτοκατάκριτος, quo jure autem possumus hodie dicere, Judæum vel Socinianum proprio judicio esse condemnatum? Fur & latro v. gr. potest, quando furatur vel latrocinium committit, dici αὐτοκατάκριτος, quia ipsemet fatetur & agnoscit furtum & latrocinium legibus divinis & humanis repugnare: at quo jure possumus affirmare hominm ein cœtu Judaico vel Sociniano aut Pontificio natum, sententiamque harum sectarum sequentem, contra conscientiæ stimulos meliora

(*) Præclarus extat de hoc argumento locus M. Erasmi in præfat. paraphr. Epist. ad Corinthios, qui sic sonat: „ Ceterum illud interim mirari „ subit, in ipsis statim initiis ac rudimentis periclitatam fuisse doctrinam „ evangelicam, ni Paulus omni, quod ajunt pede contra stetisset: non „ aliter quam fœtus quidam de vita periclitantur, priusquam in vitam emer„ serint. Tanta zizaniorum vis coorta est, quæ teneram etiamnum & her„ bescentem Christi sementem pene obruit: mox philosophia mundana, „ mox judaica superstitio, ceu de composito, junctis copiis in Christum „ conspirabat; philosophia dissuadebat resurrectionem & humanis argutiis „ nonnihil vitiare cœpit Evangelii sinceritatem; Judaismus totum Mosen, „ vel usque ad circumcisionis injuriam, nobis invexerat, ac cœlestem illam „ philosophiam ad crassas frigidasque ceremonias pertraxerat, nisi strenuis„ simus hic Isaac noster (Paulus) tot puteos evangelicæ venæ, tot fontes „ vivi laticis adversus Philistæos, omnia terra opplentes, adperuisset. „

meliòra ſuggerentes falſa dogmata ſcientem & volentem alere atque tueri? Hoc ſemel ſi licitum eſt, affirmare poſſunt Judæi, Sociniani, Pontificii, aliique diſſentientes, Proteſtantes hæreſeos poſtulare, atque exinde omnia illa infauſta conſectaria nectere, quæ ad nos exoſos reddendos facere poſſunt. Ex quibus colligo, locum Pauli ad hæretici definitionem, noſtro ævo receptam, elucidandam nihil plane conferre. Videntur hi homines, de quibus Paulus agit, gloriæ, vel voluptatum amore capti, contra conſcientiæ dictamen a cœtibus Apoſtolorum diſceſſionem feciſſe, non ex ignorantia, ſed eo fine, ut vel duces eſſent hominum partium ſtudiis addictorum, vel ut liberius frena laxare poſſent pravis animi commotionibus. Horum certe characteres repræſentantur in epiſtola ad Timoth. I. cap. VI. v. 3. 4. 5. cap. I. 19. 20. Confer notam. *J. Clerici* ſupra allatam. Proteſtantes communiter dicunt, hæreſin eſſe errorem fundamentalem: cum vero numerum articulorum fundamentalium inire, & certo ſe determinare poſſe iidem negant, hinc fieri ſolet, ut hæc vox mox latius extendatur, mox arctiore ſenſu ſumatur; prout enim quis accuratiorem ſeſe adeptum eſſe fundamentalium articulorum cognitionem putat, ita magis vel minus reſtringit vel extendit ſuam hæretici definitionem. Quidam errori gravi adjungunt pertinaciam in errore defendendo. Ita *Profeſſores Leydenſes in ſynopſi purioris Theologiæ, diſput. XL. theſ. 39. dicunt, quod hæreticus ſit, qui in articulis gravis momenti & fundamentalibus ita errat, ut omnem correctionem reſpuat, & in errore pertinaciter perſeveret.* Cum vero non definiatur, quinam errores fundamentales ab illis appellentur, erransque pro veritate pugnare ſibi videatur, difficulter ſæpiſſime, utrum aliquis *pertinaciter* errare jure dici poſſet, affirmatur. Ita Pontificii Doctores Proteſtantes omnes pro hæreticis habent, licet illi exiſtiment, ſe nec graviter errare, neque pertinaciter errores defendere. Hæreticus ergo eſt Romanenſibus is omnis, qui a catholicæ, uti appellatur, eccleſiæ decretis recedit. Lex Cod. Theodoſ. Lib. XVI. Tit. 5. 1. 28. ita de hoc argumento pronuntiat: *Hæreticorum vocabulo continentur, & latis adverſus eos ſanctionibus debent ſuccumbere, qui vel levi argumento a judicio catholicæ religionis & tramite detecti fuerint deviare.* Græci moderni, acuti, ſi Diis placet, in rebus ad religionem ſpectantibus, judices, eandem cum Pontificiis tuentur ſententiam, quod ex diſputatione *Stephani Schavorskii*

ante aliquot annos edita patet. (*) Paulo aliter de hæresi loquuntur Remonstrantes. Cl. *Limborchius* Th. Christ. Lib. VII. cap. XX. sect. II. ita de hæresi ait: *Videtur denotare schisma in ecclesia, quod pravo aliquo seu humano dogmate ac commento nititur, contra Dei verbum: quoniam qui auctoritatem quandam sibi quærunt, novæ sectæ erectione, aliquid in fidei dogmatibus innovant, quo secessionem suam pallient.* Et sect. VIII. *Hæreticus ergo, prout vox ea hodie in usu est, proprie denotat hominem, qui sententiam communi ac vulgo receptæ, aut etiam a Synodo approbatæ, adversam tuetur; aut potius, qui errorem gravem, veritati publice receptæ (ut jam concedamus sententiam vulgo receptam esse veram) propugnat, non quia persuasus est, eam esse erroneam, sed quia vanis rationibus deceptus credit, se ipsissimam veritatem tueri, officiique sui esse, illius defensionem non deserere, quin potius acerba quævis perpeti, quam defensionem ejus deserere.* Animus non est hic loci expendere, quænam definitio hæreseos hactenus in medium allata melior sit. nec ne? Cum vero nulla secta Christianorum fateri velit, se gravem profiteri errorem, ipsaque definitio hæreseos variis ambiguitatibus obnoxia sit, præstaret, si titulo hæreticorum abstinerent Christiani omnes, & ad hoc duntaxat attenderent, utrum nempe hi vel illi gravius sua opinione errarent, nec ne, id est a disciplina christiana, a Christo & Apostolis tradita, tanquam cognitu necessaria longius recederent. Si Pontificios audiamus & Græcos, omnes Protestantes sunt hæretici, quo nomine etiam iis veniunt sectæ variæ v. gr. Anabaptistæ &c. Protestantes communi consensu fatentur, Romanenses tueri errores fundamentales; quod idem est, ac si dicant, eos hæreticos esse, etsi nomen

(*) De scopo dissertationis Schavorskii sic breviter judicat nobilissimus Academiæ Göttingensis Cancellarius Moshemius: „ Summa universi voluminis, si quis diligenter circumspexerit omnia, hæc est: Ruthenorum terram monstris istis & immanibus bestiis, quales hæretici sint, nulla mora interposita, purgandam, mites vero illas oviculas, quæ vocem Pastoris Romani sine ratione audiunt, introducendas esse, ne diutius „ libertate illa fruantur Rutheni, quam adhuc adversus omnes insidias „ sartam tectamque conservarunt.

„ Luctificam Alecto dirarum ab sede sororum
„ Infernisque ciet tenebris: cui tristia bella
„ Iræque insidiæque & crimina noxia cordi.

nomen hoc non usurpent: & ita omnes Christiani appellandi erunt hæretici. Cum vero ab altera parte omnes dissidentes inter se Christiani se verum tueri, atque orthodoxos esse, strenue affirment, nulli proinde plane erunt inter Christianos hæretici; quod satis ostendit, quam parum lucrentur, qui dissentientes hoc titulo onerant. Titulus profecto odiosus ad refutationem erroris parum conficit, imo odium tantum & iram in animis hominum excitat. Interim cum usu inter Christianos receptum sit, ut graviter errantes in religione hæretici appellentur, a consueta hac definitione non recedemus (*). Antequam quid hæretificationis nomine intelligamus, exponimus, de ipsa voce aliquid monendum est; scio eam esse barbaram, & puræ latinitatis Scriptoribus ignotam: interim quandoquidem ea a Theologis est recepta, & in compendio repræsentat malum & crimen, quod repræsentare volumus, credimus viros eruditos iniquis animis non laturos, si hac voce utamur, præsertim, quod in omnibus disciplinis tales reperiantur voces & appellationes, quas longa dies & consuetudo confirmarunt. Ut ad rem tandem ipsam perveniamus, per *hæretificationem intelligimus malitiosum studium homines vel plane innocentes, vel in minus momentosis religionis capitibus errantes, tanquam graviùm errorum reos accusandi, eorum famam & existimationem deprimendi, studium omnes lapsus hominum a nobis dissentientium in majus extollendi & amplificandi, cum hominibus malæ notæ eos comparandi, & vitam optimis viris acer-*

(*) Ipse Augustinus, qui de hæresibus & contra hæreticos scripsit, fatetur tamen non semel, difficile esse definire quid sit hæresis. Loca quædam collegit cl. Schüz, in dissertat. de hæresium necessitate, pag. 8. In præfatione (inquit) libro de hæresi ad Quod vult Deum, præmissa, velut quæribunda voce ita loquitur: „ In ea quæstione, ubi dis„ ceptatur, quid sit hæresis, omnino definire difficile est. „ Et iterum „ inquit: „ Quid faciat hæreticum regulari quadam definitione, sicut „ ego existimo, comprehendi aut omnino non potest, aut difficillime po„ test. „ Sub finem vero libri ita Lectores adhortatur: „ Rogo vos „ qui hæc legitis, ut ad id quod restat implendum (de iis autem loqui„ tur, quæ de constitutione hæreseos consignare promiserat) quod tam „ magnum esse cernitis, me orationibus vestris adjuvetis: „ Eandem (subdit vir doctus) quoque agnovit difficultatem F. U. Calixtus, cui ille, qui de hæresi disquisitionem suscipit, arduum ac difficile moliri opus dicitur. Confer cum hisce τυ μακαρίτυ celeb. Mosheimii dissertat. III. de Theologo non contentioso.

bam reddendi; ſtudium denique hominibus illis nocendi, eos perſequendi, in exilium mittendi, eos ad necem denique vel ad acerbiſſimos cruciatus depoſcendi. Deteſtabile hoc vitium per multa jam ſecula inter Chriſtianos peſtis ad inſtar graſſatum, omnibus, quibus hiſtoria eccleſiaſtica non plane ignota eſt, ſatis perſpectum eſt. Profecto non tanta mala intulerunt civitati ſacræ & ſocietati civili bella, peſtes, & morbi varii, quam belluinum illud *hæretificationis* ſtudium. Animus meminiſſe horret, luctuque refugit, quando ea lego, quæ (ut de Gentilium adverſus primos Chriſtianos perſecutionibus nihil dicam) ab *Arrianis* adverſus ita dictos Catholicos, *Vandalis*, *Gothis*, *Pontificiis*, adverſus *Waldenſes*, *Albigenſes*, *Wicleſitas*, *Huſſitas*, longe ante tempora emendationis Sacrorum, & poſtea adverſus Proteſtantes in *Anglia*, *Germania*, *Belgio*, *Bohemia*, &c. acta ſunt. Quis ſine ſacro horrore & deteſtatione legere poterit *hiſtoriam inquiſitionis* a cl. *Limborchio* deſcriptam? Putares agi non de hominibus, ſed de tetris dæmonibus & furiis. Quis neſcit, quanto zelo, eoque ineptiſſimo & acerbiſſimo, infauſtiſſimum illud bellum ſacramentarium geſtum fuerit? cui ne hodie quidem finis impoſitus. *Quis, niſi cui*, (*utor verbis* τȣ μακαριτȣ cl. *Viti*, quæ exſtant *Bibl. Brem.* claſſe IV. pag. 537. ubi *venerandi Jezleri*, *Antiſtitis quondam Schaffhuſani*, hiſtoriam de *diuturnitate belli Euchariſtici brevi compendio repræſentat*,) *degenerum Theologorum* φιλονεικεια & ϛομα ευλυτον προς λοιδορίαν *cognita atque perſpecta non ſint, exiſtimare unquam potuiſſet, tantum inter eos, qui eadem mente a Pontificiis diſceſſerunt, jurgiorum* ἀσυμβατων, *bellorumque* ἀσπονδων, *naſci ex eo tantum potuiſſe, quod cum in reliquis omnibus, quæ ad naturam Euchariſtiæ, fideique ſalutaris fundamentum pertinent, eadem ſentirent; alii verborum inſtitutionis* τήν διάνοιαν *ſecuti, ſolum panem atque vinum in externis ſymbolis, quæ & electis & reprobis communia eſſent, exiſtimarent: alii contra reliquam Sacramentorum naturam* τῶ ῥητῶ *ſervientes, etiam corpus & ſanguinem Chriſti alio quam ſpirituali, quique in reliquis Sacramentis locum habet, quo tamen ipſi neſcire ſe profitentur, modo, in, cum, & ſub pane tanquam ſymbolum externum, eſſe arbitrarentur. Vere hic locus eſt illi Euripidis in Androm. ſapientiſſime dicto:* Σμικρας ἀπ' ἀρχῆς νεῖκος ἀνθρώποις μεγα γλωσσ' ἐκπορίζει; τȣ̃το δὲ οἱ σοφοὶ βρότων ἐξευλαβȣ̃νται, μη φίλοις φέυρειν ἔριν. *i. e. A parvo initio lingua hominibus magnum jurgium ſuggerit. Ab eo autem ſibi viri ſapientes cavent, ne ami-*

cis

cis suis cudant contentionem. Est itaque quamobrem eos omnes vehementer pudeat, qui de re tam parvi momenti, i. e. de diversa unius voculæ EST explicatione, quarum neutra veræ & salutari de Sacramento sententiæ, usuique adversatur, utraque vero suo argumentorum pondere nititur, tantas lites, tantos tumultus, & in Dei ecclesia, & in societate civili cum primum excitarint, tum hactenus foverint atque aluerint. Quod qui faciunt, mihi profecto magis S. Scripturæ, nostræque salutis præceptis contraria & sentire & perpetrare videntur, quam qui falsa specie veri pellecti, de vero hujus vocis sensu revera errant. Hactenus ille. Cui ignotæ sunt infaustissimæ disputationes, de ordine decretorum divinorum, de prædestinatione, de modo operationis gratiæ divinæ, & connexis capitibus, de quibus Patres antiquissimi, sine ulla hæreseos nota, libere senserant, hodienum vero, imo jam a multo tempore, a multis Theologis tam invidiose repræsentantur, pondus earum in immensum extollitur, omniaque sæpe christianæ amicitiæ vincula rumpuntur, non sine offendiculo pacificorum & piorum. Non est animus heic loci de controversis illis capitibus agere. Unum tantum, quod multum ponderis apud me habet, de hoc argumento in medium proferam. Consentiunt Lutherani pariter & Reformati, (nam de aliis hic non agam) eos, qui divinæ gratiæ & beneficiorum per mortem Christi partorum participes sunt, certis notis & characteribus instructos esse debere, ex quibus merito colligant, gratiam per mortem Jesu Christi partam vim suam in animis suis exeruisse. Quod si salutares hos effectus Christiani sive Reformatorum sive Lutheranorum partibus addicti in se deprehendunt, quid juvat multis disputare, utrum secundum horum vel illorum hypotheses auxilium hoc divinum obtigerit, nec ne? Profecto vagæ & generales de prædestinationis & gratiæ &c. modis communicationis, parum mentes ad beneficiorum illorum attentam contemplationem, aut sedulum pietatis studium excitare possunt. Si quis sanitate utitur prospera, aut multorum adversus se experitur benevolentiam, aut denique in dies magis magisque facultates suas augeri manifestis indiciis sentit, ille in sinu gaudet, Deo gratias agit, licet, qua ratione hæc beneficia omnia ad se devoluta sint, singillatim exponere non possit. Quo ipso nolo fateri, difficultates in hac controversia occurrere nullas, aut systema unum pro altero majore probabilitatis gradu instructum

non

non esse. Hoc tantum volo, in ejusmodi controversiis, ad usum potissimum, & ad ea quæ maxime essentialia sunt in aliqua quæstione, esse attendendum, neque statum quæstionis ultra modum extollendum, aliosque qui secus sentiunt vellicandos. Durare adhuc schisma in Belgio inter *Arminianos* & *Reformatos* sine ulla compositionis spe, nemini ignotum est. Notum eheu! est, quosdam ex fratribus Lutheranis vehementissime extollere dissensum mutuum, & alienissimo esse animo adversus Reformatos. Fassus est id candide mitissimi ingenii Theologus S. *Werenfelsius*, *de logomach. erudit. cap. IV.* *Quis nescit*, inquit, *atque utinam id nesciri posset! esse inter eos, ad quos tanquam fratres complectendos toties, heu toties frustra! brachia nostra expandimus, qui magis nostros amplexus horrent, quam infesta inimicorum odia; quam credulitatem eorum, qui non verbis, sed ferro flammisque cum adversariis suis disputare solent; quam intolerabile tot humanarum traditionum jugum; quam superbissimum ejus, qui se supra omnes Reges effert, dominatum; quam barbarum illud, quod Inquisitionem vocant, nescio cujus Phalaridis inventum? quos facilius adduceres, ut Babylonem reversi, cum iis fœdus inirent, quorum doctrinam ut Antichristianam, quorum cultum ut idololatricum, quorum regimen ut conscientiarum carnificinam, Majores suos tanta solicitudine fugisse sciunt; quam ut, non dico cum iis in gratiam denique redirent, sed quoquo modo tolerarent, saltem non omnibus diris devoverent eos, qui una cum ipsis Babylonem reliquerunt olim, cultum ejus, doctrinam & tyrannidem abominantur etiamnunc, sævitiam ejus sentiunt pariter, jugum ejus pariter extimescunt. Tantarum vero irarum causa est, non aliquis in fundamento fidei dissensus, sed (quod nemo non videt, qui modo rationis aut compos est, aut aurem illi præbet) in paucis quibusdam, si non levibus, certe essentiam Christianismi nullo modo constituentibus.* Hactenus excellentissimus ille Theologus. Laudat Gab. *Daniel*, celebris Jesuita, Paulum V. Pontificem Maximum, quod authoritate sua lites inter *Jesuitas* & *Dominicanos*, de auxiliis gratiæ ortas, per imperium & alterius partis oppressionem componere noluerit. *Après* (inquit) *un long travail & une infinité de discussions, le Pape ne décida rien, & se contenta de commander la paix aux deux partis. Il la leur commanda d'une maniere, qui devoit les satisfaire, puisqu'il permettoit aux uns & aux autres de soutenir leur opinion, à ceste seule condition, qu'on*

la

la soutint avec moderation, sans amertume, sans invectives, & surtout sans donner de sa propre authorité à la doctrine contraire à celle qu'on defend, des notes injurieuses d'erronée ou d'héretique. Vide le Journal des *Sçavans* pour l'année M. DCCV. pag. 851. Exemplum hoc imitari debuissent, & adhuc Theologi Protestantes deberent. Non quæritur, utrum ecclesiæ romanæ Doctores hodienum hoc consilium sequantur necne? Quam audacter fratres contra fratres, versus se invicem in *Belgio*, occasione hypothesium coccejanarum, ad solidæ eruditionis & pietatis studium nil facientium, insurrexerint, & armis congressi sint quammaxime hostilibus, non sine religionis & pietatis amantium offendiculo? *Quæ*, inquit *idem celeb. Werenfelsius, unquam disputationes cum pertinacissima Judæorum gente, cum impuris Mahometanis, cum blasphemis, cum Libertinis, cum Atheis, omnisque religionis irrisoribus, tam pugnaces fuerunt, quam nuper sive puræ illæ, sive mixtæ logomachiæ, quarum supra mentionem fecimus,* (capite nimirum II. & III.) *cum in aliis Academiis & Scholis, tum præcipue in Belgio fuere? Risit invidia: exaltavit livor: objecerunt nobis æmuli, non sine maligna lætitia* διπλοῦν κάππα *Belgium infestans: fuerunt qui ex libris, de his controversiis scriptis, formulas convitiandi, egregios scilicet flosculos excerpserunt. Nimirum quemadmodum rixæ inter fratres vicinosque, sicubi accensæ sunt, ardentissimæ esse consueverunt: ita verissime dixeris, inter eos, qui sententiis quammaxime vicini sunt, atque adeo, qui in solis quandoque verbis dissident, fervidissimas quandoque altercationes intercedere.* Quis ignorat, quanto animorum æstu controversiæ *Cartesianæ*, & nostra ætate *Wolsianæ*, sint agitatæ? adeo quidem, ut quibusdam non hæreseos tantum, sed Atheismi nota inusta sit. Nolo referre innumeras lites, quæ inter privatos & eidem sectæ addictos mutuo intercesserunt alibi locorum; quoniam singulas repræsentando vix finem repertura esset mea oratio. Hodienum vix est Academia vel Gymnasium, in quibus pestis illa, *hæretificatio* nimirum, vel non clam serpat, vel apertius grassetur. Fratrum ordinis ecclesiastici gratiam raram esse valde, quis non cottidie deprehendit? Omnia suspicionibus inter eos plena sunt. Unus alterum clanculum conviciis circumvenit, ejus existimationi detrahit, innocentissimas ejus opiniones in majus extollit, optimos conatus sufflaminat, eosque, qui non omnibus religionis patriæ sententiis subscribunt, pro Indif-

ferentiſtis venditat, quæ vox non minorem horrorem in animis excitare ſolet, quam atrociſſima hæreticorum appellatio: certe eo uſque progreſſa eſt in hoc negotio audacia, ut putes amorem chriſtianum terras penitus reliquiſſe. Hoc vero malum adeo in oculos, qui eos claudere nolunt, incurrit, ut illud infitiari nemo cum aliqua veri ſpecie poſſit. Nihil jam dicam de deteſtabili & omni humanitati adverſo Inquiſitionis tribunali, quod junctis viribus reges chriſtiani exterminare deberent: nihil de deteſtandis artibus Jeſuitarum, qui adverſus eos, qui Bullam Pontificis Romani notam, in cæteris licet religioni pontificiæ vere addicti, admittere nolunt, vehementiſſime ſæviunt, quas noſtra ætate inter alios detexit ingenioſus diarii gallici auctor, cujus titulus: *Le JOURNAL univerſel.* Ut nihil dicam denique de eorundem Jeſuitarum, qui Miſſionariorum officiis inter Gentiles defunguntur, fraudibus & catilinariis conciliis, adverſus eos, qui religionem ſincere repræſentatam vellent, conatibus. De quo integri exſtant libri, conſcripti ab iis, qui teſtes erant oculati.

V.

Funeſtiſſimi fructus hæretificationis.

Antequam ulterius progredimur, atque oſtendimus, hæretificationem veri nominis *crimen* eſſe, ab Imperantibus caſtigandum; duo præmittenda eſſe videntur: *prius* eſt, ut funeſtiſſimos pravi hujus ſtudii, paulo prolixius, præter ea, quæ jamjam a nobis in medium prolata ſunt, oſtendamus effectus: *poſterius* ut & μεθοδικὰς illas in medium producamus, quibus utuntur illi, qui deteſtabili hoc vitio laborant: prius fiet in hac prima, poſterius in ſequenti diſſertatione. Et primo quidem manifeſtum eſt, hoc vitium non tam altas radices agere in animis plebejorum, quam vero eorum, qui V. D. M. & Theologi appellantur. Notum eſt jam vero omnibus, & in proverbium abiit *odium theologicum*, quo ferventius nullum eſſe ſolet. Venerabilis quidem Cancellarius *Moshemius*, in ſua oratione de odio theologico, aliqua ex parte Theologos excuſare voluit, comparatione inſtituta cum aliarum diſciplinarum v. gr. philoſophiæ, juriſprudentiæ, grammaticæ, &c. cultoribus, oſtendendo, non minores lites & contentiones, quam inter eos, qui Sacris operantur, omni tempore exortas fuiſſe, & adhuc ali, in quo ab eo non diſſentimus: Sed ſi ad funeſtiſſimos animorum motus

& ef-

& effectus, quos omnium seculorum historia repræsentat, animum convertimus, manifestum erit, hoc, de quo agimus, crimen longe majora semper ecclesiis & rebuspublicis intulisse mala, quam lites inter Jurisconsultos, Medicos &c. agitatas. Quanquam enim hæretifices non eo usque semper prodire possint audaciæ, ut apertas persecutiones excitent contra eos, quos odio habent; multis tamen modis innocentibus vel leviter errantibus nocere possunt. Quoties ob malignas suspiciones & clandestinas calumnias viri præstantissimi post carecta latere, & cum paupertate colluctari debuerunt, subductis in eorum locum adulatoribus & simulatoribus, nullo solidæ & veræ eruditionis apparatu instructis? Quam sæpe viris candidis, veritatis & pacis amantissimis, per hæretifices vita reddita est acerba? Quoties leves homines & timidi, deque pane potius lucrando, quam de veritate serio investiganda & sequenda solliciti, contra sacratissimas conscientiæ leges, propter metum hæretificum peccarunt? Certe persecutiones violentæ sæpissime citius finem imposuerunt miseriæ hominum calumniis perperam circumventorum, quam lentæ infectationes, sub specie adhuc tolerantiæ erga miseros exercitæ. Ex hoc fonte promanare solet, quod in ampliſſimis etiam civitatibus, vix tres numero Theologos (quo nomine etiam V. D. M. intellectos volo), qui inter se sinceram & vere fraternam colant amicitiam, reperias. Si per menses aliquot in urbe quadam degas, ubi magnus est Ministrorum proventus, eosque convenias, atque de rebus ad religionem & controversias spectantibus data opera disseras, mox manifestum erit, plerosque rancorem animo implantatum tegere non posse, sed manifestissimis prodere sermonibus. Scio quidem ex diversitate ingeniorum, temperamentorum, lectionis librorum, præceptorumque oriri posse malum: at non erro etiam, experientia multorum annorum inductus, si dixero, plerosque literarum cultores mature venenum illud malignum, studium nempe hæretificationis imbibere, atque alios, in minoribus etiam rebus a se dissentientes, ferre non posse. Nimirum plerique, prout in patria vel apud exteros usi sunt præceptoribus, ita vel aliter sentire non solum de præstantia hypothesium in medium prolatarum, sed & de eruditione, sinceritate & orthodoxia aliter sentientium, magis vel minus inique ratiocinari solent. Hinc ubi in una sede vel urbe morantur, & ad quasdam dignitates grassari utri-

que volunt, utplurimum clandestinis utuntur primo calumniis & infectationibus, postea vero, ubi majoribus præsidiis sese munitos esse putant, publice prorumpunt, itaque iracundiam viro honesto, nedum Christiano indignam alunt, propagant, omnibusque indiciis ita produnt, ut quicquid ad dissentientem extenuandum & suspectum reddendum facere potest, nihil omittant. Et ita tristis & funestæ hæretificationis prima ponuntur fundamenta. Et ubi manent tandem divina Christi & Apostolorum de fratribus errantibus amice tolerandis & ferendis monita? Profecto sartor & sutor de sartore & sutore magis sincerum & amicabile feret judicium, quam Theologus de Theologo, vel V. D. M. de alio, licet in eadem urbe degente, & eandem religionem sequente Sacrorum Ministro.

II. Secundus isque tristissimus effectus hujus studii hæretificationis est, quod nimirum inter *plebem*, quo nomine omnes eos intellectos volo, qui controversias religionis, quæ inter dissidentes inter se Christianorum familias agitantur, ignorant, apertissima *scandala*, cum detrimento religionis & pietatis conjuncta, necessario oriantur. Idque ex duplici fonte facile emanare posse quilibet videt. Primum petitum est ex *diversitate* opinionum, earumque non necessaria *multiplicatione*. Qui solidam & accuratam religionis cognitionem perspectam habent, & quid in religionis negotio grave & momentosum sit, haud ignorant, (quanquam ut verum fatear, pauci eo deveniunt) diversitate opinionum, quæ inter Christianos omnium seculorum locum habent, parum moventur, aut ab amore sincero religionis castæ puræque retrahuntur, quandoquidem de iis, quæ ad salutem consequendam requiruntur, certissime sunt persuasi & convicti: at horum exiguum numerum esse, omnes norunt, qui ea, quæ inter Christianos aguntur, haud prætermittunt. At alia plane ratio est plebis, alia hominum, qui non plane stupidi sunt in rebus ad religionem pertinentibus inter Protestantes. Hæc ab una parte centies a Doctoribus suis & publicis Oratoribus ingeminari audit, solam Protestantium doctrinam, catechismis publicis comprehensam, latiusque in systematibus, quæ Theologiæ cultoribus & futuris V. D. M. traduntur, explicatam, veram ad salutem consequendam viam monstrare. At ubi homines illi audiunt, Doctores & ductores suos in diversa abire, tot esse discrepantes inter ipsos sententias, & omnes tamen ad Scripturam, tanquam unicam

creden-

credendorum normam provocare, fieri aliter non potest, quam ut ii, qui solida religionis cognitione instructi non sunt, incipiant, de publicis, quibus addicti sunt confessionibus, addubitare; augetur malum, si passim audiant, quot tandem controversiæ ab eo tempore, quo Lutherus & Calvinus religioni Romanensium nuntium miserunt, excogitatæ sint, & in quantum numerum excreverint diversæ illæ opiniones, quasque excitarint tragœdias. Hinc enim colligere solent, religionem rem esse incertam; omnibus licitum esse, utramque in partem de ea disputare, eos esse felicissimos, qui nulli opinioni firmo animi adsensu adhæreant: nihil melius excogitari posse, quam si quilibet pro temporum, locorum, sectarum &c. diversitate, id potissimum credat, quod commodis suis & statui præsenti quammaxime sit conforme & attemperatum; religionis præcepta non magis esse immutabilia, quam vestimenta, & quæ alia magis tristia & funesta ex hac opinione consectaria sequuntur, quorum omnium minus circumspecti ita dictæ orthodoxiæ defensores & clamatores, quos ego hæretifices appello, causæ sunt & instrumenta. Meminerit autem B. Lector, ne calumniandi locus sit, nos loqui de iis Doctoribus, qui innocentes aut leviter errantes insectantur & calumniantur. Hoc scandalum promovetur non solum enumeratione & multiplicatione diversarum in religionis negotio opinionum, sed & singulari zelo, dicam an rabie eorum, qui ad insectandos alios hæc in vulgus sparguntur. Non enim sine maxima animi contentione de hisce verba possunt facere: ira ita æstuant sæpe, ut homines candidissimos etiam & pacis amantissimos non possint non offendere. Unde homines non prorsus inepti, sed gnari causarum, quæ tam severos Catones impellunt, ut dissentientium religionem & pietatem suspectam reddere possint, non tantum sæpissime incipiunt hos Trasones odio habere, & tanquam garrulas mulierculas ridere, & ea, quæ vulgi rumoribus de vere errantibus sparguntur, pro fabulis habere, sed ubi publice tales audiunt etiam de gravissimis religionis, inprimis vero ethicæ christianæ præceptis, non imperite verba facientes vel scribentes, fastidiunt, probe memores eorum, quæ contra fratres suos effutiverunt scommata, & quam nigro lapillo eos designarunt. Quoque magis isti homines rethoricantur, & quasi de cœlo delapsi nuperi sanctuli, stylum, faciem, frontem, inflectunt, eo magis credunt, illos

hiſtriones agere, idque facere, ut plebi imponant, publiceque aliam plane perſonam, ubi de proximi amore ſermo eſt, agere, privatim vero ſuis inhiare affectibus.

III. Malum, quod ex inſano hoc ſtudio emergere ſolet, hoc eſt: quod nimirum *veritatis inveſtigandæ ſedula cura ſenſim ſenſimque ita ſupprimitur, officiumque componendarum litium magis magiſque contemnitur & negligitur.* Oſtendamus hoc per partes ſed ſtrictim, quoniam memores ſumus, nos alibi paſſim de his rebus egiſſe. Et principio quidem notum eſt, homines natura ſua valde pigros eſſe & tardos, ad veritates nonniſi accuratiore perveſtigatione inveniendas, rite examinandas: plerique delectantur iis quammaxime, quæ animis voluptatem adferre ſolent, moleſtias omnes fugiunt, ſeque beatos eſſe prædicant, ſi vitam hanc ſine moleſtiis tranſigere poſſunt. Infelices ut plurimum eſſe judicant eos, qui in eruendis maximi momenti veritatibus ſeſe occupatos eſſe dicunt. Et niſi accedant monitores & juventutis formatores, parenteſque melioribus imbuti præceptionibus, plerique mortales in iis acquieſcunt opinionibus, quæ publice ubi nati ſunt, receptæ ſunt. Jam vero notum eſt (b) ad rite perpendendas lites & controverſias, quæ paſſim a longo tempore exortæ ſunt, ſtudio & labore opus eſſe, præſertim poſtquam Chriſtiani articulos religionis in immenſum dilatarunt, atque exiſtimarunt, neminem cœlo recipi poſſe, qui minutis omnibus articulis a præceptoribus præſcriptis non ſubſcribat. Quanquam enim ad bene beateque vivendum non opus ſit, ut diſquiras, quibus de religione opinionibus imbuti ſint alii, cum unusquiſque de ſalute ſua promovenda ſollicitus eſſe debeat, certum tamen eſt, eos, qui aliis inſtruendis & de veritate convincendis ſingulari quadam ratione obſtricti ſunt, examen aliquod veritatum ſeu opinionum, quæ inter Chriſtianos potiſſimum agitantur, inſtituere debere, partim ne homo plane religionis rudis eſſe videatur, partim ut aliquam ſibi comparet inter gregales ſuos auctoritatem. Ad hoc autem præſtandum, in tanta animorum diverſitate, pertinaci labore & ſevero inquirendæ veritatis ſtudio opus eſſe, quis tam ſtupidus eſt, ut non deprehendat?

(c) Per naturam rerum & ingeniorum humanorum diſcrepantiam fieri non poteſt, ut omnes in ſingulis minutiſque opinionibus, quas longa dies, præceptorum auctoritas & conſuetudo confirmavit, conſentiant. Optimus quiſque & veri amantiſſimus facile errare

care potest, atque adeo per conscientiæ leges tenetur aliquando ab iis in religionis negotio recedere, inter quos altus & educatus fuerat.

(d) Ubi vero eruditionis & veritatis amantissimi viri deprehendunt, manifestisque indiciis cernunt, pertinaci labore, vigiliis & meditationibus sese hoc unum obtinere, ut perpetuis zelotarum & hæretificum sint obnoxii obtrectationibus & persecutionibus, non solum ipsimet tædiis molestissimis compulsi, a studio pervestigandæ veritatis abhorrent, sed & exemplo suo alios invitant, ut neglecto veri investigandi studio credant, quod communiter creditur, antecessorumque suorum placita, ridicula licet aliquando, & a vero quammaxime abhorrentia sequantur tamen, licet ea sæpe albis dentibus rideant atque explodant. Nemo non videt hac ratione studium sincerum veritatis inquirendæ sensim sensimque tolli.

(e) Hæretifices ipsi, aut ignorantia vel secordia turpi præpediti, verum cernere in religionis negotiis non possunt, aut malitia superbiaque compulsi studio inquirendæ veritatis, quantum possunt, resistunt, persuasi nimirum, actum esse cum sua auctoritate, quam apud plebem & nasutulos quosdam obtinuerunt, si vel latum digitum unquam de arreptis semel temere opinionibus essent recessuri. Hinc vetus & inolita superstitio triumphat, animi jam in partes distracti abalienantur magis ac magis, veritasque argumentis gravissimis innixa licet, obfuscari tamen & premi debet.

(f) Quo magis autem hæretificum auctoritas valet, eorumque opiniones vim legum obtinent, eo minor spes est, fore, ut obortæ lites de quibusdam religionis capitibus componantur, aut saltem de earum momento amicum instituatur examen. Docet hoc omnium seculorum experientia, & plane hospes est in historia ecclesiastica veteri & recentiori, qui hoc in dubium revocare vellet. Fatentur quidem omnes, saltem illi, qui Protestantium sententiis sunt addicti, in religionis negotiis caute esse agendum, neque votorum numeris veritatem probari posse: at meri verborum soni sunt hæc dicta omnia, ut plurimum; ubi enim ad negotium ipsum, de quo disputatio orta est, deventum, nulli libertati relictus est locus, turba hominum, qui per vitam veritates saluberrimas nunquam rite examinarunt, neque propter ingeniorum imbecillitatem rite expendere possunt, vincunt, variisque ratiunculis os obturant cæteris dissentientibus. Miraculo profecto simile est, si hæretifex unus vel

alter

alter honestissimo viro vacivas præbeat aures, ejusque rationes pro sua sententia in medium prolatas placide audiat. Plerique clamant, fas est odisse viros, eruditos licet & non contemnendos, sed opinionibus nostris non subscribentes: novaturiendi studio suam existimationem extollere, nostram vero legitima ratione acceptam & stabilitam subruere satagunt; consequentiarum apices, quos ne oculatissimus quisque pervidere posset, urgent; atque ita illi, qui de componendis litibus per conscientiæ leges deberent esse solliciti, vinculum omne pacis abrumpunt.

IV. Porro pestilens hoc studium *hæretificationis* homines vel in incredulitatis barathrum conjicit, vel hoc morbo laborantes in pravis, quas forte fovent, opinionibus confirmat, Atheorumque & Deistarum risui exponit sanctissimam religionem: de qua re tamen parcius ago, quia memini, me paulo prolixius de ea disseruisse in *dissertat. de causis incredulitatis & medela huic malo adhibenda:* tribus igitur, ut ajunt, verbis duntaxat de hoc argumento agam, quanquam materia sit, quæ in hac seculi depravatione satis inculcari mea opinione non possit. Dico igitur *primo*, detestabilem hanc consuetudinem, atro carbone vel innocentes aut leviter errantes in religionis negotio depingendi, homines facile in incredulitatis foveam præcipitare posse. In genere hoc verum est, jactatam tantarum in religionis negotio opinionum diversitatem, quam *hæretifices* augent, duplicis ingenii homines facile corrumpere posse: Nimirum sunt homines, qui ingenium bonis artibus non excoluerunt, sed quod in juventute traditum est, exosculantur, eique tanquam saxo adhærent. Hi vero ubi audiunt cottidie novas opiniones de religione fingi, utramque in partem disputari, hominibus sincere religionem examinantibus insultari, colligunt, religionis examen rem esse valde periculosam, & ancipiti gladio similem, quo te utraque ex parte lædas, propius religionis articulos trutinans atque expendens; nihil igitur tutius esse, quam missis omnibus de religione patria acceptis opinionibus, eorum accedere sententiæ, qui putant, eum tutissime agere, qui religionem tanquam rem incertam valde, & mutationi temporum & locorum, in quibus degimus, expositam considerent, neque illius seriam habeant curam. Alii artis ratiocinandi non imperiti, neque ingenio plane, & aliquo eruditionis apparatu destituti, in sinu gaudent, tot inter Christianos

nos discordes sententias esse exortas, eoque nomine de religionis certitudine addubitari posse, jure quodam colligi firmiter sibi persuadent: cum vero videant, quibus artibus pessimi sæpe hypocritæ, nullis licet elegantioribus literis exculti, aut graviorum disciplinarum cognitione imbuti, ad honores & dignitates grassentur, proque lubitu aliorum existimationi detrahant, & in omnes, quos odio habent, omnem suam iram & bilem effundant, sub prætextu religionis, magis magisque in opinionibus suis semel arreptis confirmantur, artemque sæpe arte eludunt, i. e. credunt ipsimet nihil, sed ubi sua interesse putant, altos excitant clamores contra dissentientes, ipsimet vero albis dentibus domi rident. Tales numero plures reperiri, inter politici & ecclesiastici ordinis viros, ii demum ignorant, qui nasum non habent, atque ad ea, quæ inter homines geruntur, plane non attendunt.

Neque intra cancellos suos inclusum est malum pestilentissimum, sed longius serpit, omniaque civilis etiam societatis vincula aut tollit, aut saltem debilitat. Penetrat in aulas Regum, & Principum curias. Postquam enim, ut de Regibus romanæ curiæ addictis nil dicam, Principes & Imperantes inter Protestantes, nescio quibus rationibus inducti sunt, ut credant, suum officium esse, non solum ea, quæ ad formam externam religionis pertinent, probe curare, religionemque sua opinione præstantissimam legitimis mediis promovere, sed & putant se de articulis religionis theoreticis, & inter Christianos controversis, decretorium ferre posse judicium; imo eos, quos sententiæ suæ, vel ecclesiæ in qua nati sunt, addictos non esse existimant, pœnis quibuslibet subjicere civilibus, hæretificationi ampliſſima data est occasio, in optimos quosque veri rectique amantissimos grassandi. Sæpe præstantissimi viri, qui omnia egerunt, quæ ad solidam eruditionem consequendam, & quæ inde nasci deberet promotionem expectandam facere possunt, nesciunt, cur a viris spectatæ dignitatis negligantur. Præter alia vero sæpissime in causa est, quod hi nimirum pravis suspicionibus circumventi sunt, & non satis caute ineptis zelotis vacivas præbuerunt aures. Hinc etiam fieri sæpe solet, ut ubi negotia duntaxat civilia tractantur, & de religione plane non agitur, exortis inter duas partes litibus & disceptationibus, homines, qui judicum loco sedent, in eorum potius propendeant partes, quos orthodoxos esse, i. e. receptis opi-

nionibus addictos, ab occultis illis obtrectatoribus deprædicari audierunt. Quasi vero in negotii civilis examine ad opiniones privas sectarum, non vero ad jus respiciendum esset. Cum autem ut plurimum hæc negotia tractandi ratio, litesque solvendi methodus, inprimis in rebuspublicis, vix taceri vel latere possint, facile colligi potest, quanta inimicitiarum, discordiarum & vindictæ semina hac ratione spargi & disseminari possint, non sine civium detrimento.

Tandem per detestabile hoc vitium, consanguinei, fratres, aliisque amicitiæ vinculis conjuncti, pravis inter eos sparsis per infaustam hæretificationem calumniis, alienatos a semetipsis habent animos, quod funestissimos potest parere fructus, vix sæpe per seculi intervallum eradicandos. Neque aliud est malum magis aptum, ad serenitatem mentis, ejusque tranquillitatem tollendam, hoc ipso pravo, quod impugnamus, vitio. Notum est ab una parte, quod omnes sanæ mentis homines nihil magis exoptent, nullaque re magis delectentur, quam si in hac vita tranquillum possint agere ævum, & aliorum hominum amicitia frui; ab altera vero, nihil magis eos confundere, tristes reddere & calamitosos, quam si inter perpetua jurgia, suspiciones pravas & intentatas iniquas criminationes, spiritum trahere debeant. De hoc vero, quia omnium mortalium commune malum est, pluribus non agemus; verba tantum hic facimus de iis, qui innocentissime graviorum errorum postulantur, atque ad apologias scribendas frequentissime, inviti licet, coguntur. Pone hominem sincerum, candidum, veri amantissimum, quique omnes ingenii nervos ad veritatem theologicam eruendam & defendendam intendit, neque sacras Literas duntaxat solum ἀπερ παθων consulit, sed & doctissimos quosque, suaque opinione aptissimos, ad religioni lucem adferendam, confert, quique sine cujusquam infectatione id quod verum esse sibi persuadet in medium profert, sibique ab eo omni cavet, quod alios irritare ulla ratione possit. Pone, inquam, ejusmodi hominem publice & privatim calumniis circumveniri, portentosarum opinionum religioni & paci publicæ adversantium argui, inter ita dictos hæreticos referri, pœnisque etiam variis adfici; quæro tandem quid magis tranquillitatem mentis suæ tollere, eique vitam acerbam reddere possit, quam hoc pravum studium? Millies autem contigisse, ut hæretifices excellentissimis hominibus hanc calamitatem intulerint, nemo doctorum

rum ignorat. Quibus autem tandem privilegiis instructi sunt hæretifices, ad homines aut innocentes, aut levioribus opinatiunculis addictos exagitandos? Et quid impedire tandem debet Imperantes, pro publica tranquillitate invigilantes, quo minus tanto malo obicem ponant, eosque dignis excipiant modis, qui in viros de ecclesia & republica optime meritos tam acerbe invehuntur?

V. Supra diximus, nullum vitium religionis christianæ genio, inprimis de amore proximi, magis adversari, quam detestabile illud cacoethes, alios ob dissensum levem in quibusdam religionis capitibus perstringendi, notissimumque esse Christum & Apostolos, Joannem præsertim, in suis epistolis nil magis commendasse quam fraternum amorem, tolerantiam & amicitiam, cui pestilens hoc, quod notamus studium, e diametro repugnat; neque igitur dicta repetemus. Sed hoc unum jam dicimus, hæretifices ipsos in causa esse, atque olim, ubi adscriptus pœnæ dies adventurus est, rationem reddituros pravarum adfectionum & commotionum, quibus sese abripi passi sunt, adversus viros veritatis amantissimos & candidissimos. Quis mortalium, ubi gravissime & impudentissime impugnatur, & contra conscientiæ suæ decreta gravissimorum errorum postulatur, atque adeo, quod sæpe auctoritate publica injungi solet, justissimam sui defensionem propalare debet, quis, inquam, tam compositа semper potest esse mente, ut non pravis affectibus frena laxet, adversariis insultet pariter, eorum existimationi, quantum in se est, noceat, omniaque ea in medium proferat, quæ ad eorum existimationem conculcandam favere posse existimat, sæpe etiam iis in locis, ubi castigandi non essent. Publica exinde scandala oriri, quis nescit? Certe difficillimum est, ubi alii nonnisi lapides loquuntur, semper byssina reponere verba. Et quibus tandem aliis horum malorum adscribenda est causa, quam impotentissimis hominibus, effrenato impetu optimis insultantibus.

VI. Falso insuper accusati non solum non imputationibus falsis emendantur, sed ut plurimum etiam, quando errant, sæpius longius progrediuntur ratiocinando, quam par erat, & de quibus antea non male sentiebant, eos pro impostoribus & hypocritis, saltem pro imperitis habent, atque quantum possunt, conferunt, ut sanorum omnium exponantur contemtui, quæ res iterum quanta post se trahat mala, nemo non deprehendit. Nisi placide comiterque cum errante agamus,

mus, actum est de emendationis spe; existimat enim adversarium non tam id agere, ut erroris causam ipsi monstret, sed ut ipsum reddat invisum; quæ opinio, ubi semel radices in animo egit, ad argumenta etiam valida aliquando animum non convertit, sed de injuria quovis modo propulsanda totus est sollicitus. Qui vero innocens plane est, saltem se talem esse putat, ira efferveſcit, & de hæretifice abjecte sentit.

Denique per hoc *malum* sæpissime exortæ sunt vehementissimæ persecutiones, quod cum omnium seculorum testentur exempla, opus non est ut inductione multorum testimoniorum id comprobemus. Unum tamen & alterum recentiorum eruditorum suffragium attulisse non præter rem erit. Vide integrum sermonem ven. *Sakii*, qui exstat serm. sac. vol. IV. sub hac ἐπιγραφῇ, *vvider den unchristlichen Secten-Geist.*

Clarissimus *Fosterus Serm. sac. vol. I. serm. XII. versionis germanicæ*, ad locum 1. Corinth. XII. v. 25. agens *von Spaltungen*, sequentem in modum pronuntiat: *Es muß in der That einen jeden, der mit dem sanftmüthigen und liebreichen Geist des Christenthums einiger massen bekannt ist, vvundernehmen, vvie die Bekenner einer Religion, vvelche nichts so sehr einschärft als Freundlichkeit, Mässigung und allgemeine Liebe, so geneigt seyn können, sich in Partheyen zu zertheilen und zu zerbröklen; so dann aber mit so vieler Bitterkeit und Wuth aufeinander loszugehen. Es ist etvvas völlig unnatürliches, in so fern vvir Menschen sind, die durch das Band einer gemeinschaftlichen Natur und durch gemeinschaftliche Vortheile verbunden sind: noch vielmehr aber vviderspricht es unserm Character, in so fern vvir Christen sind, deren hauptsächlichstes Unterscheidungs-Zeichen von den Bekennern anderer Religionen, vvenn vvir anders den Grundsäzen nachleben vvollen, die uns das vvahre Christenthum einflößt, eine gegenseitige Verträglichkeit, Uebereinstimmung und Friede seyn vvürde. Nichts destovveniger aber liegt die Sache in der Erfahrung am Tage, und leidet vveder Ausflucht noch Zvveifel. Eigennuz, Stolz, Herrschsucht, ein tyrannischer Geist des Gevvissenszvvanges, und bisvveilen vielleicht (denn ich befürchte daß dieß nur selten geschehe) bloße Vorurtheile, dabey nicht die geringste böse Absicht vorgevvaltet, haben in der Kirche eben so grosse und gefahrliche Factionen veranlaßt, als jemals durch eben diese bösen Ursachen vvider die Sicherheit und Ruhe eines bürgerlichen Staats erregt*

und

und genährt vvorden. Die christliche Gesellschaft ist in unzählliche Abtheilungen zersplittert vvorden, davon eine jede die andere verbannet, gelästert, und so oft sie nur Macht dazu gehabt haben, verfolgt hat. Hierdurch ist die gemeine Sache der christlichen Religion geschvvächt, und der Gefahr ausgesezt vvorden; und das Christenthum, vvelches doch so vvundersvvürdig dazu eingerichtet ist, daß es die Menschen gesittet machen, ungestüme und ungebrochene Köpfe zähmen und besänftigen, dergestalt aber die allgemeine Glükseligkeit befördern kann: dieses Christenthum, sage ich, ist ein Mittel gevvesen, ihre Leidenschaften aufzubringen und anzufeuern, folglich durch die allerbetrübteste Vervvandlung eine Quelle der Zvvietracht, der Vervvirrung und des Elendes gevvorden. Passim etiam vitium hoc vehementer taxat ὁ μακαρίτης celeb. *Heideggerus* noster, in *Historia Papatus*, *Mysterio Babylonis & in dissertat. de violenta conversione errantium.* Denique (ut alios multos silentio transeam) legi de hoc argumento meretur ill. *Tillotsonii*, Archiepiscopi olim Cantuariensis, oratio cujus titulus: *De l'incompatibilité d'un zèle cruel & vindicatif avec l'esprit & le but de l'Evangile.* Extat illa tomo III. serm. sac. editionis *Barbeyracii.* (*)

TANTUM.

THESES

THEOLOGICÆ MISCELLANEÆ.

I. Ex contingentia Universi, existentiam Entis necessarii; & ex ordine finibusque rerum creatarum, ejusdem Entis necessario existentis supremam intelligentiam, sapientiam & potentiam rite colligimus.

(*) His addendus est libellus a cl. BRAUSOBRE hoc ipso anno Berolini editus sub titulo: „ Le triomphe de l'innocence, ou particularités peu „ connües, aussi honorables aux Reformés de France, qu'elles le sont peu à „ leurs Adversaires. „ Nec non de simili argumento agens scriptum A. 1752. sub titulo: „ LE PATRIOTE FRANÇOIS & IMPARTIAL, „ ou reponse à la lettre de Mr. l'Evêque d'Agen à Mr. le Controleur Général, contre la tolerance des Huguenots, en datte du premier May 1751. Digni essent duo hi libelli qui in idioma germanicum transferrentur.

II. Miracula, quæ venditant Pontificii, tam fide indigna sunt, quam quæ a Christo facta narrant Evangelistæ, credi merentur.

III. Si probaverint Pontificii, suas *Traditiones non scriptas* originem suam a Christo aut Apostolis habuisse, sicut dogmata in Evangeliis contenta ab iis promanasse demonstratur, lubentissime eas admittemus.

IV. Plus mali, quam boni peperit venerandus *Patrum ecclesiæ* titulus.

V. Qui viam examinis in rebus ad religionem spectantibus proscriptam vellent, & in rationis usum frequenter invehuntur, non religionis & pietatis, sed fanaticismi & scepticismi causam tuentur.

VI. Verissima sunt verba celeb. Is. *Casauboni*, quæ extant exercitat. adversus *Baronium*, pag. 71. sic sonantia: *Esse quædam ἀπορα της θειας γραφης, ut omnium disciplinarum, fatebuntur omnes humanæ infirmitatis viri intelligentes. Itaque proverbium Rabbinorum in nonnullis necessario usurpandum, & exspectandus Elias, qui duros & hodie inexplicabiles Scripturæ nodos solvat. Hoc melius, quam de omnibus temere pronuntiare, quod illis solenne est, qui fateri se aliquid ignorare turpe ducunt, etiam iis in rebus, ad quarum indagationem, præter nudas conjecturas, industria humana nihil potest hodie afferre.*

VII. Quod *ex nihilo nihil fiat*, perperam ab Atheis nobis objicitur. Sed nos contra meritissime illud ipsis objicere possumus; cum res pulcherrimas ac exactissimo ordine dispositas brutæ materiæ, & cæco casui, hoc est mero nihilo adscribant.

VIII. Præter Scripturam, nullam aliam fidei regulam admittunt *Protestantes*. Itaque & scripta Patrum & Conciliorum acta, & alios omnes libros, cum privatos tum publicos, errori obnoxios censent, & ad unius Scripturæ normam expendendos existimant.

IX. Illi circa consilia Dei optime se gerunt, qui occultis Deo relictis, de revelatis opere implendis unice sunt solliciti.

X. Fu-

X. Fumum vendit *Arnaldus*, Doctor pontificius, libri de *perpetuitate fidei circa Eucharistiam* auctor, dum levissimas probabilitates certissimo facto opponit: Mutatio in ecclesia de Eucharistia fieri non potuit, inquit ille: ergo facta non est. At nos majori cum confidentia asserimus, mutatio facta est: ergo fieri potuit. v. ill. *Tillotsonii, Archiepiscopi olim Cantuariensis, orationem scriptam contra Transubstantiationem, quæ extat serm. s. vol. III. translationis Barbeyracii.*

XI. De concordia rationis & fidei optime sic *Augustinus* scribit epist. 7. ad *Marcellinum*. *Si ratio* (inquit) *contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit verisimilitudine, nam vera esse non potest. Rursus si manifestissimæ certæque rationi velut Scripturarum sanctarum objicitur auctoritas, non intelligit, qui hoc facit, & non Scripturarum illarum sensum, ad quem penetrare non potuit, sed suum potius objicit veritati.*

XII. Illud Gregorii *Nazianzeni* de Conciliis effatum: *Nullum se conventum Episcoporum vidisse, a quo non aucta potius mala, quam emendata fuerint, eo quod contendendi & dominandi libido plusquam ratio in illis valeant*, nemini mirum vel iniquum videri potest, nisi qui in rebus ecclesiæ cum veteribus, tum recentioribus, hospes fuerit.

DISSER-

DISSERTATIONIS DE CRIMINE HÆRETIFICATIONIS, EJUS CAUSIS ET REMEDIIS.

Pars II.

Sect. I.

IN ultima sectione primæ dissertationis de *crimine hæretificationis* tristissimos hujus mali fructus repræsentavimus, simulque promisimus, nos in sequentibus de variis fraudulentis artibus & μεθοδιαις, quibus hæretifices utuntur, ad alios vel innocentes plane, vel leviter errantes perstringendos, & in suspicionem gravium errorum adducendos, acturos esse; quod jam quidem, antequam ad alia ad hoc argmentum pertinentia progredimur, præstandum est. In antecessum autem monemus, nos data opera de execrandis artibus, quibus hæreticæ pravitatis Inquisitores in Hispania & aliis in locis, ubi detestanda superstitio & dominium in conscientias hominum dominantur, utuntur, non tractaturos esse: furores enim illi omnem humanitatem excedentes adeo sunt ætate nostra noti, & in lucem protractæ fraudes Monachorum, inprimis a cl. *Limborchio in historia inquisitionis*, ut nemo eruditorum eas hodie ignorare possit. Utinam tandem opprobrium hoc Christianissimi

nisimi sublatum esset plane, & extincti omnes illi barbari Inquisitores. Agemus duntaxat de illis hæretificum artibus, quæ eheu! in omnibus cœtibus familiarum christianarum locum habuerunt, & adhuc late dominantur. Juvabit autem interdum ad argumentum hoc illustrandum adduxisse varia exempla ex veteri & recentiore historia petita, ita tamen ut nullos, qui nostra ætate florent, & eruditionis famam adepti sunt, taxemus. Quod si vero quis, quod multis commune est, ad se rapiat, stulte nudabit animi conscientiam. Sed jam ad rem.

II.

Prima & tritissima methodus homines vel plane innocuos aut leviter errantes exosos reddendi, eosque persequendi hæc est: quod nimirum *hæretifices rerumpublicarum moderatores adeant, eosque quos errare putant, reddant exosos*, asseverantes eos *ecclesiis & rerumpublicarum saluti magnum detrimentum allaturos.* Dantur in plerisque imperiis & rebuspublicis valde multi ad gubernacula sedentes, qui controversias theologicas, subtiliores inprimis & scholasticas, non satis intelligunt. Sæpe tamen non solum de iis judicare volunt, sed & eo nomine sibi impositam necessitatem esse credunt, in illos, quos errare putant, graviter invehendi. Ego quidem, ut verum fatear, a politicarum artium cultoribus & de republica bene merendi studio intentis non requiro, ut omnes minutas controversias, quæ inter dissidentes Christianorum familias, non dicam ab origine ævi christiani, sed a temporibus Reformationis duntaxat ortæ sunt, perspectas habeant. Neque enim video quem in finem harum rerum peritiam sibi comparare vellent viri, qui per universam vitam id unum potissimum meditari debent, ut de civili societate rite dirigenda sint solliciti. At hoc ipsum etiam eos retinere deberet, quo minus *dictatoriam* quandam *potestatem* sibi arrogarent, de quæstionibus scholasticis nonsolum judicandi, sed etiam cum *auctoritate* quadam *legislatoria* de earum momento decidendi, huncque vel alium de ecclesia & literis optime in cæteris meritum exosum & aliquando infelicem reddendi, quæ ratio agendi omnibus *principiis Protestantium* contraria est, innumeraque semper post se traxit mala. Sed de potestate Imperantium circa sacra

agere animus non est, cum thema hoc nostris temporibus satis sit a Theologis & Jurisconsultis excussum. Quicquid interim de eo sit, hæretifices studium illud alios hac ratione accusandi & exosos reddendi acuendum esse putant, strenueque urgendum. Eum in finem eos rerumpublicarum Proceres frequentissime adeundos esse putant, quos omnium maxime receptis omnibus, etiam minutis de religione opinionibus, addictos esse vel sciunt, vel putant. Hic enim sese amplissimam nactos esse occasionem putant, eos, quos odio habent, & quos ipsimet ab erroribus, si talibus dediti essent, propter ratiocinandi imperitiam ingeniique stuporem in viam reducere non valent, exosos reddendi & iram principum virorum contra ipsos provocandi. Neque spe sua se excidere posse putant, quia norunt, ad summos in quibusdam rebuspublicis grassandi honores inter alia requisita & hoc postulari, ut nimirum illi, qui inclarescere, & pro excellentissimis columinibus & statoribus tranquillitatis publicæ haberi velint, *pro orthodoxia*, id est receptis publice opinionibus, aut serio aut dicis causa pugnare debeant. Quanquam vero alii hanc methodum obtinendi honores albis dentibus rideant, aliisque plane artibus utendum esse putent; sciunt tamen hæretifices, hos, qui ita sentiunt, numero valde ab istis superari, & plebejis ingeniis verba facile dari posse. Hinc ut plurimum etiam obtinent quod volunt, licet sæpe ipsi Proceres non credant quod vulgo creditur, nec ipsimet, acri judicio & accuratiore notitia rerum divinarum destituti, satis notas ac perspectas habeant illorum, quos exosos reddere volunt, sententias; eo magis autem sese obtenturos esse, quod volunt, sperant, quod dubia sua omnia proponant sub specie *zeli pro gloria Dei*. Unde etiam in colloquiis cum rerumpublicarum Proceribus, frontem, vocem, singulaque dicta ita flectunt, ut centesimus quisque juraret, homines illos singulari pietatis & promovendæ gloriæ divinæ studio tactos esse. At ineptum hunc & falsum esse zelum jamdudum viri sapientes demonstrarunt. *Zelus* (verba sunt τȣ μακαριτȣ celeb. *Werenfelsii*) *talium hominum nihil aliud est, vel esse potest, nisi purum putum partium studium, idem plane ac idem zelus, quo iidem homines pugnant pro institutis patriæ suæ, non ideo, quod persuasi sunt, hæc aliorum populorum institutis præstare, sed quod ad honorem suum pertinere existimant, ut civitatis suæ instituta cæteris meliora credantur.*

Ita

Ita sane multi existimant, in hoc honorem suum verti, ut opiniones sectæ, cui nascendi sorte addicti sunt, triumphent & cæteris omnibus prævaleant. Nec desunt, quorum zelus in nulla alia re consistit, nisi in secreto quodam odio eorum, qui veritatis amore, hujusque examinandi studio, audent se distinguere a se & suæ sortis hominibus, qui de veritate non solliciti in receptis sententiis acquiescunt. De hoc vero argumento alibi nobis dabitur commoda dicendi occasio. Necesse autem non puto plurimis exemplis demonstrare, hæretifices hac methodo semper usos fuisse ad alios exosos reddendos; cum in veteri pariter & recentiori rerum in ecclesia gestarum historia plurima extent monumenta.

Longe aliter agunt sapientes & cordati Theologi. *Primo* enim ante omnia concedunt in rebus minoris momenti omnibus libertatem aliquam concedendam esse, cum fieri per rerum naturam non posse sciant, ut etiam veritatis amantissimi in omnibus consentiant. Hoc posito novam opinionem non statim damnant aut probant, sed ante omnia solerter eam expendunt, atque perpensis demum omnibus hujus novæ opinionis partibus alterutram in partem pronuntiant. Ubi vero vident, novam illam opinionem articulis fundamentalibus ab ecclesiis christianis communi consensu receptis non repugnare, nec pietati noxiam esse, nonsolum non in majus extollunt opinionis hactenus in medium prolatæ periculum; sed & omni data opportuna occasione politici ordinis viris perspicuis & gravibus rationibus probant, causam non esse, cur zelotis novam opinionem vehementer impugnantibus & clamores excitantibus vacivas præbeant aures; his enim rixis & contentionibus sine causa ecclesiam turbari, & mutuas lites inter fratres spargi & disseminari; eo magis autem hoc præstandum est, quando novæ opinionis auctores sua animi cogitata virorum eruditorum examini lubentes subjiciunt, atque promittunt, sese paratos esse, si quidem a viris acuti ingenii & pacificis errandi occasio dari posse non sine causa existimetur, eas opiniones non ursuros aut in vulgus sparsuros, sed cum doctis duntaxat & rerum peritis de iis amice collaturos. Tali ingenio circa hoc argumentum ornati erant duo præclari Ecclesiæ Tigurinæ Theologi, nimirum P. *Martyr* & H. *Bullingerus*. De *Martyre* ita sentit J. *Wolfius* Tigurinus, idem de Literis sanctioribus optime meritus, in dedicatione ad Scholæ Tigurinæ Præsides

commentarii ad I. librum Regum & XI. capita libri II. Anno 1551. Tiguri editi. *Petrus Martyr* (inquit) *doctissimus & gravissimus Theologus, habuit a natura genus quoddam acuminis, quod arte limaverat, & tamen hujus nihil unquam ostentabat, sed quæ vel abs se subtiliter exagitata, vel ante eum inventa apud alios observata haberet in omni scientiæ genere, ea vel ad delectationem honestam in convictu, vel ad utilitatem publicam in consultationibus atque in schola tam simpliciter & candide solebat, quam comiter & prudenter adhibere, ut quis non minus pius & gravis erat, quam eruditus & prudens* & maximorum hominum *urbanitate limatus.*

De se ita loquitur H. *Bullingerus*, æternum Tigurinæ Ecclesiæ ornamentum, in præfatione *commentarii* ad Acta Apostolorum. *Per me* (inquit) *piis lectoribus expendere licet, quid pium, quid necessarium, quid utile, quid genuinum, quid adscititium, quid supervacaneum, quid affectatum sit. Nolo enim meis scriptis, ut canonicis credi: Nolo sanctis & doctis hujus ævi hominibus præjudicare.* Denique cordati & sapientes Theologi privatim modeste fratrem opinionem novam in medium proferentem monent, atque orant, ut suæ opinioni pertinaciter non inhæreat, aut zelotas vehementius insistentes acerbe perstringat, sed exspectet ad id usque tempus, quo sedato primo æstu res ipsas rigidiori examini subjicere ἀτερ παθων possint. Quod si vero iidem viri sapientes adhibitis omnibus fraterni amoris auxiliis deprehendunt, novæ opinionis defensorem inani superbia turgere, & nonnisi nominis celebritatem quærere, opinionemque suam quavis ratione propagatam velle, non quidem eo nomine penes Imperantes illum exosum reddere cupiunt, sed eum aut missum faciunt, aut intemperantius fratres meliora suggerentes tanquam idiotas lacessentem, attico tandem, si id necesse esse putant, perfundunt sale, aut tempus exspectant, quo rectius sapiat.

II. *Hæretifices diligenter inquirunt, quorum librorum lectione delectentur illi, quos odio habent & exosos reddere volunt, & cum audiunt, eos nullo habito sectarum respectu, heterodoxorum etiam scripta evolvere, sine mora clamant, eos non improbare errores in scriptis eorum contentos.* Hæc vero in vulgus spargunt, & inter eos cumprimis, qui spectatæ sunt inter Præsides Rerumpublicarum auctoritatis viri, sed in rebus ad Theologiam spectantibus non satis versati. Hinc sæpe fieri solet, ut innocentissimi quique, & veritatis aman-

amantissimi, malignis premantur suspicionibus, quarum tamen ignorant fontem. Ipse quidem conatus hæretificum in se spectatus ridiculus plane est, quandoquidem si judicium eorum valeret, colligendum esset, eos, qui humaniorum literarum studia excolunt, præstantissimosque Græciæ & Latii scriptores diurna nocturnaque versant manu, *Paganismo* patrocinari; ita omne studium dissentientium opiniones examinandi vanum esset; ita frustra eruditi in expendendis Atheorum, Deistarum & similis furfuris hominum scriptis tempus tererent; ita denique examen omne controversiarum proscriptum plane esset, quod ipsi tamen dissentientes, qui polemicum studium tantopere extollunt, factum nollent.

Ex eo insuper causæ suæ petunt præsidium hæretifices, id est alios calumniandi captant occasionem, quod illi, qui hæreticorum, uti appellantur, *scripta evolvunt*, non tamen omnia in iis contenta *damnent*, sed libere & candide fateantur, quædam in iis deprehendi, quæ *laudanda* sint, nullaque censura digna. Boni homines, artis ratiocinandi utplurimum imperiti, nulloque eruditionis theologicæ apparatu instructi, existimant, homines ab opinionibus, quas imberbes didicerunt, recedentes, ubique errare, omnia eorum dicta veneno esse infecta, neque adeo in eorum scriptis ullam generi humano salutarem veritatem reperiri posse. Hinc, ubi audiunt, plane aliter judicare alios, atque candide fateri, in horum vel illorum exosorum hominum scriptis multa attentione dignissima reperiri, neque omnia promiscue esse damnanda, candidum hoc & verissimum judicium pessimam in partem interpretantur. Nimirum inepti zelotæ, a sua tantum parte stare veritatem & quidem *omnem* putant, & licet nunquam, aut rarissime, heterodoxorum scripta evolverint, eorum tamen doctrinam, nullo delectu rerum habito, per omnia rejiciendam & damnandam esse clamitant. Ipsi vero hæretifices sibi plaudunt domi, nugis scholasticis auditores suos pascunt, & in hirsutis illis opinionibus per vitam adquiescunt. Quantum vero ex hac agendi ratione incrementi accedat eruditioni theologicæ, quilibet, qui nasum habet, perspicere potest. Interim verissimum est, hæretifices omni tempore ad alios denigrandos occasiones captasse ex hoc turbido fonte. Unum aut alterum exemplum adduxisse juvat. C. *Brantius* in vita J. *Arminii* pag. 159. postquam narrasset crimini datum *Arminio*, quod *catechismum* quen-

dam *Gaudanum*, adversariis suis exosum, non improbasset, hæc addit. *Verum enim vero* (inquit) *intra hos limites non consistens, omnesque humanitatis carceres mordens, calumnia eodem hoc tempore fœdissimum de Arminio nostro ac Vitenbogardo rumorem sparsit; nimirum, Papam Romanum benignissimis ad ipsos literis exaratis, & ingenti spe facta, romanensis ecclesiæ patrocinium ipsis commendasse; quod ipsum quam longe a veri specie abfuerit, e sequenti narrationis filo manifestius elucescet. Sed & splendido huic mendacio vicinum erat illud, quod idem circa tempus in vulgus dissipatum fuit, Arminium nempe nonsolum Castellionis & Coornhertii, verum etiam Suaresii aliorumque Jesuitarum scripta discipulis suis inprimis commendare solitum, deque Calvini, Bezæ, Martyris, Zanchii, Ursini, aliorumque præstantium ecclesiæ Doctorum libris contemtim loqui. Has pluresque hujus generis calumnias (quæ de ipso per Germaniam, Galliam, Angliam, Sabaudiam longe lateque spargebantur) excepit noster citra ullum animi motum, præterquam commiserationis erga fratres, qui tantopere adversus Deum & proximum peccarent. Quid quod* (ipso teste) *molitionibus hisce & præpostera fratrum diligentia nihil aliud effici censeret, quam ut ipse miser homuncio, qui suis ipse virtutibus innotescere non poterat, & de quo alioquin vix quispiam extra Hollandiam vel sciret quidpiam, vel loqui dignaretur, clarus indies nobilisque redderetur. Quam autem a vero alienum esset, id quod de pejoris notæ Scriptoribus, cum alibi tum Amstelodami inprimis deferebatur, ipsius potius quam meis verbis proferre volo. En ipsa ejus verba ad primarium Reip. Amstelodamensis Senatorem perscripta: Quod spargitur, me suasorem esse discipulis ad lectionem librorum Jesuiticorum & Coornhertii, non alio, quam mendacii nomine appellare possum; nunquam enim cuiquam ea de re verbum feci, nec rogatus, nec proprio instinctu. Sed post Scripturæ lectionem, quam vehementer inculco, & magis quam quisque alius (quod tota Academia testabitur) ad Calvini commentarios legendos adhortor, quem laudibus majoribus extollo, quam ipse Helmichius, quod mihi fassus est, unquam fecit. Dico enim incomparabilem esse in interpretatione Scripturarum, & majoris faciendos ipsius commentarios, quam quicquid Patrum bibliotheca nobis tradit, adeo ut & spiritum aliquem prophetiæ eximium illi præ aliis plerisque, imo & omnibus concedam. Institutiones ipsius, ad locos communes quod attinet, addo legendas post catechesin tanquam pleniorem explicationem.*

rem. At hic addo, cum delectu, ut omnium hominum scripta legenda sunt. Hujus mei consilii testes innumeros proferre possem; illi ne unicum quidem, cui author fuerim legendi Coornhertium vel Lojolitas. Proferant, & mendacium patefiet: adeo hic de nihilo nascitur historia, vel fabula potius. Quæ alia istic agantur, scio; ibi & quæ alibi actitata sunt, arbitror te ignorare. Si scires, mixareris hominum perversam impudentiam. Hisce omnibus antipharmacum oppono integritatem & patientiam, & sustento me spe felicis exitus, quem mihi dabit justus judex, qui novit quid quæram & agam. Illi scio mea studia placere, utpote unice veritati, pietati & paci inter Christianos firmandæ servientia.

Primis jam temporibus nascentis ecclesiæ hanc consuetudinem, id est propter lectionem librorum heterodoxorum alios suspectos reddendi, accusationem notam fuisse, exemplo *Dionysii Alexandrini* ostendi opusculorum meorum parte prima pag. 730. Neque hodie in tanta literarum luce ridiculus ille & ineptus furor, dicam, an fervor cessavit. Inter pontificios Doctores insaniam illam obtinere non miror, cum omnia ad cæcam obedientiam & superstitionem conservandam & latius proferendam in secta hac tendant. At inter Protestantes ipsos dari adhuc Sacrorum Ministros, qui erecti ingenii homines & amore literarum tactos, justæque ætatis, etiam absoluto scholæ vel academiæ cursu odio habeant, quod dissentientium scripta evolvant, & ad rectæ rationis trutinam omnia, quæ legunt, expendant, fateor me perspicere non posse. Experientia interim testatur, hoc morbo laborare multos, quibus cura incumbit, de profectibus ingenuorum adolescentium in eruditione theologica judicandi.

III.

Qui funesto hoc morbo laborant, exorta qualicunque in ecclesia nova opinione, in eos collegarum suorum vehementer insurgunt, qui non publice & privatim acerrime in auctores novarum opinionum insurgunt. Clamant igitur, ipsos tepidos esse in causa Dei defendenda & tuenda: monstri eos aliquid alere, vel plane homines esse, quibus perinde sit, quamcunque de religione sententiam tueantur. Hoc vero nomine illos exosos apud alios reddere volunt, & cum omnia suspicionibus inter Sacrorum Ministros plena sint, in aliis etiam negotiis

gotiis fidem illis adhibendam esse nullam, aliis persuadere volunt. Ipsimet vero, qui tantos clamores excitant, ex pustulis ulcera faciunt, & quicquid atra bilis suggerit, contra alios effundunt, mirum in modum sibi abblandiuntur; illi, (ut verbis τε μακαριτε celeb. utar *Werenfelsii*,) *soli sancti, illi religiosi; illi zelotæ; illi orthodoxiæ sunt columina, qui nihil quicquam remittunt adversariis; qui omnia eorum in hæreses transformare, leviſſimas quasque dissensiones immane quantum exaggerare sciunt; qui omnem tolerantiam, omnem mansuetudinem, concordiam, tanquam communionem Christi cum Belial execrantur; qui identidem ex cathedra, ex suggestu, cygneam Didonis virgilianæ repetunt cantionem.*

- - - Stirpem & genus omne futurum
Exercete odiis: cinerique hæc mittite nostro
Munera. Nullus amor populis, nec fœdera sunto.

Exemplorum multorum inductione dicta mea confirmare velle superfluum plane foret, cum rerum in ecclesiis omni tempore agitatarum nemo tam ignarus sit, ut de veritate asserti nostri dubitare possit. Unum tantum & alterum adduxisse exemplum juvat. Notum est superiore seculo in Belgio occasione *celeb. Cocceji* discipulorum vehementes fuisse inter fratres contentiones & lites. Celeb. *Witsius* Theologus ut eruditus, sic modestus & pacificus, probe perspiciens controversias illas nimis calide & ultra quam decet ab utraque parte urgeri, neutri nomen dare voluit, sed medius inter dissidentes fratres incedere voluit, eosque ad pacem colendam hortatus est, unde nomen *Theologi politici*, & systema ipsius theologicum *politicum* vocatum. Pessimum in hoc casu est, quod viri præstantissimi semel in suspicionem ἑτεροδοξιας adducti excludantur sæpe iis negotiis, ad quæ feliciter peragenda & exequenda omnium eruditorum judicio aptissimi fuissent. Unum dabo exemplum. Circa finem seculi XVI. moderatores fœderati Belgii de Bibliis in vernaculam linguam transferendis erant soliciti. Ad hoc recte præstandum, opus erat opera virorum in orientalibus linguis versatissimorum, & artis grammaticæ peritissimorum. Nemo autem eruditorum tum temporis viventium ignorabat, *Drusium* in hoc literarum genere excellere. *Illustrissimis F. Belgii* igitur *ordinibus* eo nomine ille fuit de meliore nota commendatus a *J. Arminio*, *Vitenbogardo*, *Aldegonio* & aliis; at vero quominus quicquam sua commendatione efficerent,

rent, in causa fuerunt minus æqua nonnullorum ecclesiæ Antistitum de celeberrimo hoc Doctore, ejusque ὀρθοδοξια, judicia. *Hi quippe* (verbis *C. Brantii* utar) *nescio quid monstri ipsum alere, & in locis quibusdam S. Scripturæ explicandis ingenio suo plus satis indulgere suspicati, Drusium non solum ab ipsa translatione, verum etiam translationis inspectione excluisse.* (*)

(*) Quæ hic de fatis Drusii dicuntur, petita sunt ut plurimum ex vita Drusii a Curiandro scripta, & epistolis præstantium virorum. a cl. Limborchio editis. Si Scaligeranis fidem habemus, causa odii contra Drusium inde enata est, quod confessioni belgicæ subscribere noluit: Saltem hoc manifestum, quod amicitia, quam aluit cum Arminio & Vitenbogardo cum suspectum reddidit aliis. Ex his scriptis hausit P. Baylius in suo Lexico, quæ de Drusio in medium protulit. Unum atque alterum ex eo excerpisse juvabit Observat Baylius, Drusium secundum lucem sibi concessam scripta & dicta aliorum vel laudasse vel improbasse. Hisce adductis ita ratiocinatur Baylius: „ Ce n'étoit pas un homme qui dans les matieres de Theologie pro„ nonçât magistralement. Cela est hérétique; ceci est orthodoxe. Il „ ne se méloit que de grammaire, & il déclaroit souvent, qu'en cas, qu'il fut „ dans l'erreur, il étoit du moins exemt d'héresie, vû, qu'il n'étoit pas opi„ niâtre, mais prêt à se rendre à un bon avis, & qu'il soumettoit tous ses „ ouvrages au jugement de l'Eglise catholique. „ Adductis dein ipsius Drusii verbis, alium locum ex Curiandro producit, ita sonantem: „ Non sum Theologus: an Grammatici nomen, quod aliquando mihi pro„ brose objectum, tueri possim, nescio. Amici, quos nosti, negant, ego „ non contrarium dico. Quid igitur es, inquies? Christianus sum, „ φιλαληθης sum, qui scribendo proficio, & proficiendo scribo. Je „ n'ajoûte (addit Baylius) plus que ces paroles. Quod superest, scri„ psi hæc animo juvandi, non lædendi. Si læsi quempiam, jam nunc pœ„ nitet. Si offendi pias aures, monitus libenter mutabo. Si erravi usquam, monstretur mihi error: non ero pertinax. Denique provoco ad „ judicium ecclesiæ catholicæ, cui me, meaque omnia subjicio, a cujus „ recto sensu dissentire neque volo, neque debeo. Sic mihi Deus faciat, „ sic addat. Ce langage (sunt verba Baylii) ne plait point aux zéla„ teurs: Ils y trouvent le caractère du Pyrrhonisme; ils veulent, qu'on „ soit plus décisif & plus resolu que Bartole; ils veulent qu'on fasse com„ me eux, c'est-à-dire, qu'on embrasse fermement une opinion, & que „ l'on anathematise l'autre. Ils ne sauroient comprendre, qu'on puisse „ être d'une religion, lors qu'on garde tout son sens froid en la compa„ rant avec d'autres, & un grand fond d'équité pour les sectateurs de l'hé„ résie. Drusius n'étoit donc pas propre à manquer des dangereux enne„ mis. „ Addam unicum locum Drusii, qui extat apud Curian-

IV.

Porro non raro viri præstantissimi & veritatis indagatores solertissimi in suspicionem hæreseos adducuntur, ab iis quos notamus hominibus, quod nimirum *non omnes opiniones, sententias, explicationes S. Literarum, ritusque Majorum calculis suis comprobent; sed respectu omnium mutationem aliquam aliquando sine periculo religionis fieri posse & debere sibi persuadeant.* Notum est Reformatores Sacrorum B. M. ut in nostris, sic etiam in aliis regionibus, tyrannidis pontificiæ jugum excussuros, crassos ecclesiæ romanæ errores impugnaturos, superstitionem grassantem debellaturos, & siquidem id fieri posset, radicitus exterminaturos, tot negotiis fuisse districtos, & tantum non obrutos, ut de his vel illis sententiis minutioribus, vel locis S. Scripturæ ad essentiam religionis non pertinentibus, ritibusque non potuerint esse soliciti; successu vero temporis Doctores publici, pace ecclesiis reddita, singula doctrinæ capita

DRUM pag. 32. „ Turbones (inquit) nostri nunc quiescunt, aut pudet „ eos præteritorum, aut exspectant occasionem novam. Mihi quidem mul„ tis de causis quies nonsolum optatissima est, sed etiam necessaria. Sed „ si hanc personam Deus humanæ fabulæ choragus mihi impositit, partes de„ legatas oportet agam. In hac arena mihi video moriendum esse; nam „ ut viri isti conquiescant, nihil est spei: In eo toti sunt ut me aut latro„ nibus objiciant, aut mœrore confectum occidant; sed hactenus gratia „ Dei nec animum a suo proposito labefactare potuerunt, nec studiis meis „ ita multum detrimenti attulerunt. Consolatur me primum conscientia „ recte factorum, deinde favor doctorum & bonorum virorum, quos ha„ ctenus æquissimos habui erga labores meos. Quod partim literis, par„ tim donis ac muneribus declararunt. - - - Quis unquam in sole „ ambulavit absque umbra? Quis insignem virtutem exercuit sine invidia? „ Quis bonas literas professus est cum aliqua fama, NB absque odio Theo„ logorum? Capnio, Erasmus, Arias, Hieronymus experti sunt. Hunc „ postremum Roma expulsum, cum Bethlehemi in tuguriolo degeret, nec „ sic quidem latentem effugit invidia. Ex priscis Sapientibus quidam „ interrogatus, quid ageret? Nihil inquit, nondum enim mihi invidetur. „ Regium est, cum benefeceris, audire male, inquit ille. Et profecto „ ita est; industria parit virtutem, virtus gloriam, gloria invidiam, qui „ morbus fere peculiaris est iis, qui alioqui pietatem profitentur, cum „ nihil sit alienius a vera pietate. Obrepit enim hæc pestis pietatis ima„ gine, dum videri vult vitiorum odium ac virtutis zelus. „ Hactenus DRUSIUS.

pita paulo accuratius perpendendi, rituſque ad ſimplicitatem chriſtianam, uſumque publicum accommodandi, ampliorem habebant, & adhuc habent occaſionem. Unde ſapientum & cordatorum Theologorum ſententia, culpari illi nulla ratione poſſunt, qui opiniones quaſdam, longo uſu uſurpatas, rejiciendas; alias vero mutato Chriſtianorum ſtatu majore argumentorum pondere frequentius urgendas eſſe putant. Ita nullus hodie reformatæ religioni addictus Theologus, *Bezæ* ſententiæ de interficiendis hæreticis ſubſcribet. Aucto noſtra ætate numero incredulorum, aperte capita religionis naturalis & revelatæ impugnantium, ſentiunt Theologi & V. D. M. capita religionis graviſſima frequentiſſime S. Literarum cultoribus & auditoribus eſſe explicanda, inſinuanda, & contra adverſarios vindicanda, quod ſuperioribus ſeculis urgere non adeo neceſſarium videbatur. De bonorum operum relatione ad virtutis ſtudium, eorumque ad conſequendam ſalutem neceſſitate, tempore emendationis Sacrorum operoſe fuit diſputatum, idque non ſine graviſſimis rationibus: Pontificii enim inanium & ſuperſtitioſorum rituum ſedula obſervantia bonorum operum naturam abſolvi putabant, adeo quidem, ut eum, qui in ſuperſtitioſis ritibus obſervandis & ridiculis fabulis tuendis ſedulus & pertinax eſſet, veri nominis Chriſtianum & cœlo propiorem eſſe publici Doctores publice adſererent. Iidem vero ſatisfactionis Jeſu Chriſti pro nobis præſtitæ, & beneficiorum inde emanantium paſſim immemores erant, & eorum loco ridiculam aliquam & putatitiam, imo fanaticam ſanctitatis ſpeciem Chriſtianis obtrudere voluerunt. Hinc factum ut Theologi illius temporis de fidei neceſſitate, bonorum vero operum imperfectione frequentiſſime diſſererent, & quidem ſæpe parum prudenter, adeo quidem ut putares eos neceſſitatem bonorum operum, id eſt, veræ pietatis in dubium vocaſſe. Nota controverſia, quæ inter J. *Agricolam*, *Islebium*, alioſque agitata fuit. Atque hinc factum eſt, ut eccleſiæ romanæ Doctores paſſim in publicis ſuis contra Proteſtantes editis ſcriptis contenderint, eos bonorum operum oſores eſſe. Quicquid vero de eo ſit, viri inter Theologos Proteſtantes religioſiſſimi, deprehenſis ſeculi noſtri moribus depravatiſſimis, exortiſque opinionibus religioni chriſtianæ nocivis, recte exiſtimarunt, & adhuc affirmant, frequentius in academiis pariter ac cœtibus publicis neceſſitatem bonorum operum, id eſt ſtudium veræ virtutis urgendum eſſe, idque fieri poſſe ſalva veritate

de fidei justificantis natura. Eum etiam in finem Protestantes Theologi omnes, quot quot sapiunt, sepultas vellent omnes illas controversias, quæ inter ipsos magno animorum æstu post tempora Reformationis fuerunt agitatæ, ut de minutis quæstionibus, quæ inter ipsos, qui eidem cœtui adhærent, ventilatæ sunt, & adhuc ventilantur, nihil dicam: existimantes, prout sunt tempora, communibus armis hodie pugnandum potius contra Atheos, Deistas, Indifferentistas, & gravissima vitia, quæ a Christianis ad incredulitatem inclinantibus nova sub specie committi solent. Quod ad ritus attinet, olim in his vel illis ecclesiis usurpatos, eos pro rerum & temporum circumstantiis, nulla habita antiquitatis & longæ consuetudinis ratione, mutari posse iidem cordati Sacrorum Antistites vel Rerumpublicarum moderatores censent. *Hæretifices* vero nostri, ubi hæc audiunt, contra optimos & præstantissimos viros statim insurgunt, clamantes, omnes Majorum opiniones, qualiscunque sint naturæ, esse servandas, urgendas, & ad seram posteritatem, nullo habito rerum & temporum respectu, transmittendas; hanc in ecclesiis potissimam malorum omnium causam esse, quod moderni Doctores non omnibus opinionibus Veterum constanter adhæreant, nonnisi novaturiendi studio tribuendum, quod opiniones quasdam ab antiquis inventas moderni aspernentur &c. Iidem vero boni homines, ubi juvenes inciderunt in manus Doctoris cujusdam, musteas quasdam sive philosophicas sive theologicas sententias tradentis, eas acriter, repudiata Veterum aliter sentientium auctoritate, tuentur, iisque tanquam saxo adhærent. Testimonio esse possunt discipuli *Cocceji*, *Cartesii* & aliorum. Quam vero sit hæc agendi ratio incondita, & officio publici Doctoris indigna, paucis duntaxat aperiemus verbis & testimoniis. *Primo* quidem constat inter omnes Protestantes, nonsolum ipsos Reformatores infallibiles sese esse nunquam professos, sed & universum cœtum, qui ab ecclesia romana superiore ætate ob gravissimas rationes secessionem fecit, nunquam Doctoribus hisce infallibilitatis donum tribuisse. Verum est, Doctores hosce pro ingeniorum diversitate his vel illis tuendis sententiis constantius, aut ut alii volunt, pertinacius inhæsisse, quod commune est, si a veritate discesserunt, vitium omnibus plane hominibus, doctis pariter & indoctis. Nullum igitur periculum est, si recentioris ætatis Theologi, in hoc vel illo argumento occupati, a sententiis virorum præcellentissimorum recedant. Ipsos-

Ipsosmet vero Reformatores in multis eruditionis theologicæ partibus hallucinatos fuisse, nemo adeo ignarus est historiæ theologicæ & literariæ, ut id inficiari possit, quod tamen ipsis tanquam crimen non exprobramus. Imo fieri in tanta diversissimarum partium ad Theologiæ studium pertinentium copia aliter non potuit, quam ut hic illic cespitarent. Jam vero cum viri docti & sapientes pecorum more antecedentium turbam sequi non debeant; non solum licet, sed & necesse est aliquando, ut ab eorum sententiis recedamus. Accedit, quod post eorum obitum passim hinc inde in ecclesiis novi errores graviores vel leviores exorti sunt, quos diversis adeo armis recentiores Doctores adoriri debent. Idem dicendum de ritibus & disciplina morum. Certe qui putant, omnes explicationes Scripturæ a Majoribus in medium allatas, aut sententias theologicas vel a Patribus primitivæ ecclesiæ usurpatas, vel ab ipsis Reformatoribus inventas, sequendas esse sine ulteriore examine, omne eruditionis theologicæ studium, quantum in ipsis est, sufflaminant, religionem contemtui exponunt, & Papismum in ipso Protestantismo exstruunt. Profecto mutatio hæc periculo nulli est exposita, licet *Bossuetus* olim & alii ecclesiæ romanæ Doctores principia Protestantium hac ratione suspecta reddi existimarint. Quod denique hæretifices prudentem hanc libertatem, a viris doctis & veritatis amantibus usurpatam, novaturiendi studio adscribunt, cordatos viros turbare non debet; imo objectio hæc contra eos ipsos retorqueri potest; nihil enim aliud clamoribus suis quærunt, quam ut eruditorum & strenuorum, pro nescio qua orthodoxia propugnanda pugilum, famam obtineant. Certe in plerosque quadrat illud epigramma τυ μακαριτυ *celeb. Werenfelsii* quod ita sonat:

Magno cum studio propugnas dogmata Patrum:
Numinis hoc a me gloria, poscit, ais,
Forsitan hoc a te poscit quoque gloria Patrum;
Forsan & hic aliquid poscit, amice, Tua.

Sed audiamus unum atque alterum e Protestantium cœtibus Theologum, de iis, quæ hactenus contra hæretifices in medium attulimus, differentem. Ante omnes adest jam jam citatus *Werenfelsius*, qui in responsione ad quæstionem, *cur incitamenta Scripturæ sæpe*

sint inefficacia, inter alia sic loquitur: *Ipsi Majores nostri, si viverent, & præsentem rerum faciem cernerent, eosque cum quibus hodiernis Christi Ministris plerumque res est, qua fuerunt pietate, stylum mutarent, non minus quam Jacobus Apostolus formulas Pauli, ab impiis in perversum sensum detortas, sibi mutandas censuit. Utinam non sæpe intempestive urgerentur dogmata, ad quæ urgenda non easdem, ac olim, causas habemus, & quæ hodie urgere plus periculi habet quam utilitatis! Utinam non definirentur, præter omnem necessitatem, quorum definitio homines sæpe conjicit in labyrinthos inextricabiles, ut longe satius fuisset in his judicium suspendisse! Utinam non moverentur difficultates, quibus expediendis illi, a quibus motæ sunt, impares postea deprehenduntur.* Alibi, de *scopo Doctoris Theologi*, idem sapientissimus vir ita loquitur: *Amor Christi est primarium Pastoris requisitum, imo totius Theologiæ compendium. Unde optimus Doctor & Magister noster, cum discipulum suum Petrum, ut hodie loqui solemus, pro S. Ministerio examinaret, non multas spinosas ei quæstiones in hoc examine proposuit. Non eum interrogavit: Quis decretorum divinorum ordo sit: Quomodo homo in æterno prædestinationis decreto Deo fuerit objectus: Quomodo proprietates Dei tum inter se, tum ab ejus essentia distinguantur: Quousque providentia Dei progrediatur in hominum peccatis gubernandis: Quomodo homo sese habeat tum in primo conversionis momento, tum in momentis subsequentibus. Nihil horum summus ille Doctor, nihil simile ex Candidato suo quæsivit. Unicam illi quæstionem proposuit, eamque ter repetiit: Petre amas me? Cumque ad hanc solam quæstionem recte respondisset Petrus; Dominus eum ad S. Ministerium protinus admisit, suasque illi oves pascendas committere non dubitavit.* Puerile vero & ridiculum esse videtur, in tanta eruditionis luce probare velle, licitum esse relictis Majorum S. Literarum explicationibus, recentiores, majori eruditionis theologicæ apparatu instructos, doctos audire viros. At si animum ad ingenium certorum hominum respicias, prudentiæ theologicæ singulare signum est, rationibus clarissimis addere testimonia virorum orthodoxiæ laude præcellentium, quorum argumentis per se claris magnum scilicet additur pondus. En igitur testimonium Theologi celebris, & simul orthodoxi, nimirum H. *Witsii*, cujus scripta sine formidine erroris studiosorum manibus teruntur. *Male profecto* (inquit) *cum liberalibus ageretur ingeniis, si interdicta illis ultra tendendi facultate nihil*

in

in publicum proferri liceret, cujus non alium ante se auctorem laudare quirent, pessimeque consultum fuisset rei theologicæ, si eadem lege vixissent Majores nostri. O quam multis & præclaris careremus observationibus, quas nunc tanquam sacræ eruditionis gemmulas quasdam suspicimus. Nondum ita exhaustæ divinarum rerum aurifodinæ sunt, ut non sedulo scrutantibus novi, quos reperiant, thesauri, dignum diligentia sua præmium, superstint. Quam novæ inventionis laudem, cunctis expositam, aspernari non modesti, sed segnis ingenii; eam autem aliis invidere, malevoli animi argumentum est. Uti nec modestiæ imputare velim, quod, quem semel studiorum ducem sive casu nactus sis, sive judicio elegeris, eum ita in omnibus tibi sequendum putes, ut ne latum quidem unguem ab illius recedas placitis.

Neque denique, si opiniones quædam minus hodie urgentur, aut controversiæ quædam olim magno æstu agitatæ negliguntur, aut argumenta a Majoribus ad aliquid probandum afferri solita repudiantur, novaque in eorum locum substituuntur, veritatibus scitu necessariis quicquam decedit, aut earum ponderi detrahitur, prout id viri doctissimi inter Protestantes adversus *Bossuetum* Episcopum Meldensem, sophisticis & scholasticis concertationibus assuetum, prolixe satis ostenderunt. Semper attendendum ad summam religionis, temporum & hominum circumstantias, variasque vicissitudines, quæ subinde in ecclesia externa oriri solent: non omnis mutatio periculosa, neque opinionis antiquitus acceptæ pertinax defensio signum veritatis est. Rectissime hoc objecit *Bossueto* J. *Basnage*, inter Theologos reformatos seculi nostri celebres non postremus: attentione sane digna sunt ejus verba, quæ in præfatione operi præclaro de *historia ecclesiæ* &c. præmisit: Sonant autem ita: *Le fondement de l'ouvrage de Mſr. de Meaux étoit ruineux, & on sentoit sans peine, que la methode des variations n'étoit qu'un pur sophisme. Elle favorise l'Athéisme, qui n'étant appuyé, que sur un seul principe, ne souffre jamais de variation. Que répondroit Mr. de Meaux à un Athée, qui lui crieroit, tout ce qui varie est necessairement faux, & qui après lui avoir fait une longue deduction de tous les changements de doctrine, arrivés dans l'Egliſe chretienne depuis dix-sept cens ans, lui répresenteroit qu'il n'a qu'un seul principe, sur lequel ni lui ni ses predecesseurs n'ont jamais varié, c'est qu'il n'y a point de Dieu? Je voi, lui diroit il, des changemens dans toutes les religions du mon-*

de;

de; j'ai lieu de conclurre qu'elles ſont fauſſes; je nie & j'ai toûjours nié conſtamment l'exiſtence de Dieu, je ſuis donc le ſeul au monde qui defens la vérité. Que répondroit Mr. de Meaux à un Socinien, qui lui citeroit ſa maxime: Tout ce qui ſe charge de termes douteux eſt faux, parce que cela marque un embarras que la vérité ne connoit point; & qui en même tems lui feroit voir la Théologie embarraſſée des Peres ſur la génération éternelle du Fils; l'omouſion condamné au Concile d'Antioche comme un caractère d'héréſie, & rétabli par le Concile de Nicée, comme une marque certaine, à laquelle on diſtinguoit l'orthodoxe de l'hérétique? Une methode qui prête des armes à l'Athéiſme & au Socinianiſme, doit être regardée comme dangereuſe. (*)

V.

Aliud, idque non leve, ad alios heterodoxiæ ſuſpectos reddendos præſidium hujus furfuris homines petunt ex eo, quod *viri docti libertatem ſibi concedi velint, in congreſſibus publicis, privatis inprimis, inter eruditos & veritatis amantes, de divinis pariter & humanis rebus modeſte, ſed & libere judicandi.* Illi, quos tangimus, ut plurimum de rerum divinarum & humanarum pretio rite ratiocinari neſciunt, & in lectione præſtantiſſimorum omnis ætatis auctorum verſati non ſunt. Opinionibus minutis & inter promiſcuam turbam receptis,

(*) Prudentiſſime idem hoc monitum inculcavit nuper celeberrimus & amiciſſimus GERDESIUS, Theologus Groninganus doctiſſimus, occaſione emendationis Sacrorum, quæ in Anglia ſub Rege EDUARDO facta eſt. Ita enim loquitur pag. 384. Hiſt. Reformat. Tom. IV. „ Prout (inquit) „ tum varia quoque alia vel innovata vel immutata fuerunt, atque in „ meliorem formam redacta, quæ antehac ceteroquin ſancita jam erant „ atque publice conſtituta; quæ tamen variationes nec fraudi eſſe poterant „ religioni emendatæ, nec Reformatoribus exprobrari debent, quaſi fides „ Proteſtantium ejuſmodi paſſa ſit variationes; cum non uno eodemque tem„ pore omnes illi tot ſeculis qui in religionem irrepſerant nævi, vel re„ moveri poſſent vel emendari, cumque, qui veritatem inquirunt, luben„ ter fateantur, ſe Αιει γηρασκειν . πολλα διδασκομενους: Accedit, „ quod hi ipſi, qui nobis ut plurimum eas objiciunt (Pontificios indigita„ mus) & continuas & omnigenas per omnia fere ſecula cum doctrinæ tum „ cultui ſuo induxerunt variationes: alias ſerius alias citius, has ſenſim, „ alias ſubito, has occulte ac tectis viis, illas aperte & quaſi γυμνη κεφαλη, „ nec Roma unquam fuerit conſtans niſi in ſua duntaxat levitate.

receptis, tanquam saxo adhærent. Hi, quo sunt ingenio præditi, si quando congressibus virorum eruditorum intersunt, & novas aliquas de religione opiniones vel recenseri, vel aliqua cum specie, sive id serio fiat, sive exercitationis gratia, defendi audiunt, mox malignis veritatis etiam amantissimos viros premunt suspicionibus; in vulgus audita spargunt, atque calumnias calumniis, ne perpluant, augent, adeo quidem, ut sæpe sincerus religionis cultor, & veritatis cupidissimus, in censum *Indifferentistarum*, *Latitudinariorum*, *Deistarum &c.* referatur, quas sinistras opiniones semel hinc inde sparsas vix ex animis credulorum & imperitorum hominum postea evellas. Quot mala autem sæpe exinde nascantur, tristis omnium temporum edocuit experientia. Non semel ob calumnias illas post carecta latere, & cum paupertate luctari debuerunt homines perspicaci ingenio & eruditione solida instructi. Mala hæc ut plurimum in rebuspublicis grassari solent, ubi plures ad idem honorum fastigium ascendere contendunt. Quam sit vero hæc agendi ratio ingenuo homine indigna, quilibet, qui cerebrum habet, facile sentit, neque adeo opus est, ut pluribus vitii hujus gravitatem in apricum producamus. Honestati atque rationi omni repugnat, ex privato aliquo colloquio de universa hominis vita & religione judicare velle, imo malignum est, liberiora dicta malam in partem nonsolum interpretari, sed & in vulgus spargere. Hæc vero calumniandi ratio si locum obtineat, omnis amicitia & fides inter homines sensim exulabit, & familiare hominum commercium exosum plane reddetur. Vitium certe hoc est, quod ad æternas inimicitias alendum aptissimum est, & id, quod in vita humana jucundissimum est, reddit amarum. Quis enim cum aliqua animi delectatione congressibus amicorum interesse poterit, ubi omnia sua dicta tanquam contumeliosa & religioni inimica repræsentari solere non sine causa suspicari potest? Nocet porro hoc vitium non iis tantum, qui illaudabili hoc morbo laborant; sed & progressui veræ eruditionis in universum obstat. Quamprimum enim innotescit, quod diu latere non potest, hunc vel illum gratiam apud alios captare velle calumniando, dictaque liberiora malignam in partem interpretando, pestis ad instar vitatur, & tanquam animal petulcum ab omni ingenuorum hominum commercio arcetur. Eruditi certe omnes & cordati viri tales hypocritas & conviciato-

res deteſtantur. Progreſſui vero veræ eruditionis obſtare propudioſam hanc calumniandi lubidinem quilibet facile colligere poteſt, ſi cogitet, ex familiari & privato commercio virorum de eruditione & pietate ſolicitorum enata fuiſſe egregia in rem literariam commoda. Nihil jam dicam quod fraudulenta hac ratione effectum ſit, ut ſimulandi & diſſimulandi ars, inter chriſtianos etiam Doctores, ſtrenue ſit promota & cottidie magis ac magis creſcat.

VI.

Dantur inſuper etiam inter ipſos Doctores, cœtibus Proteſtantium addictos, qui vehementer inſultare ſolent iis, *qui data opportuna occaſione, & quidem adhibitis etiam modeſtiſſimis verbis Patrum primitivæ eccleſiæ, errores & nævos notare ſolent.* Quicunque antiqua veterum religionis Antiſtitum ſcripta ἀτερ παθων evolvunt, etiamſi ſcripta recentiorum Doctorum, *Dallæi*, *Barbeyracii*, *Withby*, *Clerici*, aliorumque doctiſſimorum virorum non legerint, fateri tamen, ſi modo ea rite examinarint, tenebuntur; varios in eorum ſcriptis paſſim deprehendi errores, eoſque, ubi cum diſſentientibus res eſſet, ſæpe veritatis & charitatis limites prætergreſſos eſſe. Profecto hæc veritas hodie in tanta collocata eſt luce, ut turpem ſuam ignorantiam, quiſquis hoc inficiari vellet, manifeſtiſſimo prodoret indicio. Duo recentiſſimi, ad poſtremam quod ſpectat theſin, eccleſiæ reformatæ Doctores, *Beauſobre* in *hiſtoria critica Manicheiſmi*, & *Lardnerus in defenſione fidei chriſtianæ*, adductis exemplis rem ita probarunt, ut ne pertinaciſſimus quidem id in dubium revocare poſſit. Hinc & doctiſſimi quique inter Doctores pontificios, luce veritatis adacti, id ſubinde teſtantur. Et ſi verum fateri volumus, multum logomachiæ huic de vero uſu ſcriptorum Patrum primitivæ eccleſiæ admixtum eſt. Nonſolum enim Doctores pontificii & proteſtantes, ſed & aliarum ſectarum patroni, Patrum opiniones in ſuas partes rapiunt eaſque laudant, ubi id e re ſua eſſe putant; vituperant vero & ab iis recedunt, quoties cum ſuis, quæ fovent, decretis conciliare non poſſunt. Quæ igitur tandem impietas eſt vel error, ſententias, quas ignorantia aut falſo zelo præpediti in medium protulerunt Patres, candide fateri & caſtigare, cum nemo Proteſtantium eos infallibiles eſſe crediderit unquam, ſed

Scriptu-

Scripturam sacram pro una, certa & infallibili credendorum norma habuerint! Cæterum minime probamus eos, qui malo animo, dataque opera omnes Patrum nævos & errores, leves etiam, in majus extollunt, eo fine scilicet, ut eorum pietatem & veritatis amorem suspectam reddant. Hujusmodi rigidiores Patrum censores merito castigat *reverend. & celeberrimus Basileensium Theologus J. L. Frey, in doctissima præfatione epistolis S. Patrum apostolicorum præmissa.*

VII.

Aliud, idque usitatissimum argumentum, quod hæretifices adversus eos adhibent, quos heterodoxiæ suspectos reddere volunt, petitum est ab eo, *quod nimirum hi vel illi Theologi, vel Sacrorum Ministri, uti nolint his vel illis argumentis, vel locis Scripturæ, quæ a Majoribus, id est privatis Doctoribus, ad hanc vel illam veritatem probandam allata sunt.* Nullus eruditus Theologus, cui æquitas verique amor cordi est, diffitebitur, multos Majorum nostrorum, sæpe in systematibus vel eristicis scriptis adversus errantes iis usos esse argumentis, vel S. Literarum testimoniis, quæ ad eos rite refellendos non tantum contulerunt nihil, sed & adversariis triumphandi subministrarunt ampliſſimam materiem, eosque sæpe in erroribus confirmarunt. Nullus profecto articulus religionis est, ad quem probandum hi vel illi Doctores non infirma adhibuerint argumenta. Integer liber scribendus esset, si per omnes partes systematum theologicorum eundo singillatim hoc demonstrare vellem. Sumantur duntaxat argumenta, quæ pro existentia divina, providentia, immortalitate mentium humanarum, revelationis necessitate, & S. Trinitate &c. aliisque capitibus gravissimis probandis aliquando sunt allata, & meridiana luce clarius patebit, ea sæpe nihil probare prorsus? Quid igitur veri amanti magis incumbit, quam ut solida argumenta in materia gravissima ab infirmis solerter distinguat, parumque curet, utrum Majores sui, in cæteris recte sentientes, hoc vel illud argumentum aut locum Scripturæ usurparint nec ne? Minus certe circumspecte & contra sacra conscientiæ jura ageret Theologus, si infirmitate argumentorum, quibus utebantur Majorum suorum multi, deprehensa, nihilominus tamen adversus dissentientem iis uti vellet.

Interim tamen sæpe vir cordatus candide & sincere in hoc negotio agens præpedire non potest, quominus ita agendo malignorum hominum censuræ exponatur. Nimirum hæretifices omnia malignam in partem interpretantur, tragicosque excitant clamores. Asserunt enim non sine contemtu Majorum, virorum præstantissimorum, argumenta ab ipsis adhibita negligi, aut plane pro infirmis venditari posse: eos, qui ita sentiunt, nonnisi ambitionis æstu in præceps rapi, & forte veritates ipsas, quæ argumentis probandæ essent, in dubium vocare; ita rejectis argumentis a Majoribus usurpatis, tanquam infirmis, errantes etiam nova & solidiora rejecturos, & ita scepticismo tandem protegendo viam esse paratam? Quis nescit autem hæc tanquam crimina viris excellentissimis, *Erasmo*, *Grotio*, *Calvino* fuisse imputata, & hodienum in tanta Literarum luce repeti; unde mirum non est rebus ita comparatis, paucos dari, qui inquirendæ veritati cum cura operam dent, & in controversiis theologicis rite tractandis tempus terant. Deerunt, qui meliora suadeant, si suasisse periculum est. Unum duntaxat aut alterum exemplum, quo thesis nostra probetur, afferam. Vide ea, quæ de *Sibrandi Lubberti* refutatione *Socini* de Christo Servatore attulimus, opusculorum meorum part. I. p. 473. *Celeb.* & *amicissimus Heumannus* in *commentario* ad *Joh.* cap. 10. v. 30., postquam ostendisset, quomodo intelligenda sint verba: *Ego & Pater unum sunt*; hæc inter alia subjicit verba: *Calvinus urtheilete demnach nicht unrecht, daß die alten Kirchenlehrer aus diesen Worten des Herrn, Ich und der Vater sind eines, nicht hætten den Beweiß wider die Arianer nehmen sollen, daß der Vater mit dem Sohne eines Wesens sey. Er læugnete aber diese heilige Wahrheit keinesweges, wie aus seiner Institutione christianæ religionis, lib. I. cap. XIII. §. 20. bekannt ist; wo er auch in den folgenden §§. die Gegenlehre der Arianer und Socinianer verwirfet und widerleget. Und es erkennet auch Hunnius auf der ersten Seite der Vorrede seines Antiparei, daß Calvinus die Absicht nicht gehabt, den Arianern Beystand zu leisten. Immittelst da Hunnius glaubete, es haben die alte Kirchenlehrer alle miteinander diese Worte des Herrn also verstanden und erkläret, so gab er ihnen eifrigen Beyfall in seinem Anti-Calvino p. 46. seq. wie auch in seinem Anti-Pareo p. 87. seq. und las Calvino nach der theologischen Mode seiner Zeit einen so scharfen Text, daß er auch §. 101. dessen Erklærung ein scelus nennete.*

nete. Maldonatus verfæhret gelinder, und bedauert nur, daß auch in ſeiner Kirche einige Theologen anzutreffen, die nicht bey der Auslegung der ſo vielen Väter, vvelche er nahmentlich anführet, geblieben. Er giebet aber zugleich zu erkennen, daß dieſelben Theologen ſovvohl die Arianiſche als Socinianiſche Lehre von der Gottheit Chriſti von Herzen vervverfen und verabſcheuen. Und es vvürde freylich hœchſt unbillig ſeyn, vvenn man einen Ausleger, vvelcher einen, obgleich gemeinen Bevveiß einer heiligen Lehre nicht vor richtig und hinlænglich erkennet, ſofort beſchuldigen vvollte, daß er dieſelbe Lehre ſelbſt læugne und vervverfe. Es hat ein Spruch in dem Contexte oft einen ganz andern Verſtand, als er auſſer dem Contexte zu haben ſcheinet. Bey den alten Lehrern aber, die faſt alle ſchvvache Exegeten vvaren, vvar es nicht ungevvœhnlich eine Schriftſtelle auſſer dem Contexte zu betrachten und unrecht anzuvvenden. Wer nun einen, der denſelben in einer faſt einſtimmigen Auslegung nicht Beyfall giebet, ohne Bedenken verkezert, der verfællet in das logikaliſche Laſter, vvelches argumentum ſophiſticum ab invidia ductum genennet vvird. Confer *Baylii* Lexicon, voce *Humius.*

VIII.

Inprimis verò vehementer excandeſcere ſolent noſtri, de quibus agimus, homines, quando audiunt, hunc vel illum V. D. Miniſtrum vel Theologum *uſum rationis in rebus ad religionem ſpectantibus ſemper & ubique urgere, eoſque pro ſapientiſſimis religionis chriſtianæ ſectatoribus habere, qui nihil credendum eſſe putent, niſi quod ad trutinam rationis ſit diligentiſſime exactum.* Varias de notione vel definitione *rationis* opiniones & diſtinctiones hic non tangam, cum pleræque in communi loquendi uſu, & Theologorum etiam ſcriptis, diverſimode ſumantur, & multum logomachiæ admixtum habeant. Ad duo tamen capita referri poſſe & debere, quæ communiter de hoc argumento dicuntur, exiſtimo. Per *rationem* quidam intelligunt eam mentium humanarum facultatem, cujus ope nexum propoſitionis alicujus vel etiam repugnantiam deprehendimus. Hoc vero ſenſu ſi ſumamus vocem rationis, nemo ſani cerebri homo negabit, eam in examinandis divinis pariter & humanis rebus eſſe adhibendam, imo præter eam dari nullam, qua veritas pateſcere poſſit, viam.

Manifestum insuper est, ex defectu potius culturæ rationis, quam vero accurato exercitio hujus divinæ facultatis, errores in negotio religionis ortos esse. Alii *rationis* nomine intelligunt prima principia, quæ ex Metaphysica & Theologia Naturali petuntur, quibus adjuti divinam originem religionis christianæ probamus. Hoc sensu si sumamus vocabulum *rationis*, nemo iterum erit, qui non fateatur, usum rationis maximum esse, & sine his principiis revelationis divinam originem probari non posse. Unde ergo factum est, ut Theologi plures in suis scriptis adversus *rationis usum* tantopere insurrexerint, & hoc nomine alios, tanquam veritatis coruptores, carpserint? Diversæ sunt hujus disceptationis vel logomachiæ, si vis, causæ. Tempore emendationis Sacrorum exorti sunt multi, qui existimabant, multa quidem discussis tenebris Papatus præclare esse a Reformatoribus inventa, & in lucem producta; at ulterius progrediendum, & omnia plane dogmata ad rationis trutinam ita esse exigenda, ut quicquid cum illa norma non per omnia conveniat sine cunctatione esset rejiciendum. Speciosa hi oratione utebantur, in primis postquam clarissimis indiciis probabant, mille fabulas & fraudes in Papatu esse introductas, dogmataque credenda proponi, quæ omni specie alicujus probabilitatis destituta sunt. Hi sacras Litteras tanquam unicam credendorum normam admittunt; originem divinam religionis christianæ ore & scriptis profitentur; regulas interpretandi, omnibus scriptoribus communes, admittunt; at ubi ad examen capitalium quorundam religionis christianæ articulorum deventum est, clamarunt, & adhuc contendunt, eos admitti non posse, quia illi *rationis principiis*, ut illi asserunt, aperte contrarientur, & hi *Socinianorum* nomine vulgo veniunt. Cæteri Protestantes omnes asserunt vocem *rationis*, sive priore, sive posteriore sensu sumatur, male ad articulos illos controversos applicari, cum manifestissimum sit, concessa semel divina origine & veritate religionis christianæ, articulos illos, quos rationi contrarios *Sociniani* esse asserunt, in scriptis divinæ illius revelationis contineri. Cum vero Protestantes etiam ipsi talia dogmata in medium proferant & credenda imponant, quæ non tantum judicio *Socinianorum*, sed & ipsorum, qui *Reformati* vel *Lutherani* vocantur, cum rectæ rationis principiis in concordiam facile rediri non possint, disputatio de usu rationis in rebus ad religionem pertinentibus multiplicata & Anda-

batarum

batarum more pugnatum. Controversiam auxit turba Deistarum revelationem ipsam eo nomine impugnantium, quod in ea reperiantur multa ἀσυζατα & rationi contraria. Sapientiores inter Theologos protestantes facile animadverterunt, tenebras offundi quæstioni haud difficulter solvendæ, atque lucem afferre tentarunt huic argumento, ponendo sequentes propositiones: I. Mentem humanam facultate quadam esse instructam de rebus divinis pariter atque humanis judicandi; & quo magis homines ea rite utantur, eamque disciplinis variis excolant & perpoliant, eo magis eam aptam esse ad veritatem inquirendam.

II. Contradictoria credi non posse, neque adeo quemquam, sub quacunque specie religionis, ad ea admittenda induci posse.

III. Quicquid certissimis & evidentissimis rationis principiis, quæ in Metaphysica pariter & in Theologia Naturali de Deo, rebusque divinis traduntur, contrarium est, id tanquam falsum rejiciendum esse.

IV. Revelationem nullam, nisi ad hæc principia exactam, fide dignam esse.

V. Possibilem esse revelationem; vel ut aliis verbis idem exprimam: Deum posse cum hominibus communicare propositiones quasdam de rebus divinis, quas ratiocinationis solius ope ex Theologiæ naturalis principiis eruere mortales non possint.

VI. Revelationem fide dignis testibus superstructam, nullisque certis Theologiæ naturalis principiis contrariam, posse continere propositiones quasdam de rebus divinis novas, & quidem tales, quæ, ad rationis trutinam exactæ, non satis evidentes sint, dignas tamen, quæ admittantur; cum enim ne ipsa quidem cognitio naturalis de Deo rebusque divinis, ideis nitatur adæquatis, quid mirum est, revelationem, quæ supernaturalis dicitur, quædam continere, quorum naturam imperfecte cognoscimus. Hæ vero propositiones ita comparatæ sunt, ut ab omnibus, qui verum amant, non possint non probari. At experientia simul testatur, præcepta hæc rationi convenientissima vim nullam in multorum Sacris operantium animos habuisse, & perpetuis de usu rationis in Theologia vitiligationibus januam apertam esse. Duas hujus mali potissimum ego causas reperio. *Prior* est, quod non tantum pontificii Doctores, sed & multi alii, qui ab ecclesia romana secessionem fecerunt, tales religionis

ligionis articulos a Majoribus acceptos admiserint, & systematibus suis tanquam mathematicæ evidentiæ veritatibus semel semperque credendos injunxerint, qui tamen cum rectæ rationis legibus vix ac nevix in concordiam redigi poterunt. Mecum in hoc negotio consentit vir præstantissimus P. *Conradi*, S. Theologiæ in Academia Franequerana Professor dignissimus, in oratione lectu dignissima *de necessariis Theologi polemici virtutibus.* Verba ad scopum meum facientia sic sonant: *Fuerunt* (inquit) *omni ecclesiæ tempore, nec desunt etiamnum, quibus christianæ tolerantiæ nomen pene ignotum, imo tantum non invisum est, quique partium sectæque studio supra omnem modum dediti, ne vel minimum fere in rebus ad religionem pertinentibus, sive majoris, sive minoris momenti, dissensum ferendum, nec pacem & ecclesiæ communionem cum illis, qui a communi vulgo receptarum opinionum tramite vel tantillum recedant, aut ineundam, aut colendam censent; quam animi sui sententiam, si non aperto ore proferant, praxi saltem sua ac disputandi methodo satis superque produnt. Dum enim pro suis, aut partium suarum placitis acrius pugnant, minutissimas sæpe de rebus nihili quæstiunculas ita exaggerant, quasi in periculosissimo essent errore, qui in istis diversum a se sentiunt, suarumque opinionum de rebus sæpe dubiis, atque in ecclesia semper controversis, momentum ita extollunt, ut hæreseos, aut saltem heterodoxiæ in ecclesia non tolerandæ dicam iis scribere non vereantur, qui illis omnibus assentiri nequeunt. Quod* (NB.) *ut facilius obtineant, certa quædam dogmata, fidei fundamentum haud quaquam attingentia, systemati suo, quod aut ipsi concinnarunt, aut a Majoribus & magistris suis acceperunt, ita innectere solent, tamque arcto nexu veritatibus fundamentalibus illigare conantur, ut illa nec negari, nec labefactari posse sibi aliisque persuadeant, quin totum systema reddatur mutilum atque hiulcum. Quod si ergo reperiantur, qui, licet modeste & nonnisi veritatis studio adacti, dogmata ista ad verbi divini ac sanæ rationis normam expendere, varias, quibus premuntur, difficultates ingenue in medium proferre, suasque opiniones libere illis opponere sustineant, mox salutis compagem solvi, formamque sanorum verborum negligi vociferantur; mox ecclesiam in periculo esse clamant, in quam prava ejusmodi dogmata invehantur, actum de sancta civitate, si exitiales ejusmodi errores in ecclesia tolerentur, fidei puritatem modis omnibus servandam, jamque faces & saxa volant, furor arma ministrat; jam parata convitiorum plaustra; jam*

erecto

erecta rigidissimæ Inquisitionis tribunalia: jam dirarum atque anathematum in homines sæpe innocentissimos temere vibratorum nullus modus. Quæcunque proloquuntur moderatiores, quæcunque in contrarium scribunt, non attenduntur, quin potius in perversum rapiuntur sensum: Patres sunt sequendi, communis trames ineundus est, damnandi, ecclesia ejiciendi, imo orco addicendi sunt, quicunque ab eo recedunt; adeo ut pauci reperiantur, qui mitiorem de illis sententiam pronuntiare audeant, nisi qui pectus habeant, contra minaces zelotarum vultus triplici ære munitum. Hac ipsa ratione, quod profecto satis deplorari nequit, earundem partium Doctores atque Theologi non raro inter se committi deprehenduntur, qui licet tam arctis inter se colligentur vinculis, licet tot nominibus ad unitatem spiritus per vinculum pacis servandam sint obstricti, licet unus illis sit Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & Pater omnium, qui est supra omnia, *verbo, licet quod ad fidei summam eadem incedant regula, ac circa primaria omnia, de credendis & faciendis, doctrinæ christianæ capita accuratissime consentiant, sæpe tamen propter levem quendam de rebus minimis, imo de ipsis subinde vocibus ac terminis, non eodem utrimque sensu intellectis, dissensum, aut propter exiguam quandam opinionum de rebus arduis atque involutis, quæ in hac mortalitate definiri nequeunt, discrepantiam, a se invicem discedunt, pacis ac fraternæ charitatis vincula rumpunt, convitiis omnis generis se mutuo discerpere, communibusque heterodoxiæ criminationibus infamare non erubescunt, atque intestinis dissidiis omnia replentes in propria viscera sæviunt, ad ingentem piorum omnium luctum, ad manifestum infirmorum scandalum, adversariorum denique hinc in nos insurgentium, nosque per nos ipsos destruentium ludibrium.* Hactenus cordatus ille Theologus reformatus. Junge hisce, quæ a celeberrimis viris, *Turretino* & *Moshemio*, in suis de *audiendo Christo* dissertationibus, de hoc argumento in medium sunt allata. In controversiarum illarum campum exspatiari jam quidem non libet. *Posterior* in eo quærenda, quod plurimi eorum, qui religionis Doctores & duces cæcorum esse volunt, in ipsa juventute artem cogitandi, & disciplinas philosophicas neglexerint; macilenta duntaxat quædam Theologiæ & Philosophiæ systemata evolverint; infirmas, steriles, & nemini profuturas hypotheses tanquam veritates cœlitus delapsas receperint hujus commatis homines; vix sine miraculo de scriptis hominum vere eruditorum, sapientum & *ratione*

rite utentium judicare possunt, sed quasi data occasione, ubi aliud ignorantiæ suæ asylum quærere non possunt, & nescio sub cujus pietatis velamine orthodoxiæ defensores videri volunt, clamores maximos excitant contra eos, qui ad religionem tuendam omnes ingenii vires intendunt, & contra incredulorum machinationes eam in tuto collocare nituntur, opinionesque longo usu receptas sub prætextu religionis sed falsas, impugnant (*). Exemplorum inductione longa opus non est. Unum tantum aut alterum afferam. Sic *clarissimus* reformatæ ecclesiæ Theologus H. A. *Roëllius*, crudiores quasdam Doctorum publicorum dicendi rationes de generatione æterna Jesu Christi emendaturus, simul tamen orthodoxam sententiam adversus *Socinianos* tuiturus, inter rationalistas & heterodoxos a multis relatus fuit. Inter

(*) Joannes Clericus, vir doctissimus, in enodatione quæstionis, an semper respondendum sit calumniis Theologorum, inter alias rationes, cur id faciendum semper non sit, etiam hanc refert, quod nimirum plerique contentiosorum Theologorum culturam rationis utplurimum neglexerint. „ Videas (inquit) nonnullos, qui usque adeo negligenter „ philosophicis studiis, excolendæque rationi operam dederunt, ut ne „ elementa quidem artis recte ratiocinandi norint. Cum homines non pos„ simus ad saniorem mentem revocare, nisi emendatis eorum paralogismis, „ necesse esset passim ostendere, quam frequenter in dialecticæ leges pec„ cent, quæ molesta est & inutilis occupatio: quia grandioris ætatis homi„ mines propterea non dant operam dialecticis, quod in sophismatibus sue„ rint deprehensi. Studium hoc est, ut putant, puerile; ad quod si eos „ retrahas, indignantur. Consuetudinem diuturna negligentia contraxe„ runt male ratiocinandi, qua fit ut æque audacter paralogismum profe„ rant ac adcuratissimam ratiocinationem. Iidem vim argumentorum, „ quibus contra eos uteris, non adsequuntur, & frontem perfricant contra „ eas ratiocinationes, quæ sunt ad omnes artis regulas adcuratissime ex„ actæ. Igitur littus arant, qui adversus ejusmodi homines disceptant. „ Amandandi prius sunt ad Logicos, quorum præcepta si edidicere atque „ observare nolint, quisquis contra eos ratiocinatur, frustra est. Quot „ possem hic nominibus appellare, qui quam acerbe in alios invehuntur, „ tam pueriliter ratiocinantur? Quot videmus homines audacter insimu„ lantes alios Socinianismi, quia aliqua in re Socinum recte sentire putant; „ quasi hæc esset recta ratiocinatio: Adsentitur Socino in re quapiam: ergo „ in omnibus? Alios videas in similem crimination incidere, quod nec „ vexare errantes, nec anathema pie viventibus, propter errores theore„ ticos, dicere velint; quasi quicquid improbatur pœnis aut anathematibus „ dignum necessario habendum esset ab iis, a quibus improbatur. Ejus„ modi tamen criminationes ad ravim usque repetuntur a multis; quos „ Logicam doceri oporteret, priusquam Theologiam adtingerent.

Inter eos, qui argumentis graviſſimis & ſolidiſſimis religionem chriſtianam & præcipua ejus capita, contra *Atheorum*, *Deiſtarum*, *Socinianorum* & Pontificiorum objectiones vindicarunt, merito inter alios referendi ſunt celeberrimi viri, *Chillingvvorthus* & *Tillotſonius*. At hi ipſi ab hæretificibus ſui temporis in numerum *Socinianorum* relati ſunt. Audi quid ipſe illuſtris *Præſul Tillotſonius*, de impacta ſibi calumnia, ediſſerat ſerm. ſacr. volumine VII. juxta verſionem cel. *Beauſobre*, *Filii*. „ Avant (*inquit*) que d'en venir aux preuves, „ que je me propoſe d'alléguer, pour convaincre les incredules, je „ crois qu'il eſt à propos de diſſiper, ſi cela ſe peut, un préjugé, que „ l'on a concu contre tous ceux, qui travaillent à rendre la religion „ raiſonnable. On diroit que Bellarmin a eu raiſon, quand il a „ dit. Qu'il vaudroit mieux definir la foi une ignorance qu'une con- „ noiſſance, ce qui veut dire en bon françois, que ſi les hommes „ croyent à l'Evangile, c'eſt faute de bon ſens, & que s'ils étoient plus „ éclairés, on ne verroit point de Chrêtiens. Je ne ſai d'où peut „ venir ce préjugé, ſi c'eſt un artifice du parti Papiſte, qui hait la „ lumiére, parce qu'il craint qu'elle ne condamne & qu'elle ne la „ faſſe connoître: ou s'il a ſa ſource dans l'ignorance d'un grand „ nombre de Proteſtans bien intentionnés: Je ne ſai dis-je d'où „ peut venir ce préjugé, mais malheureuſement il ſubſiſte, & dès „ qu'on entreprend de rendre raiſon de ſa foi, & d'établir la reli- „ gion ſur des fondemens ſolides, auſſi-tôt on flétrît un homme „ par le titre odieux de Socinien. Nous en avons un triſte exemple „ dans l'incomparable Mr. Chillingworth, la gloire de nôtre ſiecle „ & de nôtre nation: ſans autre raiſon, que d'avoir entrepris de „ rendre la religion raiſonnable, & d'en decouvrir les ſolides fonde- „ mens (deſſein qu'il a éxecuté avec autant de dignité que de ſuc- „ cès) on l'a payé du tître flêtriſſant dont j'ai parlé, de celui de „ Socinien. Mais il n'y a point de milieu; ſi c'eſt être Socinien que „ d'approfondir les fondemens de la religion & de tâcher de découvrir „ des raiſons, qui puiſſent nous convaincre de l'obligation, où nous „ ſommes de la croire, tout ce qu'il y a de gens ſenſés, accoutûmez „ à réflêchir, & qui ſont au deſſus de ce qu'on appelle Fanatiſme & „ Enthouſiaſme, doivent être ou Sociniens ou Athées. Je ne „ vois pas que l'on puiſſe rendre un plus mauvais ſervice à la re- „ ligion chrêtienne, que de détruire les fondemens ſolides, ſur

„ lesquels elle est appuyée, en répandant dans le monde, que l'on doit „ croire sans raison. N'est ce pas convertir la foi en crédulité, & „ mettre la religion de niveau avec les réveries les plus mépriſables & „ les plus destituées de bon sens. J'avouë, que si nous n'avions „ à faire qu'à un Nicolas & à un Behman, qui nous attaquent dans „ l'obscurité, non par des raisons & des preuves, mais par un gali- „ matias de mots obscurs, où il n'y a ni sens ni raison, nous serions „ en droit d'user de répressailles, & de les obliger de nous croire sans „ preuves, comme ils veulent nous y obliger nous mêmes. Mais si „ nous avions à faire avec un Celse, un Julien, un Porphyre, ou „ même avec quelqu'un de nos Athées modernes, nous verrions „ bientôt qu'ils ne sont pas gens à se payer de mots, & qu'on ne les „ attire pas au Christianisme, en leur disant, qu'ils doivent re- „ noncer à leur raison, imposer silence au bon sens, & croire sans „ savoir pourquoi. Certainement, si les colonnes de la primitive Egli- „ se, si les anciens Peres avoient pris cette voye, dans leurs apologies „ pour la religion chrètienne, ils n'auroient jamais triomphé du „ Judaisme & du Paganisme, comme ils l'ont fait: & tous ceux qui ont „ lû les defenses de la religion, qui furent écrites dans les pre- „ miers siècles, contre les Juifs & les Payens, & en particulier les „ livres d'Eusebe, ou de la demonstration ou de la préparation „ evangelique, ont bien vû, que ces anciens se sont attachés, avec „ tout le soin possible, à convaincre le monde, par des preuves „ tirées de la raison, que la religion chrètienne est véritable, & „ qu'elle s'accorde avec nos lumières. Or puisque cette voye de „ conviction a été jugée bonne alors, elle doit l'être encore au- „ jourd'hui, d'autant plus que je doute, que depuis l'établissement „ du Christianisme on ait vû plus d'incredules cachés sous le nom „ de Chrètiens. „ Sed hæc sufficiunt. Reliquas horum homi- num malas artes, in sequentibus in apricum producemus.

THE-

THESES

THEOLOGICÆ MISCELLANEÆ.

S. M. Candidatis ad propugnandum & oppugnandum propositæ.

I. Theologia non modo est λογος περι του Θεου, sed etiam Θεου λογος. Igitur non ex humanis placitis, non ex Patribus, non ex conciliis, non ex ullis privatis publicisve scriptis, sed ex solo verbo Dei haurienda est.

II. Qui fidem christianam, cum *Bellarmino*, per *ignorantiam* potius, quam per sufficientem religionis christianæ articulorum notitiam explicandam asserunt, religionem contemtui exponunt.

III. Sentiendi justa libertas, scientiarum incremento, veritatum inventioni, illustrationi, confirmationi, religionis emendationi atque reipublicæ incremento, mirum in modum inservit. Eadem quoque Hispaniæ, Portugalliæ, Galliæ, Italiæ, aliarumque, quibus lucem eripuit papismus, terrarum tenebras, si concedatur, est dissipatura. Thesis est *celeb. Heumanni*, cui sapiens quisque subscribet.

IV. Magnifici tituli *orthodoxiæ* & *orthodoxæ ecclesiæ* revera nihil aliud sunt, quam ad populum phaleræ: unusquisque æquo jure eos sibi adscribere potest. Ea demum orthodoxa est sententia, quæ vera est; & dum veritas inquiritur inter dissidentes, eorum neuter ex sua sententia ut orthodoxa, tanquam ex principio indubitato, testimonia, quibus alterum gravet, proferre potest.

V. Nonsolum graviter errant illi, qui examen omne religionis proscriptum vellent; sed & illi, qui S. Literarum interpretationem, ad systemata sectæ, cui addicti sunt, exigendam esse clamant.

VI. Vero quammaxime simile est, Deum erga infantes, sive ante, sive post baptismum acceptum, mortuos, suam exerciturum esse post hanc vitam misericordiam.

VII. Quod ex *nihilo nihil fiat*, perperam ab Atheis nobis objicitur. Sed nos jure meritoque illud ipsis objicere possumus: cum res pulcherrimas ac præstantissimas, brutæ materiæ & cæco casui, hoc est *mero nihilo*, adscribant.

VIII. Vulgatum illud *Augustini* dictum: *bona opera sequuntur justificatum, non præcedunt justificandum*, cum mica salis accipiendum est. Alioqui dicendum esset, vel pœnitentiam non esse bonum opus, vel peccatorem, dum adhuc impœnitens est, veniam peccatorum a Deo consequi. Quorum utrumque, non absurdum modo, sed & impium est.

IX. Probrum est humani generis, eam doctrinam, quæ crassissimas contradictiones involvit, & cujus falsitas, ut ita dicamus, visu, gustu, tactu percipitur, tot gentibus, ac per tot secula persuaderi potuisse.

X. Cum Evangelium sit doctrina pietatis; quicquid nullius est ad pietatem usus, non est articulus fundamentalis: Quicquid vero veram pietatem, non putatitiam evertit, neque cum ea stare potest, est error fundamentalis.

XI. Theologia systematica haud absimilis est arti statuariæ, quæ non tam adjiciendo quam abradendo opera sua perficit. Tantum materiæ inutilis vel noxiæ abscindendum est, donec id quod supererit sit novus homo, ad Dei imaginem sculptus.

DISSER-

DISSERTATIONIS DE CRIMINE HÆRETIFICATIONIS, EJUS CAUSIS ET REMEDIIS.

Pars III.

SECT. I.

IN antecedenti dissertatione incepimus in medium proferre aliquot μεθοδικὰς, quibus utuntur hæretifices, vel innocentes plane, vel leviter errantes, graviorum errorum, id est *hæreseos*, reos postulandi. Pergemus nunc, in hoc argumento, cæteraſque malignas horum hominum artes in apricum proferemus. Atque hîc omnium seculorum experientia constat, solitos fuisse homines malignos, dissentientes in causa religionis impugnaturos, eos *cum invisis hominibus*, *id est hæreticis*, *comparare*. Singulari dissertatione J. *Clericus* hanc argumentandi rationem exemplo *Hieronymi* explicuit. Ostendendum autem, quam sit hæc argumentandi ratio iniqua, & ad errantem in viam veritatis ducendum inepta plane. Is qui errat, aut saltem nobis errare videtur, vel rationibus philosophicis utitur ad sententiam suam comprobandam; aut ad testimonia S. Literarum provocat, opinioni suæ speciem conciliaturus. Quid vero ad eum lucrandum in hoc casu facit comparatio instituta

De Parallelismo cum hæreticis instituto.

tuta cum homine, qui forte eundem errorem ante plura defendit secula? Ego nil homini veritatis amanti & sapienti, adversarium emendaturo, relictum esse video, quam ut gravibus argumentis, quæ recta ratio suppeditat, errorem impugnet, aut manifeste probet, per legitimas interpretationis regulas, errantem mentem S. Scriptorum male cepisse. Cætera omnia, quæ contra eum in medium proferuntur, inania sunt, & ad errorem revincendum plane nihil faciunt. Inprimis vero a scopo, quem intendit is, qui alium, errore forsan constrictum, emendare vult, hac argumentandi ratione plane discedit; quod facillime probatur. *Primo* enim ita argumentando, non de ipso errore, sive vero, sive putatitio, sed opinione alterius, qui eandem sententiam olim tuitus est, agitur, quod argumento, vel quæstioni, de qua agitur, nullam plane affert lucem. Pone stultam plane & rationi adversam esse opinionem, quam defendit hic vel ille nostræ ætatis Sophista; num pondus aliquod accedet controversiæ, quæ in disceptationem venit, si ostendam, ante mille, & quod excedit annos, pariter deliraſſe alios?

(II.) Nonsolum eruditi inter se non consentiunt in *definitione hæretici*, sed & sæpissime difficillimum est cognoscere, qualis fuerit hominis, pristino ævo viventis, vera & genuina sententia, qua ignorata cum larvis pugnatur. Qui in historia ecclesiastica antiqua pariter & recentiore versati sunt, perpulchre norunt, sæpe erantibus impactas fuisse perversas sententias, a quibus homines illi alieni plane erant, & de quorum opinionibus longe aliter & mitius ratiocinantur eruditi moderni. Notum insuper, antiquos Doctores ad alios accusandos in religionis negotio nimis fuisse propensos, & minutos errores sæpe in majus extulisse.

(III.) Difficilis insuper & operosus est labor, antiquorum hæreseos postulatorum cogitata cum recentiorum opinionibus conferendi. Sume historiam *Gnosticorum*, *Manichæorum*, *Donatistarum* &c. bone Deus! quantæ molis libri, ab antiquis pariter & recentioribus scripti, de horum hominum opinionibus sunt evolvendi? Quot conjecturæ expendendæ? Quam difficile est, veterum testimonia sæpe obscura & diversa, non tantum inter se, sed & cum recentiorum cogitatis conferre?

(IV.) Pone vero omnia ad liquidum esse perducta, & sententiam ita *dicti hæretici* planam esse, & ex monumentis antiquissimorum

Docto-

Doctorum ecclesiæ christianæ sufficienter probatam; quæritur denuo, utrum sententia hujus hominis sit vera vel falsa, magis vel minus periculosa &c. atque ita magno labore frustra insumpto, ad examinandam ipsam rem iterum deventum, neque errans ex operosa hac collatione nonsolum lucem accipit ullam, sed & ad retinendum errorem suum magis inducitur, quoniam pulchre videt, operosam illam comparationem non ad veritatis investigationem esse institutam, sed eo duntaxat fine inventam, ut sua sententia reddatur magis *invisa* & *periculosa*.

(V.) Pessimum in hac controversia est, quod hujus vel illius erroris accusati, & cum quibusdam vetustioris ævi *hæreticis* collati, artem arte eludere possint. Notæ sunt accusationes inter ipsos *Protestantes* mutuæ, de *Eucharistia*, *communicatione idiomatum*, *prædestinatione* &c. agitatæ, ubi hic ad *Eutychem*, alius ad *Nestorium*, hic ad *Semipelagianos*, alter ad *Manichæos* & *Prædestinatianos* provocat. Ex quibus tamen ridiculis, imo, ut *scapham scapham* appellem, *invidiosis* & *malignis comparationibus*, nonsolum nulla controversiis hisce inter ipsos agitatis lux allata, sed & animi dissentientium magis magisque a se invicem alienati fuerunt. Ex quibus omnibus manifestum est, *paralleliſmum* illum cum *hæreticis* institutum, nonsolum ad controversias elucidandas nihil conferre, sed eum malignitati duntaxat ingenii humani, sophisticisque artibus contentiosorum Theologastrorum esse adscribendum.

II.

Examinantur rationes eorum, qui præposteram hanc cum dissidentibus in causa religionis agendi methodum probant.

Quandoquidem vero quidam viri haud indocti (inter quos est rev. *Scharbau*, in tractatu de *paralleliſmo cum hæreticis inſtituto*) putant, recte hanc argumentandi methodum adversus adversarios usurpari, opportuna hac data occasione, rationes eorum expendemus. Ad defendendam hanc collationem citatus auctor, primum argumentum ex eo petit, *quod ita de principali auctore hæreseos constet*. At quid hoc conferat ad errantem in viam revocandum, fateor me ignorare. Pone ante tempora Patriarcharum aliquem stultam aliquam opinionem in medium protulisse, & ejusdem commatis hominem eandem nostra ætate professum, quod in hac ingeniorum diversitate non potest non contingere; quid hoc tandem ad con-

controversiam rite elucidandam conferre potest? Si quis hodie defendit opinionem, quam tu ab aliquo *hæreticorum* primorum seculorum jam defensam fuisse existimas, errans vero secus sentit, atque recte eum opinatum esse putat, quid quæso tandem invidiosa illa collatio, ad negotium, de quo agitur, componendum, & errantem revocandum facere potest?

(II.) Homines qui nobis errare videntur, recte se sentire putant: perinde igitur ipsis est, utrum ante aliquot secula hic vel ille eidem sententiæ addictus fuerit nec ne. Qui veri nominis errorem impugnant, ad id potissimum intenti esse debent, ut erroris fontem detegant, eaque potissimum argumenta in medium proferant, quæ errori tollendo accommodatissima sunt.

(III.) Ridicule, mea opinione, rev. *Scharbau* ad fontem errorum detegendum, & errantem invisum reddendum, ad *Satanæ astutiam* provocat. *Primo* enim facile sine Satanæ alicujus, id est maligni genii, insidiis explicari potest, quomodo quis in hanc vel illam portentosam opinionem incidere, eamque defendere possit. Ignorantia, stupor quidam animi, ambitio, lectio librorum Atheismo patrocinantium, inclarescendi studium, adversariorum malitia &c. homines inducere possunt, ad defendendum stultas & pestilentes opiniones. Ipse insuper Satanas mentes invitas ad errorem aliquem tuendum pertrahere non potest; argumentari duntaxat potest; sed in potestate hominis situm est, argumenta argumentis opponere. Et quid juvat tandem, oborta quadam inter Christianos controversia, ad miras Satanæ τεχνας provocare? Errans artem arte eludere potest, atque asserere, malignam quandam infernalis genii cujusdam potentiam obstare, quo minus illi, qui ab ipso dissentiunt, veritatis lucem cernere possint. Ita novimus olim *Dominicum* & sequaces ejus contendisse, *Waldenses*, hæreticos scilicet, malignis dæmonibus agitari & hac ratione impediri, quominus sanctissimis, si Diis placet, præceptis ecclesiæ romanæ, ritibusque subscribant. Sed majore plane jure *Waldenses*, & qui eos secuti sunt, Protestantes, affirmare possunt, *Inquisitionis tribunal*, occasione & ex voto ipsius *Dominici* erectum, quod omni humanitati plane contrarium, & in opprobrium religionis christianæ excogitatum, non hominibus, sed infernalibus geniis esse attribuendum. At & hæ mutuæ objectiones ad errorem qualemcunque revincendum prorsus nihil valent.

(IV.) Te-

(IV.) Testimonia quorundam Patrum ecclesiæ, *Hieronymi* præsertim, *Arium*, *Dæmonium meridianum* appellantis, ridicula sunt, & ad rem nihil faciunt. Novimus Patres, qui *sancti* vocantur, sæpe modestiæ limites in controversiis cum dissentientibus transgressos, & pravis affectibus frena laxasse. Miror cumprimis rev. *Scharbau* exemplum *Hieronymi* adduxisse, postquam illius exemplo celeb. *Clericus* ostendit, eum contra *Jovinianum* disputantem, omnia argumenta, quæ *ab invidia* peti solent, in medium protulisse. Ex quo satis patet, comparationes illas cum hæreticis institutas, malignas plane esse, & ineptas ad errorem qualemcunque reprimendum, nedum ad veritatem in lucem protrahendam. *Secunda* ratio de paralleliſmo cum hæreticis juxta rev. *Scharbau* legitime instituendo, non magis rationi conveniens est quam prior. Nimirum hæc ab eo petita, *quod ita de statu & cardine controversiæ eo melius constet.* Nemo, cui sanum cerebrum est, non videt, quam sit hæc ratio plane inepta. Cardo enim quæstionis & pondus controversiæ ex ipsius erroris indole & natura est repetendus. *Quæritur* enim *primo*, an error hominis, qui *hæreseos* postulatur, verus sit, an putatitius? *Quæritur secundo loco*, utrum error detrimenti aliquid adferat veritatibus magni momenti, vel ipsi pietati, nec ne? *Quæritur denique*, quibus rationibus nitatur ille, qui errorem defendit? Hoc posito, manifestum est, comparationem, cum homine ante plura secula jam demortuo, & eidem forte errori addicto, ad controversiam rite dirimendam nihil plane adferre lucis. Accedit, quod illi, qui forte eundem errorem defendunt, longe diversis utantur armis. *Ariani* v. gr. & *Sociniani* nostræ ætatis, adhibent magis speciosas rationes, quam veteres in eundem errorem prolapsi. Unde patet, semper recurrendum esse in quavis quæstione controversa ad argumenta, quibus quisque utitur, ad suam sententiam comprobandam. *Tertiam* rationem hanc adfert rev. *Scharbau*, ad comparationem illam probandam, quod nimirum ita *de turpitudine & periculo erroris constet.* At & hæc ratio nobis infirma valde videtur. Omnis enim quæstio redit ad erroris naturam rite repræsentandam; hac cognita & perspecta, facile erit sine cognitione alterius, eidem errori patrocinantis cognoscere, utrum error periculosus sit, nec ne. Novimus multos inter antiquos controversiarum tractatores solitos fuisse, adversariorum errores in majus extollere,

& pericula imaginaria pro veris ſubſtituere. Quamvis hodie, in tanta litterarum luce, ſæpius etiam peccetur, docti tamen & ſapientes viri, in examinandis aliorum opinionibus cautius procedunt, neque veterum ſemper pugnant armis. *Rev. auctor* in hoc libello ſæpe provocat ad Scripta N. Teſtamenti, in quibus errantes in his vel illis cœtibus Chriſtianorum cum inviſis hominibus comparantur. At hoc ad eos qui noſtro ævo errores quoſdam defendunt parum facit. Plurimi eorum, quos tangunt Apoſtoli, aut religionem chriſtianam in univerſum impugnabant; aut principalibus religionis chriſtianæ capitibus adjungendas eſſe vel judaicas vel fanaticas è *Platoniſmo* petitas opiniones cenſebant; aut denique hujus vel illius libri divini αὐθεντίαν in dubium revocabant, quod de recentioribus ita dictis *hæreticis* dici non poteſt. (2.) Apoſtoli erant infallibiles, ſuamque doctrinam *miraculis* confirmare poterant ad errantes convincendos; hoc vero moderni Doctores, cujuſcunque tandem ſectæ addicti, præſtare non poſſunt. (3.) Hodienum, multorum errorum, ad quos Scriptores ſacri alludunt, non ſatis cognita & perſpecta eſt natura. Hinc adeo obſcura eſt cognitio errorum, quos fovebant ita dicti *Gnoſtici*, de quorum ſententiis diverſa valde ſunt hodiernorum eruditorum judicia. (4.) Ponamus tamen eorum opiniones, quas homines quidam maleſani olim defenderunt, hodie nobis ſatis perſpectas eſſe, quid hoc tandem faceret, ad hæreticum ætatis noſtræ, forte in multis eadem cum iis tuentem, convincendum? Scripſerunt viri docti libellos de *Spinoſiſtis* ante *Spinoſam*; num vero quis hodie ſyſtema hujus hominis felicius eſſet impugnaturus, ſi oſtendere poſſet, aliquos veterum Philoſophorum huic errori patrocinatos fuiſſe? *Quarta* ratio rev. viri eſt, *ut alii ſibi ab erroribus caveant.* At cavere ſibi poſſunt errantes ab errore hominis graviter errantis, licet neſciant, ante mille & quod excurrit annos, alios eundem errorem calculis ſuis comprobaſſe: Ponimus hic pro certo, agi de homine graviter errante; quod ſi vero error putatitius ſaltem eſt, aut levis, tanta ſollicitudine opus non eſt. *Quinta* denique ratio ejuſdem commatis eſt, ac ea, quæ ſupra in medium prolata eſt. Nimirum auctor ait paralleliſmum inſtituendum, *ut eo gravius redarguantur errantes.* Non video ego quodnam pondus accedat errori, ſi oſtendam, non unum, ſed plures diverſiſſimo tempore viventes, eundem erraſſe errorem; imo tantum abeſt, ut

errans

errans hac ratione magis confundatur, ut potius in suo errore confirmetur. Si erro, inquiet, argumentis solidis id demonstrate, erroriſque mei detegite fontem. Hæc sufficientem forte mihi adferent lucem. Cum vero videam vos exosos quosdam hæreticos, qui ante plura secula vixerunt, argumentorum loco, in scenam producere, nullam aliam hujus rei causam esse perspicio, quam ut me invidiæ male sanorum Doctorum exponatis. Atque hoc ipsum ostendit, cujus ingenii homines sitis, nimirum *hæretifices* & Doctores umbratici; docti enim & sapientes nonnisi argumentis pugnant. Multi errantium in religionis negotio ad meliorem mentem fuissent conversi, si modeste cum illis actum fuisset, neque *hæreseos* crimen statim, ac suas sententias in medium protulerant, illis objectum fuisset. Fatentur hoc Theologi reformati doctissimi. Inter eos (ut plures non adducam) eminet F. *Spanhemius*, vir ut notum est, ita dictæ *orthodoxiæ tenacissimus*, in oratione de *prudentia theologica*. Verba ipsius ita sonant. *Enimvero sæpenumero hæsi dubius animi, plusne nocuissent intempestiva novantium, an calida consilia reprimentium. Imo quod res est dicam, iliacos intra muros haud peccatum minus fuisse quam extra.* Et quam in alia causa laudavit Tullius incitationem animi, quæ studio pugnæ accenditur, *hanc in viris Theologis repressam frequentius oportuit. Et fuisset utinam, utinam in ipso contentionum exortu, in recenti morborum vitio, lenientibus uti remediis placuisset! Utinam flexissent ad mitiora consilia laudatissimæ quondam Constantini Imperatoris ad Alexandrum Ariumque voces, jam in pugnam animatos! Utinam didicissent quandoque viri Dei dissimulare plurima, quæ vel incogitantius, vel cum aliqua verecundia, collegis aut fratribus expressa! Utinam extremis remediis parcius, quæ prudentia medicorum est, solicitis vero precibus, fraternis monitis, benignioribus interpretamentis, datus esset locus liberalius! Nec statim primo impetu esset ad arma conclamatum, nec itum in sacra fœdera, nec vibratum fulminibus, nec tot sævitum anathematismis, non improbando modo sed reprobando, nec in causas tantum sed personas invadendo, & sæpiuscule, quæ vix millesimo cuique vel intellecta fuissent, vel animadversa, protrahendo in apertam hominum lucem, magno cum veritatis & charitatis dispendio. Quæ dum mœsta oratione persequor, nihil jam est opus flumine eloquentiæ, sed torrente lachrymarum. O quot restingui*

potuissent in ipsis scintillis incendia? Quot præveniri infelices motus? Quot componi duraturæ lites? quot depelli lethales morbi? quot eheu exitiales hæreses ceu discordiæ civiles prohiberi? Equidem sic sentio, auditores, non flagrasset tanta invidia Adamantius, nec ejus causa tot secula laborassent; non exiisset in orbem universum Ariana hæresis; non partes fecisset cum suis Nestorius; non divisissent Orientem paschales, vel Africam baptismales controversiæ, si plus fuisset in Demetriis, in Alexandris, in Cyrillis, in Victoribus, in Stephanis a principio moderationis, nec quæsita illico dejectionum, proscriptionum, anathematismorum medicina violenta. Multi errorem vel pressissent, vel revocassent, ni traducti protinus hæreseos accusatione, in qua Hieronymus neminem esse voluit patientem. Multi deseruissent causæ vadimonium, si modo relictæ in tuto dignitates, fortunæ, existimatio. Neque dissimulabo, exceptos qui ita novaturirent nonnunquam acerbius, sæpe non confutatos, sed confossos, non correptos, sed proditos, sæpe (prout tenet hoc insanabile malum multos) *contentionis studio magis vel veritatis, fide defensa, sed charitate eversa, desinente amore causæ in odium, in stylum, sale christiano in Plautinos sales, unius, qui obduci initio potuit, in communem totius sectæ ex quo propalari invidiosius cœpit.* Ita celeb. *Spanhemius.* Inprimis vero hoc observare deberent Theologi Protestantium cœtibus addicti, quandoquidem aperte fatentur, fieri non posse, ut qui uni eidemque ecclesiæ nomen dederunt, in omnibus sententiis & S. Literarum interpretationibus conspirent. Fassus est hoc denuo idem *Spanhemius* in oratione citata de *prudentia theologica. Fateor* (inquit) *vix fieri posse in hac cum ingeniorum tum quæstionum infinita propemodum varietate, ut idem semper omnes de omnibus sentiant. Largior non humanæ, sed angelicæ esse perfectionis,* (ita Augustinus Cypriano indulsurus) *in nullo aliter sapere ac se res habet; nec pauca etiamnum esse in hoc vitæ nostro modo expeditas difficultates, nec perinde omnes oculatos, nec parem Theologorum omnium in Scripturis declarandis esse felicitatem, uti neque mensuram gratiæ. Postremo & ipsum de facili largior, non posse cujusquam cogitatis vim admoveri, nec constringi ita oportere hominum mentes, ut in sensus nostros adigantur, neque fas sit vel tacita ratiocinatione diversum in multis opinari. Nobilem certe animum vegeta libertas alit, haud passum cogi se in illas angustias.*

III. Ne-

III.

Neque etiam desunt inter tales homines, qui viros eruditos suspectos reddere volunt, quod *nimirum cum viris diversarum religionum vel familiare Literarum commercium alant, vel cum iis conversentur frequentius, qui incertis rumusculis plebis, vel Doctorculorum quorundam, in eorum classem referuntur, qui religioni publice receptæ parum faveant.* Quam sit hæc accusatio inepta & malitiosa nemo non intelligit. Qui enim hujus vel illius disciplinæ amore capitur, non potest non, siquidem in ea majores vult facere progressus, eos frequenter consulere, qui in ea, quam magni facit, arte præ cæteris excellunt. Itaque, si in eodem loco non degunt, per literas cum iis agere debent. Hoc autem dum faciunt, minime solliciti sunt, quibus hic vel ille vir eruditus de religione addictus sit opinionibus, aut si errare eum in religionis negotio putat, prudentiæ & honestatis memor, de iis duntaxat cum eo agit eruditionis partibus, in quarum amorem uterque singulari propensione fertur. Ita qui delectantur humaniorum litterarum cultura, sine ullo aliquo periculo commercium literarium alere possunt cum homine *Pontificiæ*, *Sociinianæ*, *Judaicæ* &c. religioni addicto. Quod si is, cum quo mihi intercedit litterarum commercium, errores quosdam propinare vult religioni contrarios, libere ego animi mei sensa explicare, & dissensum meum sine amicitiæ detrimento testari possum. Idem dictum velim de homine, quo quidem utor familiariter, sed qui graviorum errorum suspectus est. Nemo sane prudens ex eo colligere poterit, me per omnia cum eo de religionis negotio idem sentire, quia rationes aliæ gravissimæ adduci possunt, cur familiariter eo utar. Longe vero aliter sentiunt nostri, de quibus agimus, homines. Tritum illud proverbium *noscitur ex socio, qui non cognoscitur ex se*, malitiose licet & ridicule in rem suam pertrahunt, existimantes, fieri vix posse, ut aliquis familiariter uti possit viro alii sectæ addicto, sine conspiratione mutua sententiarum, licet sæpe per omnem vitam de negotiis, ad religionem spectantibus, nulla inter ipsos intercesserit consultatio vel disputatio. Imo sæpe etiam factum, ut, prout quis hanc vel illam Academiam, eadem Sacra publice sectantem, frequentavit, & ab horum vel illorum Doctorum ore pependit, magis vel minus *heterodoxiæ*

Hæretifices alios exosos reddituri, provocant ad familiare commercium, quod cum dissentientibus alunt.

terodoxiæ in patriam redux suspectus fuerit. Imo accidit non semel, ut si quis optimo fine iter aliquod in regiones a recepta religione alienas plane, & superstitioni deditas suscepit, a maleferiatis hominibus in suspicionem heterodoxiæ fuerit adductus. Id contigit (ut de pluribus aliis jam nihil dicam) J. *Arminio*, qui visendæ Romæ gratia in Italiam iter fecit. Testatus id P. *Bertius* in oratione de vita ejus & obitu. Verba ita sonant. *Sæpe illum narrare memini, Italiam sibi & commoda multa & damna attulisse. Inter commoda illud præcipue ponebat, quod Romæ vidisset mysterium iniquitatis longe fœdius, magisque detestandum quam unquam animo concepisset: nam quæ vel narrantur de romana Christi curia vel leguntur, nugas esse ajebat, præ iis, quæ vidisset. Inter damna istud, quod in amplissimi Senatus Amstelodamensis offensiunculam ob id factum tunc temporis incurrisset, suffundentibus frigidam quibusdam, quos omnina præstitisset judicia in ipsius reditum suspendere. Hinc ergo sumta occasione spargebatur in vulgus, illum Pontificis soleam deosculatum, quem nonnisi in conferta turba, ut reliqui spectatores, vidisset; nec soleat bellua honorem istum nisi Regibus & Principibus deferre; Jesuitis adsuevisse, Bellarmino innotuisse, quem nunquam conspexisset: religionem orthodoxam abjurasse, qua paratus esset ad sanguinis usque profusionem decertare.*

IV.

Exoti quidam redduntur, quod non omnibus receptis distinctionibus in systematibus receptis, uti velint.

Sunt inter viros doctissimos & veri amantissimos, qui ob graves rationes, distinctionibus quibusdam in systematibus vulgo receptis uti nolunt, quod *contentiosi Theologi* ita interpretantur, ac si dogmata ipsa, ad quæ adstruenda distinctiones illæ usurpantur, negent vel suspecta habeant. Ita fuerunt inter Theologos, qui in mysterio Trinitatis aliqua ex parte explicando nolunt hanc phrasin admittere, tres dari personas, licet Patrem, Filium & Spiritum Sanctum divino honore prosequendos esse affirment. (*) Sic quando frivolam illam distinctionem, quæ adhibetur, ad statum mentis, corpori nuper creato insertæ, describendum, inter *impurum* & *non*

(*) Vide Limborchium & Buddæum, qui de hoc argumento in suis institutionibus theologicis agunt.

& *non purum* quidam Theologi cordati admittere noluñt; clamant hi homines, qui nihil unquam examinarunt, sed omnia argumenta & distinctiones in suis systematibus repertas tanquam e tripode dicta oracula admittunt, *peccatum originis* negari vel infirmari.

V.

Sæpe in orationibus publicis quidam alios hæreseos suspectos reddere conantur.

Contentiosi Theologi eo usque sæpe progrediuntur audaciæ, ut nonsolum in ædibus sacris, pietati duntaxat & paci consecratis, innocuas fratrum, quos omni modo exosos reddere volunt, opiniones vellicare non erubescant; sed & plebeculæ, religionis & controversiarum parum gnaræ, animos ad iram æstumque provocent, falsasque sæpe opiniones de dissentientibus spargant, quæ res quantum ad promiscuas lites, scandala, & religionis contemtum faciant, omnes me tacente facile intelligunt. Frequentissime hoc in cœtibus Protestantium (ut altius non ascendam) obtigisse, agmine testium probare possem, siquidem id necesse esset: unum tantum & alterum exemplum adduxisse juvabit. H. *Bullingerus*, *æternum ecclesiæ nostræ Tigurinæ decus*, anno seculi decimi sexti septuagesimo secundo aureum libellum, cujus titulus est: *Adhortatio ad ecclesias Christi omnes, ut abjectis controversiis Christum solum, ac veram in ipsum fidem & vitæ resipiscentiam, concorditer & simpliciter prædicent*, scripsit. Qua occasione id factum sit, ita memorat *celeb. Hottingerus Pater*, in *Bibliotheca Tigurina*, ipsius *Bullingeri* adductis verbis, quæ ita sonant. *Quando* (inquiebat Bullingerus) *adhortationem hanc scribebam, fervebant passim in ecclesia plurima de capitibus religionis certamina, multique Ministri ex cathedra proniores erant ad convitiandum & rixandum, quam vero ad docendum. Unde ad ecclesiæ solatium hanc edidi.* Idem superiore seculo occasione infaustarum litium, quæ inter ita dictos *Coccejanos* & *Voëtianos* agitabantur, in Belgio actum fuisse, narrat H. *Witsius* Theologus inter Reformatos *celeberrimus*. Verba ejus (quæ licet alia occasione protulerim hic adduxisse non ἄτοπον erit) attentione dignissima ita sonant. *Nunquam melius comparatum fuisse arbitror cum populo christiano, quam quando sua se involvens credendi Evangelio sancteque vivendi integritate, procul esse jussis curiosarum quæstionum argutiis, in casto Dei Christique amore & certa vitæ æternæ exspectatione deliciabatur. Ita Christum ab Apostolis didicerat*

didicerat prisca gens fidelium, quæ simplici & impolito sermone edocta, sed missorum ad se a Deo Oratorum incredibili sanctitate commota, zelo accensa, prodigiosis operibus persuasa, & accedente divini Spiritus illuminatione efficaciter de veritate convicta, ad Jesum Christum Filium Dei, tanquam unicum salutis auctorem confugiens, ejus se nutui ducendam regendamque tradebat; tam ignava subtilium disputationum, quam studiosa pietatis. Tunc fuit cum christiana fides vim suam omnem in animis mortalium exerceret, magisque eos ad mortem pro Christi gloria fortiter oppetendam, quam ad contentionem de obscurioribus religionis articulis acrimoniam animaret. Atque hinc est, quod sæpe mecum animo cogitaverim, felicissime fortassis cum iis hominibus agi, qui non cognoscentes nisi Jesum Christum eumque crucifixum, & ex Evangelii præscripto, temperanter, juste & pie viventes, de Theologorum rixis ne fando quidem audiverunt. Et hanc non minimam calamitatis nostræ, vel certe molestissimam officii partem esse existimo, quod qui rei christianæ præstites sumus, in spinosarum quæstionum difficultatibus enodandis prolixam sæpe operam impendere cogamur. Ita seculum est: litibus perstrepunt omnia. Ne ea quidem NB. *æde excepta, quam paci & concordiæ sacravit Deus.* Ita *Witsius.* Confirmat quæ *Witsius* hic narrat cel. *Spanhemius*, in epistola ad amicum *de novissimis ad res sacras in Belgio dissidiis*, quæ extat tom. II. op. Spanh. Eodem spiritu quo ardebat *Witsius* animatum fuisse credas J. *Buxtorfium*, in academia Basileensi L. sanctæ Professorem, si ea legas, quæ de eo in medium protulit ὁ μακαριτης celeb. *Werenfelsius*, in *oratione funebri*, quam in morte ejus habuit. Verba *Werenfelsii* sic sonant pag. 827. *Eadem modestia obstitit, quo minus ad altiora adspiraverit. Cum enim nullum non lapidem moverent propinqui & amici, ut eum ad theologicam professionem evectum cernerent, huicque muneri eum nemo non parem crederet; ipse solus humeros suos tanto oneri portando non satis firmos existimavit. Quod sane mirum nobis omnibus videbatur. Quis enim ad S. Literas interpretandas aptior inveniri potuisset quam vir hoc ingenio, hoc judicio, his philologiæ sacræ præsidiis instructus? At videbat fortasse noster ad intelligenda plurimorum Theologorum scripta linguam Canaanis parum prodesse, nisi simul calleas linguam Scholasticorum: ad talem Theologiam non modo requiri hominem in S. Scriptura, sed etiam in Aristotele potentem, aliisque Philosophis quorum placita Theologiæ sunt admixta; denique non sufficere, ut in Prophetarum*

phetarum & Apostolorum libris exercitatos sensus habeas, nisi simul ediceris Thomam & Scotum. Absterrebant fortasse animum, speculationibus metaphysicis nunquam deditum, tot spinæ, quibus multorum Theologorum libros obsitos cernebat; tot temerariæ decisiones rerum difficillimarum & supra captum nostrum positarum. Absterrebant fortasse animum pacificum tot rixæ & controversiæ de rebus sæpe levissimis atque adeo de verborum formulis. A rixosa enim Theologia quantopere abhorruerit, cum sæpe alias, tum inprimis in ultimo morbo, neque adeo longe ante beatam ἀναλυσιν est testatus; ubi cum sermo incideret de altera & meliore vita; ad hanc, inquit, se aspirare toto pectore, in cœlo veram esse felicitatem, in cœlo, addebat non sine animi commotione, non litium & controversiarum, sed in eo ubi nonnisi pax, concordia & charitas perpetuo viget & regnat. Hactenus B. *Werenfelsius.* Quantum vero tribunitiæ illæ conciones ad plebem contra dissentientes concitandam, & præposteras illi ingenerandas de iis opiniones contribuerint omni tempore, ex historia ecclesiastica antiqua pariter & moderna constat. Quot *concilia* & *synodi* habitæ, tot stimuli vulgo additi, ad dissentientes quavis occasione perstringendos & lædendos. Lectori multorum exemplorum inductione molestus esse nolo. Vir in historia ecclesiastica versatus sine me abunde tristia hujus rei documenta reperiet. Unum tamen ex veteri, alterum ex recentiore historia, exemplum adduxisse sufficiet. Notum est inter fœminas eruditissimas seculi III. post Christum natum, vixisse *Hypathiam Alexandrinam*, cognitione disciplinarum philosophicarum nobilissimam, sed religioni ethnicæ addictam. In eam publice & privatim *Cyrillus*, *Alexandrinus Episcopus*, tantopere invectus est, ut tandem populi furore misere perierit. (*) Ex recentiore paulo rerum in ecclesia christiana gestarum historia, unum exemplum adducemus; (de *Monachorum* enim criminationibus nil dicam, quia res in vulgus nota est.) Scripsit superiore seculo vir cl. *Limborchius* vitam *Episcopii*. Ex hac biographia, aliisque haud incertis documentis constat, multos concionatores ante synodum Dordracenam plebem contra Remonstrantes publice & privatim concitasse, adeo ut ne interdiu quidem a rabie promiscuæ

(*) De doctissimæ hujus fœminæ eruditione & tristi fato, malignisque contra eam CYRILLI conatibus, vide celeb. & amicissimi BRUKERI hist. criticam philosophiæ Tom. II.

turbæ satis tuti essent. Unum ex pluribus adduxisse sufficiet, quod extat pag. 10. *Egresso* (inquit) *post meridiem Episcopio obviam venit in templo veteri quidam faber ferrarius clamitans: hiccine est tumultuator? Adjiciebat ejus hominis uxor, jamdudum in ergastulum conjectum esse credidi: Sub vesperam una cum Werfio Consule Leidensi prætergressus hujus fabri domum iterum ab eo probris lacessitus fuit. Simon, hoccine de te credideram? Vah! tune Professor es? imo nebulo potius ac verbero &c. Tanto furore percitus homo erat, ut Episcopium prætereuntem conspicatus, manu adhuc tenens candens ferrum, quod super incude fingebat, officina eruperit, eumque sit insecutus. Fabri uxor clamitabat interea, suspendendos ejusmodi homines, ut in aëre putrescerent. Alius post cœmeterium admodum ferociter clamavit: progrediaris modo extra portam sceleste.* Ignorasse autem insanam turbam cur Remonstrantes odio prosequerentur, & quæ esset eorum de religione sententia, documenta esse possunt multa, quæ in hoc libello traduntur. Unum & alterum exemplum adduxisse juvat. Habebat *Episcopius* fratrem, *Rembertum* dictum, mercatorem Amstelodamensem. Hujus ædes circumdabat turba hominum seditiosorum & stolido zelo captorum, qui spoliare domum, & quantum in se erat, penitus vastare cupiebant. Quid hic acciderit verbis βιογραφε referam. *Res* (inquit) *tunc incidit memoratu digna; cum enim faber lignarius a scabinis interrogaretur, negaretque se quidquam a Remberti domo furatum esse, (quanquam alii coram judicibus alia plane testarentur) quæreturque ab eo, quare ergo domum esset ingressus? reposuit: pro bono zelo ad impugnandos, qui forte congregati ibi fovent, Arminianos.* Rogatus porro, quam ob rem tantopere Arminianos odio haberet, respondit: *Tolerandine essent ejusmodi homines, tam falsam prædicantes doctrinam, Deum nempe alios, ut eos damnaret, alios ut eos æterna salute bearet, creasse. Hinc cernere est,* (inquit biographus) *quanam religione impulsi fuerint ii, qui suæ ecclesiæ doctrinam Arminianis crimini dabant.* Aliud exemplum suppeditat biographus pag. 311. *Septem nimirum Ministri Remonstrantium in arce Lupistein captivi erant detenti. Deliberatum itaque, qua arte ex arce ea evadere possent. Ad id opera cujusdam militis usi sunt, qui primo admodum alienus ab iis fuerat, sed postea singulari quadam ratione immutatus, se iis plane obstrinxit. Pepererat ejus uxor; Infans*

graviter

graviter ægrotabat: Nullus erat in arce Minister Contra-Remonstrans: Itaque vocatus est Niellius, unus ex captivis Ministris, ut baptizaret infantem. Hac occasione de religione sermo incidit. Miles Niellio objecit Contra-Remonstrantium doctrinam; Niellius dicere, eam Contra-Monstrantium sententiam esse, & quia ei cum fratribus assentiri non posset, se ideo in ea arce captivos teneri. Cum mirum id militi videretur, hortatus eum est Niellius ut in eam rem accuratius inquireret. Miles, comperta veritate, se semper fuisse in sententia eorum comperit, quos antea contumeliose tractaverat, iisque omne studium auxiliumque est pollicitus: & revera ab illo tempore omne officium comitatemque iis præstitit. Similia tradit C. *Brantius*, in vita *Arminii*, narrans, exortis in Belgio ante synodum Dordracenam de prædestinatione & connexis capitibus litibus, concionatores multos plebem adversus eos, qui suæ sententiæ addicti non fuerant, concitasse, adeo quidem ut Amstelodamenses Consules coacti fuerint auctoritatem suam contra clamosos illos homines interponere. Vid. p. 37. 109. p. 128. seq.

Annexæ theses theologicæ miscellaneæ.

I. Etsi in librorum sacrorum conservatione ecclesiæ operâ usus sit Deus, tamen speciali providentia eis ita invigilavit, ut ab ipso primo inspiratos esse miranda ipsorum conservatione monstrarit, dum divina hæc fidei, speique nostræ monumenta, tantis munivit præsidiis, ut per tot seculorum decursus inter tot imperiorum ruinas, tot regnorum mutationes & καταλύσματα, inter tot librariorum transcriptiones, exemplaribus inter tot Nationes dispersis, tanta terræ marisque intercapedine disjunctas, soloque fidei nexu colligatas, contra hæreticorum fraudes & tyrannorum furores, qui ea vel corrumpere vel abolere totis viribus conati sunt, sarta tecta ad nostra tempora conservata, & ad ultimam temporis particulam permansura sint. Ita ex vero pronuntiat B. *Waltonus.*

II. Consequentiæ ex S. Scriptura deductæ non minus sunt Dei verbum, quam sensus immediati. Imo consequentiæ ex claris Scripturæ locis legitime deductæ respectu nostri sunt certius Dei verbum, quam sensus immediati locorum difficilium & ambiguorum.

III. Si privata S. Scripturæ interpretatio nullius in eccleſia auctoritatis eſt, quod Pontificii aſſerunt, impoſſibile eſt eccleſiæ infallibilitatem ex S. Scriptura demonſtrare.

IV. Præter Scripturam nullam aliam fidei regulam agnoſcunt Proteſtantes. Itaque & Scripta Patrum & Conciliorum acta, & alios omnes libros, cum privatos tum publicos, errori obnoxios cenſent, & ad unius Scripturæ normam expendendos exiſtimant.

V. Qui rationis uſum, in rebus ad religionem ſpectantibus, damnant, non Religioni, ſed Atheiſmo & Scepticiſmo patrocinantur.

VI. Non ita prædicanda eſt libertas hominis, ut inde gratia Dei obſcuretur; neque ita deprimenda libertas hominis, ut judicii divini æquitas labefactetur.

VII. Ne ſplendidiſſimum quidem miraculum Transſubſtantiationi fidem poteſt conciliare; nam ut miraculo credatur, fides ſenſibus eſt habenda; ſi vero ſenſibus fides habeatur, actum eſt de Transſubſtantiatione.

VIII. In rebus ad ſalutem neceſſariis unusquiſque ſibi Theologus eſto.

IX. Nihil magis Evangelio J. C. & ſanæ rationi contrarium eſt, quam violentæ perſecutiones ob cauſam religionis.

X. Æternitas pœnarum infernalium ex ratione ſola demonſtrari non poteſt.

XI. Multum in Theologia profecit, qui didicit quædam neſcire.

DISSER-

DISSERTATIONIS DE CRIMINE HÆRETIFICATIONIS, EJUS CAUSIS ET REMEDIIS.

Pars IV.

SECT. I.

ANtequam paulo diligentius in causas vitii hæretificationis inquirimus, mediaque suppeditamus, quibus pestilenti malo aliqua ratione occurri potest, in hac dissertatione reliquæ μεθοδειαι horum hominum, quæ nobis notæ sunt, repræsentandæ, ut iniqua illorum agendi & ratiocinandi methodus eo magis pateſcat. Et primo *quidem solent ejusmodi homines contra adversarios talia in medium proferre, quæ quidem ad rem ipsam, de qua agitur, nihil faciunt; at ita tamen comparata sunt, ut manifestum sit, eos malitia commotos, alios apud vulgus eruditorum exosos reddere velle.* (*) In antecedentibus jam satis superque ostendimus,

Auctor pergit in repræsentandis μεθοδειαις, quibus utuntur hæretifices, dissentientes exosos reddituri.

(*) Ad universam hanc doctrinam de crimine hæretificationis elucidandam non inutile erit legisse Anonymi Galli enodationem quæstionis: „ S'il est „ permis entre les Chrétiens de dire des injures aux hérétiques. „ Vide hist. des ouvrages des Savans par M. BASNAGE T. XVII. p. 182.

dimus, ita dictos *hæretifices*, ira, odio, & vincendi ſtudio commotos & inductos ad aliorum de religione ſententias examinandas accedere, atque ita ſæpe pravis affectibus abripi, ut nihil penſi habeant quid dicant, ſed quicquid in buccam venit, temere effutiant. Oſtendam illud generali teſtimonio viri celeberrimi S. *Werenfelſii* τȣ νυν εν Αγιοις, qui in diſſertatione eruditiſſima de *logomachiis eruditorum*, locum Pauli I. ad Timoth. VI. v. 4. & 5. explicans, ita inter alia de hoc hominum genere loquitur: „ Rixantium muliercularum ri-
„ tu, ea, quæ ad rem prorſus non faciunt, alii aliis exprobrant.
„ Agitur de doctrina, & alter alteri natales objicit obſcuros.
„ Agitur de quæſtione critica, & alter alteri vervecum patriam,
„ craſſumque aëra occinit. Agitur de methodo philoſophandi, &
„ alter alteri oggannit natales *ſpurios*. Agitur de problemate theo-
„ logico, & alter alteri probro dat verberatam mulierem, ejuſque
„ abortum. Agitur de ſcriptis Origenis, & tanta diſputantes ira
„ accenduntur, ut hinc Epiphanius Chryſoſtomo dicat: Ἐλπίζω
„ σε μὴ ἀποθανεῖν ἐπίσκοπον: Spero te non moriturum Epiſcopum;
„ illinc Epiphanio Chryſoſtomus, (*at quanti hi! quam ſancti viri!*)
„ reſpondeat: Ἐλπίζω σε μὴ ἐπιβῆναι τῆς ἀυτȣ πατρίδος. Cum vero
„ altercantium odia his & aliis tantopere ſunt accenſa, non am-
„ plius ira impediente animum, veritas cerni poteſt; denſiſſimæ
„ mentem obruunt *tenebræ*: atque ut in tenebris plena metus atque
„ ſuſpicionum ſunt omnia, ita etiam hic omnia vaniſſimis ſuſpi-
„ cionibus referta videas. In qualibet pagina neſcio quot hæreſes;
„ in qualibet locutione aſpis; in quolibet verbo virus latet. At-
„ que, in hac a pravis affectibus orta caligine, videntur homines
„ meticuloſi nunc hîc nunc illic ſibi in adverſariis ſuis videre
„ è ſepuchris excitata priſcorum hæreticorum ſpectra. „ Ita B. *Werenfelſius*. Juvat paulo ſpecialiora hujus rei afferre ſpecimina. Quidam in *nomine* ipſo, aut mutatione ejus, diſſentientis aliquam carpendi anſam quærunt. Sic Græci quidam Patres *Manetis* nomen, a μαινομαι & μανια derivant, cum tamen ea vox in lingua chaldæo-perſica longe aliud denotet. Eruditiſſimus *Lardnerus*, Angliæ decus, in doctiſſimo opere, cujus titulus verſ. germanicæ: *Glaubvvyrdigkeit der Evangeliſchen Geſchichte*, tomo II. vol. III. pag. 460. ita de hoc argumento loquitur: *Man kann nicht ohne Ekel daran denken, vvas manche alte griechiſche Schriftſteller fyr elende*

Einfælle

Einfælle bey dem Namen dieſes Manns gehabt; vvie dann verſchiedene neuere Gelehrte dieſes ſchon angemerkt haben: vvorunter ich nur zvveene, nemlich den Cave und Tollius unten anfyhren vvill. Es reden gedachte Verfaſſer ſo, als vvenn ſein Name von dem griechiſchen Nennvort μανία, *Raſerey, oder von dem Zeitvvort* μαινομαι *abſtammete, und mit* μανὶς, *raſend oder unſinnig, einerley vvære; da es doch unſtreitig ein perſiſcher oder chaldæiſcher Name iſt. Euſebius, vvelchen vvir vorhin angefyhret, hat ſich auch gefallen laſſen, auf dieſe eingebildete Bedeutung des Worts anzuſpielen. Cyrillus von Jeruſalem ſagt: Er verænderte ſeinen Namen Cubricus in Manes, vvelches ihm ſeiner Einbildung nach bey den Perſern Anſehen bringen vvyrde; allein die gættliche Vorſehung veranſtaltete es ſo, daß er bey den Griechen dadurch den Begriff eines raſenden von ſich ervvekte. Beym Epiphanius kommt eine Stelle gleiches Inhalts vor. Titus von Boſtren, vvelcher dieſen Mann* Μανὶς *nennet anſtat Manes, hat ſich auch ſo vveit erniedriget, daß er dieſes læppiſche Zeug mitgemacht: denn ſo muß ich es nennen, ob man es gleich auch bey einem ſo gelehrten Schriftſteller, als Photius iſt, findet.* Ita *Lardnerus*, cujus ſequentia etiam, quæ addit, legi merentur. Idem ab aliis ſimili ratione factum. Joh. *Damaſcenus* de hæreſibus, hæreſi VIII. Tom. I. op. pag. 82. edit. cl. *Lequien*, aſſerit *Cerinthios* etiam *Merinthios a malignis quibuſdam vocatos*, a voce μηρινθος, *laqueus*. Recentiores multi puerilem hanc adverſarios reddendi odioſos ſecuti ſunt methodum. Sic teſtatur auctor vitæ *Morini*, *antiquitatibus eccleſiæ orientalis præmiſſa*, *Sim. de Muis*, Literarum hebraicarum apud Pariſios Profeſſorem Regium, in reſponſione contra *Morinum*, etiam data opera ad vocem μωρια alluſiſſe. Verba ſic ſonant p. 35. citatæ præfationis: „ Muiſius iterum ad novam adverſus Morinum „ ſcriptionem ſe accingit, quæ reſponſum ipſius caſtigat, & caſti„ gationis ſuæ initium ducit ab explicatione ſententiæ libri Pro„ verbiorum, quæ diverſa plane ratione in hoc libro conci„ pitur, nimirum, ne reſpondeas ſtulto juxta ſtultitiam ejus, „ ne ſibi ſapiens eſſe videatur; & quaſi de illa explicanda agere„ tur, teſtes profert quoſdam Judæorum magiſtros, ſed revera „ tunc alludebat ad Morini nomen, ſicut alias Eraſmus facetiſſi„ mus celeberrimi illius Mori nomen intuebatur, cui librum ſuum „ de Moria dicavit. „ Sic Caſparus *Schvvenkfeldius*, nobilis Sile-

sius, a *Luthero*, *Melanchtone*, & aliis, propter dogmatum suorum, ut causabantur, *fœtorem*, dictus est *Stenkfeldius*. Vide historiam *bibliothecæ Fabricianæ Tom. II.* pag. 55. Fuere quoque, qui de nomine J. *Arminii* ludentes, ipsum *vani orbis amicum* vocitarent; quod ipsum anagramma alii postea illudere volentes, ex eodem nomine una tantum addita litera aliud concinnarunt, quo ipse loquens inducebatur. *Habui curam Sionis:* verba sunt Casp. *Brantii* in vita J. *Arminii* pag. m. 198. *Hieronymum* iisdem scurrilibus oneravisse *Vigilantium* nominibus docet *Clericus*, in dissertatione de *argumento theologico ab invidia petito.* Idem *Hieronymus*, *Ruffinum* virum pie doctum appellavit *Grunnium*, *Alecto.* L. *Lavinium*, *Asinium Pollionem*, *Calphurnium Lanarium*, *Scorpium* &c. Sic ex aliis æque frivolis causis dissentientes odiosos reddere voluerunt multi. Ita *Castallioni* a *Calvino* probro datum, quod *necessitate coactus* non semel *lignari debuerit.* Probant hoc ex Calvini eristicis scriptis *G. Arnoldus* in sua historia ecclesiastica, & *Fabricius in bibliotheca* sua. *Maresius Curcellæo* grandævam ætatem quasi crimen objicit, & *lippientes* oculos. Testatur hoc Curcellæus in sua Paræneti, QUATERNIONI DISSERTATIONUM THEOLOGICARUM præmissa: Verba ejus ita sonant: „ Reliqua quæ in toto scripto pas-„ sim, non in singulis tantum paginis, sed etiam propemodum pa-„ ragraphis, convicia in me evomis, sciens prætereo; utpote quæ „ te potius barbaræ μισανθρωπίας, quam me alicujus culpæ reum „ *peragunt; ut cum dicis*, me scotomate percussum cæcutire a „ longo tempore, & *propter senectutem vocas* stultum & delirio „ proximum. Atqui, Deo sit laus, in hac LXXIII. annorum „ ætate, omnis generis characteres, etiam exilissimos, qui repe-„ riri

(*) Ita malum augurium ex nomine Edelmanni facta, nescio qua verborum, mutatione, quidam elicuerunt; testatur hoc venerandus Pratje in vita Edelmanni pag. 177. verba sic sonant: „ Edelmann (heißt es) „ ist der Alexander, von dem es 1. Tim. I. 20. heißt: Er hat Glauben „ und gut Gewissen von sich gestossen. Man mache nur aus dem Worte „ Alexander ein Anagramma, und schiebe aus dem Namen seines Camera-„ den, Hymeneus, ein M. hinein, so hat man den Namen desjenigen, „ der heut zu Tage vor andern den Glauben und das gute Gewissen von „ sich stœßt, nemlich Edelmanns. Es bleiben zvvar noch die Buchsta-„ ben A. R. und X. ybrig; aber diese deuten seine Atheistische Reden „ vvider das X (Creuz) Christi an. „

„ riri queunt, absque perspicillis facile lego; etsi aliquanto pro-
„ pius oculis admovere oporteat; quod etiam erat tui magni Du-
„ rantii vitium. Et forte perspicacior fui, quam voluisses, in mul-
„ tiplicibus tuis erroribus deprehendendis. Ne gloriare itaque ad-
„ versus me. Qui scis enim an oculorum vigor tibi adhuc diu
„ perseveraturus sit? D. Blondellus erat olim perspicacissimi visus,
„ sed quem aliquot annis ante vitæ finem amisit. Ignoras ne
„ idem tibi contingere posse? Objicis mihi ætatem delirio proxi-
„ mam. Sed nunquamne audivisti aut vidisti, quosdam nondum
„ valde senes delirare imo etiam omnium rerum memoriam amit-
„ tere? Messala Corvinus Orator sui nominis est oblitus. *Plinius*
„ *lib. VII. cap.* 24. Georgius Trapezuntius latinæ & græcæ linguæ
„ doctissimus, in senectute memoriam utriusque amisisse dicitur. „
Morbos varios, quibuscum conflictabatur *Arminius*, *opinionibus*, quas de quibusdam religionis articulis fovebat, *adscribebant adversarii*. *Brantii* verba in *historia vitæ Jacobi Arminii* pag. 197. ita sonant: „ Interea morbus indies invalescebat, obnitentibus frustra
„ cl. & exercitatissimis Medicis. Quin & mali hujus pertinacia
„ infixa, quam ut medica arte & industria evelli posset, nova in-
„ dies excitabat symptomata: febres, tussim, hypochondriorum
„ inflationem, respirandi difficultatem, oppressionem a cibo, diffi-
„ ciles somnos, atrophiam, arthritidem, quæ nullam ægro requiem
„ concedebant: His accessere intestinorum, ilii & colli dolores,
„ cum obstructione nervi optici sinistri & ejusdem oculi hebetatione.
„ Quod ultimum malum ubi innotuisset, fuere, qui ne tunc qui-
„ dem aliquid de consueta in eum atrocitate remittentes, id ipsum
„ inter pœnas Divinæ Majestatis contemptorum referre non dubi-
„ tarent. Ne autem species huic facinori deesset, verba hæc
„ (cap. 12. versu 14.) sacri vatis Zachariæ, de oculorum & to-
„ tius corporis tabe loquentis, in Arminium circumferebantur.
„ Hæc vero erit plaga, qua afficiet Jehova omnes populos, qui
„ turmatim convenerunt contra Jerusalem, tabefaciet carnem
„ cujusque ipso stante super pedes suos, & oculi cujusque tabefient
„ in foraminibus suis, & lingua cujusque tabefiet in ore suo. „
Huic loco alius adjectus ex eodem (cap. 11. versu 17.) libro prophetico: „ Væ pastori meo nihili derelinquenti gregem: gladius
„ imminet brachio ejus, & oculo dextro ejus: brachium ejus pror-

„ sus arescet, & oculus dexter ejus omnino caligabit. „ Mitto multas alias ineptias, quas hæretifices cæco furore correpti, contra dissentientes afferre soliti sunt & adhuc solent.

II.

Affertur alia ratio, qua hæretifices commoti, hæreseos crimen aliis impingunt.

„ Multi sæpe, iique veritatis & pietatis amantissimi viri, gra„ vissimorum errorum rei habentur, quod de quibusdam oratori„ bus sacris & scriptoribus, qui frequentissime rhetoricationibus „ vocibus inintelligibilibus, phrasibus denique mysticis, & è Che„ mia petitis utuntur, abjecte sentiant, falseque aliquando eos per„ stringant. „ Tales in omnibus cœtibus Christianorum dari, nemo tam expers est historiæ ecclesiasticæ, eorumque, quæ cottidie inter publicos Doctores geruntur, ut id nesciat. Imo sunt, qui supremum apicem veræ pietatis & eruditionis theologicæ in frequenti usu harum rerum repositam esse putant. Quo magis autem hujus generis homines amore harum rerum incensi sunt, & *vulgi plausum* consequuntur, eo sanctiores, cœlo propiores, & cætera turba publicorum Doctorum excellentiores sese esse putant, idque verbis, gestibus, vultu cumprimis ostendunt. Notum est, superiore seculo G. *Arnoldum multa veterum & recentiorum Mysticorum scripta in lucem protraxisse, auctores eorum in cœlum sustulisse laudibus, ipsam vero Theologiam mysticam tanquam unicam* & certissimam *viam ad cœlum perveniendi commendasse.* Hinc multi Doctores publici, partibus *Pietistarum* addicti, insigniores *voces* & *phrases* hujus Theologiæ cum *Ethica christiana* commiscuerunt, & in concionibus publicis eas usurparunt. Inde factum est, ut quo quis Orator μυστικώτερος de rebus divinis disseruisset, eo majore *sanctitate* cum præditum esse in vulgus spargeretur. Pessimum erat, quod libelli hi promiscuæ turbæ commendarentur, & hac ratione multi, pietatis studiosi in cæteris, turpi fanaticismo corriperentur. Eandem cum *Arnoldo* viam ingressus est P. *Poiretus*, vir haud indoctus. Is nonsolum celebriorum Doctorum mysticorum vitam & scripta exposuit, multa opuscula hujus furfuris scriptorum collegit, & ex parte in gallicum sermonem transtulit, sed & singulari libro, cujus titulus: *De solida & superficiaria eruditione*, demonstrare aggressus, veri nominis eruditionem theologicam in accura-

accuratiore notitia Theologiæ mysticæ & praxi consistere; cæterorum vero Theologorum in academiis & scholis S. Theologiam tractandi methodum *superficiariam* esse, & multis inutilibus scatere quæstionibus, ad pietatis studium insinuandum nihil facientibus, aptis vero ad superbiam, rixandi studium, pedantismum in auditorum animis excitandum &c. &c. Hinc multi debilioris judicii homines decepti, neglectisque humaniorum literarum, Philosophiæ, artis criticæ &c. disciplinis, in *cultura mysticæ Theologiæ omnem veram sapientiam* repositam esse crediderunt. Vide judicia virorum doctorum de *Arnoldi & Poireti* scriptis mysticis, J. F. Buddei *Isagogen historico-theologicam*, *Stollium in historia literaria theologica*, aliosque plures. Inprimis vero hi homines operam dant, ut phrases illæ & sesquipedalia verba pro sanctitatis certis habeantur indiciis; quæ penes ipsos *unctionis* nomine venit, & nonnisi divinitus præparatis ingeniis, si ipsos audias, obtingere solet. Non possunt autem non viri sapientes & religionis castæ puræque cultores ingenui, fanaticas illas & ampullatas sub nescio cujus sanctitatis prætextu prolatas ineptias improbare. Rationes graves adsunt, quibus compulsi præstare illud tenentur, quas in compendio in medium proferam. Et *primo* quidem meo judicio, salva aliorum sententia, hæc *dicendi & scribendi* ratio religionem in contemtum adducit, ridendique profanis amplissimam suppeditat materiem. Quid enim magis ridiculum est, quam pro religione, re sanctissima, verba nihil significantia & merum verborum strepitum proferre? Num quisquam sanæ mentis homo sine indignatione talia vel legere vel audire potest? Evolvatur eum in finem elegantissimus libellus præstantissimi Theologi Angli D. *Eachards*, in quo inquiritur in causas *contemtæ religionis* & *V. D. Ministrorum*: dignus sane est hic libellus, qui a Studiosis Theologiæ omnibus & S. Ministerii Candidatis, mature & frequenter legatur.

Secundo: Hæc de religione *differendi* & *scribendi* ratio sanas de religione ideas extinguit, & efficit, ut imbecillioris ingenii homines, quorum semper maxima turba est, in *meris vocibus* adquiescant, imo aliquando eo stultitiæ perveniant, ut frequenti vocum nihil significantium repetitione pietatem suam mentiantur. Vide quæ cl. *Stinstra* libello de *fanaticismo* adjecta sunt, & *Sinzendorfii* sermones,

qui ab omnibus sectatoribus ejus tanquam pretiosæ gemmæ servari debent, ut de aliis nil dicam, & res in aperto erit.

Tertio: Hæc dicendi scribendique ratio, nulla *incentiva* ad veritatis cœlestis amorem & pietatis studium in hominum animis excitat. *Incentiva* peti debent ab argumentis; argumenta autem ita proponi debent, ut intelligantur; at voces nihil significantes, strepitus verborum, imaginationis lusus, fanatica nescio cujus extraordinariæ sensationis descriptio, vel denique voces, quæ quidem aliqua ratione intelligi possunt, at quæ si vocum significatum urgeas omnes vires humanas & officia Christiano incumbentia superant, nervo omni, quod argumento inesse debet, destituuntur. Hoc posito, planum est, in oratione talibus vocibus & phrasibus turgente, nulla reperiri posse vera ad pietatem *incentiva*: certe hic locum habet illud Poëtæ: *Nisi* (primum intelligibile) *dein utile est quod docemus, stulta est gloria.*

Quarto denique hæc differendi scribendique consuetudo manifestissime *fanaticismo* fovet. Quanta vero mala hic morbus omni tempore post se traxerit, & quam ecclesiis pariter ac rebuspublicis nocivus fuerit, omnis ætatis annales docent.

Hos vero, qui ita mecum sentiunt & loquuntur, *nostri Sanctuli* æquis animis ferre non possunt, sed impudentissime adoriuntur, eosque *omnis pietatis & religionis hostes esse audacter* calumniantur, cum tamen nihil aliud quærant, quam ut purissimus castissimusque Dei cultus conservetur, & animis hominum altissime infigatur.

Qui ἀτερ παθων ea evolverit scripta, quæ occasione *Pietismi*, *Fanaticismi*, *Heerenhutanismi*, ab hujus furfuris hominibus sunt edita, a veritate non recedere me fatebuntur; ut de quotidiana experientia nil dicam. Lubens interim confiteor, quosdam ex doctissimis protestantium Theologorum numero modum sæpe in taxando hoc hominum genere non servasse, sed aceto italico etiam meliores ex hac turba perfudisse. Quod si in causas tantarum irarum & malæ sanæ consuetudinis inquiramus, haud difficulter eas pervestigabimus. Juvat paucis eas duntaxat adduxisse, quæ singillatim pertinent ad hoc hominum, de quibus jam sermo est, genus rite cognoscendum.

Prima

Prima est *artis cogitandi & Philosophiæ in genere imperitia.* A puericia aut ingenii defectu, aut ineptorum magistrorum consilio, philosophicas disciplinas neglexerunt, existimantes eas veræ pietatis studio obesse, & nonnisi scrupulos in animis hominum excitare contra religionem, nulla arte solvendos. Hinc suspecti sunt illis juvenes Theologiæ studio consecrati, qui alacri animo ad excolendas philosophicas disciplinas animos adjungunt; laudant vero eos discipulos, qui mature evolvunt libros, ut vocant *ascéticos*, in quibus sæpe verbosis strophis Christianismus depingitur, & tristissima imago veræ pietatis exhibetur; aliisque etiam persuadere conantur, hoc spiritu animatos adolescentes, & librorum ejusmodi frequenti lectione se delectantes, suo tempore magna ecclesiarum *columina* evasuros, eosque crescentis indies degeneris Christianismi & vanissimarum opinionum religioni adversantium strenuissimos oppugnatores futuros. In quo boni viri turpiter sane falluntur.

Secunda: Veræ religionis, inprimis autem Ethicæ christianæ, debilem & minime accuratam habent cognitionem, licet existument, se luce quadam humana majore esse illustratos, cæterosque Doctores publicos humi repere, & nonnisi scholasticis pasci nugis. Hinc nonnisi phrasibus insolitis, magna sonantibus, & nescio quam pietatis imaginem præ se ferentibus, utuntur. Unde etiam *phrases ampullatas*, ut supra dixi, *unctionem* appellant, & ex neglectu, vel promiscuo hujus rhetoricæ sacræ usu, de pietate aliorum judicare solent. Hanc methodum dicendi si negligas, terræ filius a cœlestibus illis animabus appellaris.

Tertia causa repetenda a matura & frequenti librorum ad *fanaticismum* ducentium *lectione.* Per fanaticos non tam intelligo eos, qui sectæ huic vel familiæ addicti sunt, quam vero omnes, qui principia pietatis tenebricosis involvunt verbis, & omnia officia hominis christiani ampullatis verbis in majus extollunt, & imaginationis æstu in transversum acti, talem Christianismi faciem depingunt, qualem rempublicam repræsentavit *Plato.* Hæc scripta qui mature legit & evolvit, fieri aliter non potest, quam ut depravatum plane de virtutibus christianis habeat gustum. Novi homines, quibus sermones sacri *Tillotsonii*, *Sackii*, *Saurini*, *Werenfelsii*, similiumque sordent; at miro cum desiderio & voluptate incredibili evolvunt tales libros, qui superiore & nostro seculo ab iis scripti sunt, qui vulgo

Pietistarum

Pietiſtarum nomine vulgabantur. Hi homines evitare poſtea non poſſunt, quo minus in ſcriptis ſuis, orationibus & familiari converſatione cum aliis, dicendi hoc genere utantur. Cum vero, ut fieri ſolet, in omnibus cœtibus Chriſtianorum, homines, de quibus nobis ſermo jam quidem eſt, aliquam nominis famam adepti ſunt & ſectatores nacti, vehementer excandeſcunt, ſi quis aliis longe cauſis affectatum illud ſtudium neſcio quibus formulis pietatis ſpeciem habentibus utendi adſcribat. Contra genium meum eſt, & principia religionis meæ, ſine ſonticis cauſis & rationibus evidentiſſimis, pravis ſtudiis tribuere velle, quæ per ſe ſpectata, religionis amorem præ ſe ferre videntur. Neminem ego, Deus mihi teſtis eſt, propter diſſenſum in religionis negotio odio habeo. Novi, quibus rationibus homines ad ita vel aliter de religionis articulis ſentiendum commoveantur; at & hoc diuturna experientia didici, multos, in cæteris non malos Doctores, φιλαυτια & inclareſcendi quodam ſtudio ad ita ſentiendum & loquendum commotos fuiſſe. Multi ex hoc numero ingenio deſtituti, nobiliores diſciplinas neglexerunt, in patria tamen nomen aliquod obtinere volunt, quod cum per ſolidæ eruditionis culturam fieri non poſſit, ſæpe ad triſtes ineptias & ad ſuperſtitionem pietatis ſpecie tectam confugiunt, & tamen non minus pro ſententiis ſuis nullis rationibus ſuperſtructis pugnant, & neſcio pro qua ſancta quadam *orthodoxia* militant, quam alii, quos odio habent, & inter umbraticos Doctores, veræ pietatis guſtum, ſi eos audias, non habentes referunt: exemplis, ut rem confirmem opus non eſt: qui ſtupidus non eſt, cottidie in cœtibus Chriſtianorum talia deprehendit.

III.

Nova ratio innocentes in ſuſpicionem hæreſeos adducendi in medium profertur.

Facile inſuper, quod *tertio loco* notandum, quis in ſuſpicionem *hæreſeos adducitur a maleferiatis hominibus, ſi quidem is cum factione aliqua Doctorum dominante per omnia non conveniat.* Centies in eccleſiis etiam Proteſtantium factum eſt, ut Doctores quidam, aut ambitione aut ignorantia compulſi, certis quibuſdam *novi Doctoris* hypotheſibus ita addicti fuerint, ut cæteros, a novis illis opinionibus abhorrentes, æquo animo ferre non potuerint. Nemo neſcit, quid in Proteſtantium cœtibus hac in cauſa poſt tempora emenda-

emendatorum Sacrorum factum sit; sed perquam odiosum esset, ad has vel illas lites, in his vel illis locis exortas, descendere. In generalibus igitur manemus. Nimirum ubi exorti sunt, superiore seculo in Belgio & alibi, sectatores cl. viri J. *Cocceji*, duriter illi habiti sunt, & doctrina *Cocceji* tanquam *nova*, *religioni & pietati inimica traducta*. Fautores hypothesium ejus pro *heterodoxis* & tantum non pro *hæreticis* habebantur; in concionibus paci sacræ consecratis, in conventibus publicis & circulis, omnia perstrepebant clamoribus contra *novatores* istos, & quo quis impotentius contra sectatores *magni hujus viri* debacchabatur, eo majorem docti & orthodoxi Theologi famam consecutus sibi esse videbatur. Successu vero temporis, ubi illæ hypotheses *Cocceji* tanquam *sanctæ*, *piæ* & *quam maxime utiles* a Theologis multis propugnatæ sunt, & integra Doctorum in his vel illis locis degentium turba, his opinionibus album adjecit calculum, *orthodoxia* in strenua defensione *Coccejanismi* consistebat: omnis vero contra veritatis amans, eruditus, quin etiam & pacificus vir, qui singulares has opiniones tanquam incertas & nullum usum habituras rejecit, jam pro *heterodoxo* habitus est: eadem vero semper hodie diversis titulis luditur fabula. Qui in Belgio non serio subscribere videtur omnibus articulis *Synodi Dordracenæ*, in Germania *formulæ concordiæ*, in *Helvetiæ quibusdam locis consensus* formulæ, iisdem periculis expositus est, & a turba semper in catalogum *heterodoxorum* & male de religione sentientium refertur.

IV.

Alia afferetur ratio alios heterodoxiæ suspectos reddendi.

Sæpissime etiam evenire solet, imo non semel etiam inter *Protestantes* factum fuisse experientia docuit, quod nimirum is Theologus, qui *duriora contra errantes inita consilia improbavit*, *& dominium in conscientias damnavit*, *in numerum heterodoxorum relatus sit*. Dum homines erunt, etiam errantes erunt. Tanta enim est ingeniorum humanorum diversitas; tot oriuntur in inquirenda veritate scrupuli; ea vis est & efficacia præjudicatarum opinionum in animos hominum, ut de aliis causis nihil dicam, ut de divinis pariter & humanis rebus idem sentire per omnia non possint homines veritatis etiam cupidissimi. Ex quibus sine longa ratiocinatione

sequitur, Theologum *Protestantium* cœtui addictum, non posse non, si sua sequatur principia, damnare omnia consilia dura, quæ contra errantes (errantes inquam non *scelerum convictos*) sive a regibus & principibus rerumpublicarum, sive a sacri ordinis viris suscipiuntur. Nullum argumentum è jure naturæ & ingenio religionis christianæ petitum majore evidentiæ luce collustratum & probatum est, quam hoc, quod de libertate conscientiæ & tolerantia errantium agit. Novi quidem argumenta, quæ ad impugnandam tolerantiam, a *periculoso* petita, in medium proferuntur; at si ea quicquam valent, actum est cum certitudine religionis in universum. Doctores Protestantium religioni addicti, perpendentes mala, quæ ex persecutionibus Pontificiorum contra nostros intentatis emanare solent, altissima voce clamant, injuriam inferri dissentientibus, divina humanaque jura violari, omnem humanitatem pedibus conculcari &c. Ita qui legunt (ut recentiori exemplo rem probem) libellum superiore anno scriptum sub titulo: *Réponse à lettre de Msr. l'Evêque d'Agen à Msr. le Controleur Général, contre la tolerance des Huguenots, en date du premier May*, non possunt non, nisi cor quovis ferro durius habeant, dolere, tot homines numero, reformatæ religioni addictos & sacratissimas conscientiæ leges sequentes, tam diris vexationibus esse obnoxios, atque auxilio omni destitutos esse, ad libertatem suam tuendam, vel extra patriam suam tranquillitatem conscientiarum quærendam. Ita sentiunt plerique Doctores *Reformati* & *Lutherani*, ubi de oppressionibus Protestantium a Pontificiis factis sermo est. At ubi inter ipsosmet quidam exoriuntur, qui a receptis placitis longius recedere videntur, multi reperiuntur, qui non solum durioribus consiliis contra errantes utendum esse probant, sed & eos, qui *patientiam* & *lenitatem* potius quam persecutionem & carnalia arma adhibenda censent, pro *falsis fratribus*, & merito *heterodoxiæ suspectis* habendos clamitant. Ex lenitate enim illa vere christiana male sani illi homines colligunt, hominibus istis exiguam inesse curam veritatis, atque illis perinde esse, quid publice in ecclesiis de religione tradatur, quamvis tales uno ore clament, omnia legitima media ad errantes revocandos adhibenda esse. Ut vero hæretifices illi magis exosos reddant viros moderati animi, tragicis clamoribus extollunt ea incommoda, quæ ex tolerantia hujus vel illius errantis in rempublicam vel ecclesiam

clesiam derivari possint. Hic loquacissimi sunt in detegendis omnibus illis malis, (non veris sed putatitiis) quæ ex lenitate contra dissentientem oriri possent; putares *Hannibalem* esse ante portas, & ecclesiæ præsentissimum imminere periculum, & omnes fere cives erranti statim (ponamus jam eum errare & graviter quidem) vacivas præbituros aures, cum tamen ne millesimus quidem inter ita dictos orthodoxos errorem vel possit vel velit alicui examini subjicere. De universo hoc negotio vide epistolas V. D. quas in *Icone Theologorum Presbyterorum* collegit *Colomesius* in suis opusculis, per τον μακαριτην cl. *Fabricium* collectis, & præfationem lectu dignissimam G. *Vossii*, *historiæ Pelagianismi* præmissam. Neque necesse est, ut multis exemplis hanc meam sententiam probem, & illustrem. Nulla ecclesia: nulla academia: nulla denique urbs est, in quibus non tales reperiantur homines hoc spiritu animati.

V.

Controversiarum de religione, vel speciem saltem religionis habentium, magnam copiam esse, novasque cottidie propullulare de religione opiniones, notum est eruditis omnibus. Jam vero plerique putant, ad omnes novas opiniones cujuscunque ponderis sint & momenti examinandas & refellendas obligatos esse κατ' ἐξοχην Theologiæ Professores. Verum est, hujus ordinis viris impositam esse necessitatem gravia & momentosa religionis capita defendendi & vindicandi; errores vero pestilentes & pietati nocivos strenue impugnandi; at simul etiam probe perspiciunt cordati Theologi minus prudenter sese acturos, si contra quasvis novas opiniones, de quibus salva religione & pietate utramque in partem disputari potest, calamos essent stricturi; pulchre sentiunt, tempus longe melius collocari posse; vitam nostram breviorem esse quam ut gravissimis negotiis & officiis pietatis neglectis, quævis musteæ & leves opiniones excutiantur; eos, qui novas ejusmodi hypotheses excogitant, ut plurimum laudis & gloriæ studio duci: hujus vero generis homines ἀτερ παθων dissentientium scripta non evolvere, nec veritati cedere; tempore opus esse & patientia; mox in tenues auras abituras futiles concertationes & ventosæ linguæ prælia; ita ratiocinatur Theologus cordatus & prudens. Ut tamen sciendi cupiditati

Adducitur alia ratio, quæ ad alios invisos reddendos a malignis Doctoribus adhibetur.

piditati di cipulorum ſuorum aliqua ex parte cordatus Theologus ſatisfaciat, novæ opinionis veram indolem repræſentat, fundamenta, quibus nititur nova hypotheſis, oſtendit, ſolideque monſtrat, quam ſint ea ruinoſa aut incerta, denique quanti momenti in religionis negotio ſint. Ipſemet vero auditores ſuos commonefacit, ut potius de capitalibus religionis chriſtianæ & naturalis articulis rite intelligendis ſint ſoliciti, quam vero ut in minutis ejuſmodi & muſteis hypotheſibus excutiendis tempus terant. Monet, vix per vitam futuris V. D. M. in urbe vel agro degentibus occaſionem ſuppeditatum iri, de opinionibus illis loquendi, aut auditores ſuos contra ineptias illas, vel leves ſaltem opiniones, præmuniendi. Teſtor omnium, qui ſapiunt, conſcientiam, an non Doctor publicus ita ſentiens prudenter agat, & accuratam officiorum ſuorum adverſus auditores ſuos præſtandorum rationem habeat. At non ita videtur *Theologaſtris noſtris & hæretificibus. Clamant Theologos, qui ita ſentiunt, tepidos eſſe in bona cauſa defendenda; oportere Theologum eſſe*, uti loqui ſolent, *ſtrenuum bellatorem in exercitu Jehovæ; zelum pro gloria divina hoc poſtulare; curam tuendæ veritatis ad minima quæque ſeſe extendere: hoc ſi negligatur, Pietiſtas & Fanaticos in ſuis opinionibus confirmari, pietatem nimirum veram non in certorum religionis articulorum confeſſione & defenſione, quam vero in vita ad virtutis ſtudium exacta conſiſtere; hac ratione Indifferentiſmum promoveri, & quæ aliæ ſunt horum hominum paratragœdiationes.* Quam triſtes autem fructus talis agendi ratio tulerit, omnium ſeculorum experientia docuit. Confer partem ſecundam diſſertationum mearum de crimine hæretificationis, & vide *Clerici epiſtolarum criticarum* decimam.

VI.

In medium adducitur alia ratio homines innocentes inviſos reddendi.

Crimini etiam datur viris doctis & veritatis amantiſſimis, eoque nomine inviſi redduntur, ubi *errantium in religionis negotio veras virtutes, occaſione id poſtulante, agnoſcunt atque deprædicant.* In hoſte etiam laudandam virtutem, veriſſima & dudum ab omnibus ſapientiæ ſtudioſis recepta eſt ſententia. Nullum eſt tam egregium ingenium, quod ab omni mixtura vel erroris vel vitii immune ſit; & in illis etiam qui graviter nobis errare videntur, de-

prehenduntur sæpe invidendæ virtutes. Omnes, quotquot unquam vixerunt homines & adhuc vivunt, qualicunque tandem religioni addicti, morbis quibusdam mentis aut gravioribus aut levioribus laborant; optimus ille est, qui minimis urgetur. Hinc quotquot veræ laudis, existimationis & virtutis genuinam animis infixam habent ideam, non possunt non laudibus extollere præclara dicta Gentilium, & actiones ad virtutis & legis naturalis normam exactas. Quod enim bonum est, & æternis æquitatis regulis consentaneum, id probandum est, sive id præstiterit Tros Rutulusve, Christianus vel Gentilis. Et quænam tandem causa est, cur viri eruditissimi & sapientissimi scripta veterum *Græcorum* atque *Romanorum* tantopere commendent, atque exinde excerptas tot graves, momentosas & utiles sententias, vitæque exempla collaudent, quam quod persuasi sunt, in his vel illis solida ad virtutis studium reperiri incitamenta, quæ ad imitandum adolescentibus ingenuis sint proponenda? Quid igitur impedit, quo minus idem jus tribuamus hominibus, qui nostra opinione in religionis negotio graviter errant, & *hæretici* appellantur, quominus eas virtutes, quibus eminent, laudemus publice? Error certe, si Atheismum excipias, adeo gravis & periculosus nullus est, qui impediat, quo minus virtutes quædam animum errantis occupare possint. Offendas sæpe inter ineptissimarum sectarum asseclas homines, variis virtutibus ornatos, ut non possis non eos magni æstimare. Alieniissimo animo, ut notum est, a religione Protestantium sunt Doctores Pontificii, ii præsertim, qui religionis in genere naturam perspectam non habent, quique putant, odium contra dissentientes Deo quammaxime probari. Interim reperias etiam in hoc cœtu non solum doctos & sapientes viros, sed & candidos, sinceros, in judicando de meritis eorum qui secessionem fecerunt ab ecclesia romana æquissimos. Cur autem non liceret homines his virtutibus ornatos data opportuna occasione dignis extollere laudibus? Factum hoc a doctissimis viris, antiquis pariter ac recentioribus. Inter recentiores præstitit id doctissimus *Lami*, in libro de *eruditione Apostolorum*, Florentiæ 1738. edito. Legatur caput primum, ubi data opera disquirit, utrum, & quousque *graviter errantes* laudari possint. Inter veteres ecclesiæ Patres (ut de aliis nihil dicam) notum est, graviter erraſſe *Apollinarium juniorem*, *Laodiceæ Episcopum*. Statuit is, Chri-

ſtum licet, cum homo fieret, evaſerit ἐνσαρκος, h. e. incarnatus fuerit carnemque veram & corpus vere tale acceperit, ἔμψυχον tamen non factum eſſe, id eſt animam non accepiſſe rationalem, divina ejus natura animæ officio perfungente. De eo tamen omnes, ſuæ & ſequentis ætatis Doctores, magnifice judicarunt. *Ei omnes* (verba ſunt celeberrimi *Kingii*, in *hiſtoria ſymboli apoſtolici* translationis G. Olearii) *inter ſuæ ætatis Doctores primas detulere, ſive eruditionem ſpectes, ſive pietatem. Adcurate fidem contra omnes hoſtes, ſive Gentiles ſive Ethnicos, atque ſolide defendere norat. Et certe tanquam virum ſingularis præſtantiæ eum repræſentat Vincentius Lerinenſis. Quid illo* (inquit) *præſtantius acumine, doctrina? Quam multas ille hæreſes multis voluminibus oppreſſerit, quot inimicos fidei confutaverit errores, indicio eſt opus illud triginta non minus librorum nobiliſſimum ac maximum, quo inſanas Porphyrii calumnias magna probationum mole confudit. Longum eſt univerſa ipſius opera commemorare, quibus profecto ſummis ædificatoribus eccleſiæ par eſſe potuiſſet, niſi profana illa hæreticæ curioſitatis libidine novum neſcio quid inveniſſet. Uberius & luculentius* eum delineavit *Arianus Hiſtoricus Philoſtorgius, eum, Baſiliumque & Nanzianzenum Gregorium, melius dicens divinitatem Chriſti defendiſſe, quam quiſquam eorum quibus vel antea vel poſt propoſitum id fuit, comparatumque cum iis Athanaſium puerum eſſe viſum. Nec tantum inſignem eorum in dicendo ſcribendoque facultatem extitiſſe. Sed eam fuiſſe in vita & moribus eorum vim, ut quiſquis vidiſſet eos loquenteſque audiviſſet, trahi ab illis perſuaderique ſe ſenſerit, Præſtitiſſe autem reliquis duobus Apollinarium, de quo nunc mihi ſermo erat inſtitutus.* Hactenus *eruditiſſimus Kingius*, ὁ νυν εν Αγιοις. De eodem argumento cordate & maſcule loquitur Carolus *Niellius*, in epiſtola ad S. *Epiſcopium* data, quæ extat in *epiſtolis præſtant. virorum* a *Limborchio* curatis. Quædam ex hac epiſtola excerpam pag. 754. Hæc inter alia extant verba: „ Nullus fortaſſis ab Apoſtolorum „ temporibus in hunc uſque diem eccleſiæ Doctor fuit, qui inge„ nii, eruditionis & operum magnitudine cum Origene Adamantio „ videatur comparari poſſe. Nemo unquam in majore pretio fuit; „ nec tamen ullus judicio ſequentium ſeculorum erravit in pluribus „ & gravioribus religionis chriſtianæ capitibus. Magnus Hieronymus, qui hominis ingenium ſumme admiratus eſt, teſtatur illum Arianorum fontem fuiſſe, *ac ſcribere auſum*, Filium reſpectu

„ Patris

„ Patris esse perparvum, de resurrectione quoque graviter errasse,
„ ac ipsius discipulos vocasse Catholicos simplices & Pilisiotas, eo
„ quod crederent nostra hæc corpora cum his suis membris,
„ adeoque pilis & capillis resurrectura, quæ Origenes ex Platone
„ docuerat, transformanda esse in lucidos & aereos globos. A qua
„ sententia an valde procul abeant Socini assecłæ, tu considerare
„ potes. Mitto nunc alios ejus errores, qui prolixe apud Hiero-
„ nymum, Epiphanium aliosque, veteres leguntur, & præcipue,
„ quæ deliraſſe dicitur, de liberatione Diabolorum & damnatorum
„ hominum, in quibus aliquando suspicor fieri potuisse, ut ejus
„ sententia minus recte intellecta, vel ab æmulis alio detorta, ca-
„ lumniæ graviori ipsum reddiderit obnoxium. Incredibile enim mihi
„ videtur, virum tanta eruditione & incomparabili sanctimonia,
„ atque ab ipsa infantia S. Litteris ita innutritum, ut eas in suc-
„ cum & sanguinem suum convertisse videretur, potuisse tam in-
„ sanum errorem errasse. Quicquid sit, video ecclesiam illam pri-
„ mitivam, in qua pietas vigebat, nequaquam hujus nostri miserrimi
„ & corruptissimi seculi similem, hominem illum in summo honore
„ & amore habuisse, usque dum Demetrii Episcopi sui, & alio-
„ rum invidia, ex parte aliqua obscuratus est ipsius splendor, id-
„ que non ob errores, sed ob factum ipsius, minime quidem il-
„ lud probandum, sed quod tamen animi amore Dei ferventis cla-
„ rum indicium præferebat, nimis crude secundum litteram intel-
„ ligens, quæ Dominus Jesus Matth. XIX. de Eunuchis, ob re-
„ gnum cœlorum factis, docet: quod miretur aliquis in eo, qui
„ tam multa in Scripturis judicaret allegorice esse intelligenda.
„ Illud tamen illustri hoc exemplo doceri possumus, non fuisse
„ primitivam illam ecclesiam, quæ nondum opibus & Episcopo-
„ rum ambitione corrupta erat, tam facilem in damnandis iis,
„ qui errarent, nec anathematismos habuisse tam paratos, & prom-
„ tam spongiam ad delendos è numero fidelium, qui aliquid
„ aliud sentirent, quam plerique alii Christiani. Sed cito tamen
„ crevit Episcoporum ambitio, & cupiditas dominandi alienæ fidei:
„ ut patet ex exemplo Victoris, qui omnes Asiæ ecclesias excom-
„ municare volebat, ob diversam de Paschatis celebratione senten-
„ tiam; & scimus quam graviter conqueratur Cyprianus de Ste-
„ phano Romano Episcopo, qui jam tum in Africæ ecclesias ali-

„ quod

„ quod sibi imperium affectabat; quem eo nomine Synodus Afri-
„ cana, & ipse Cyprianus, acriter & aspere reprehendit, ut ex epi-
„ stolis Cypriani, quæ hodie adhuc extant, unicuique patere potest;
„ ubi Episcopum Romanum non alio nomine, quam fratris &
„ collegæ dignatur, qui hodie intolerabilis esset solæcismus, si quis
„ alius Episcopus summum Pontificem ita appellaret. Et mira-
„ tus sæpe sum, monachos, qui ante typographicam artem re-
„ pertam, soli ferme libris describendis operam dabant, jam pri-
„ dem epistolas illas non deleviſſe, ne inde papalis ista, fastuosa &
„ intolerabilis illa authoritas novitatis convinceretur. Sed ut ad
„ Origenem redeam, scimus quanta contentione magni viri se iis
„ oppoſuerint, qui ipsum post mortem voluerunt condemnare, qui
„ etiam ægre tandem, quod volebant, efficere potuerunt. Et ta-
„ men ex insigni hæretico, Hieronymus, Ambrosius aliique vete-
„ res, integros libros suorum commentariorum expilarunt, & sæpe
„ ad verbum transscripserunt; ut æquiores esse debuerint censores
„ cl. Episcopio, qui paucas periodos ex anonymo scriptore de
„ concordia ecclesiæ in apologiam Remonstrantium transtulerint.
„ Hæc profecto tyrannis ne inter Pontificios quidem tolerabilis ha-
„ beretur, inter quos tum reliqui tractatores, tum ipse Maldona-
„ tus, ille tam acerbus omnium eorum insectator, quos pro hæ-
„ reticis habet ecclesia romana, tamen plurimas sententias, ex au-
„ thore operis imperfecti in Matthæum, in suos commentarios
„ transtulit, atque ad verbum describit, laudato etiam alicubi
„ authoris ingenio, & acumine interpretandi: quem etiam Epis-
„ copus Eboracensis adversus Regem M. Britanniæ ab ingenio lau-
„ dat, & excellere videtur in iis, quæ ad mores spectant; sed
„ Regem tamen reprehendit, non quod auctorem illum pro se ci-
„ tarit, sed quod ex eo sententiam protulerit, quam ex professo
„ pro Arianis adversus Catholicos urget ille author, qui editus
„ quidem est Basileæ sub nomine Chrysostomi, sed falsa est in-
„ scriptio, cum in istis commentariis sæpius apertissime pro Aria-
„ norum sententia contra Catholicos pugnet, imo S. Trinitatem
„ aperte vocet impietatem triangularem, & Homoousianos data
„ vel captata occasione acerbe nonnunquam perstringat. Et tamen
„ ex eodem scriptore Plessæus, imo ipse Calvinus, adversus Papi-
„ stas sæpe nonnulla depromunt. Quin etiam hodie sunt

„ inter

„ inter Pontificios, qui plurima ex Origenis in sua scripta transfe-
„ runt, imo qui post ipsius ab ecclesia ante tot secula promulga-
„ tam damnationem non verentur, pro ipso integras apologias ex
„ professo scribere. Nemo etiam ignorat, quantis laudibus ma-
„ gnus Erasmus, patrum nostrorum seculo, Origenem supra omnes
„ veteres scriptores extulerit: ut iterum æquiores esse deberent cl.
„ Episcopio, qui alicubi Socinum laudaverit, & aliqua bona ex
„ ipso didicisse fassus sit. Hæc misera servitus ne in papatu qui-
„ dem a probis & doctis viris probari posset: & ubi tandem mane-
„ bit præceptum apostolicum: Omnia probate, & quod bonum
„ est, tenete. Sed crimen jam apud istos novos fidei dominatores
„ est, unionem vel gemmam ex sterquilinio tollere. Quid facient
„ ergo *Bullingero suo*, qui in cap. I. epistolæ ad Romanos scribere
„ ausus est, unum Senecam plus sincerioris Theologiæ posteritati
„ reliquisse quam omnes fere omnium Scholasticorum libros. Item,
„ Seneca plus sinceræ Theologiæ habet, quam omnes Scholastici,
„ qui tamen inferni pœnas post hanc vitam aperte deridet, ne alia
„ nunc dicam; & nobis crimen erit Socini ingenium laudare, &
„ quæ vere & pie scripsit, in nostrum usum transferre? Quid fa-
„ cerent censores Salviano Massilienssi, qui serio deplorat, plus
„ non dicam ingenii, sed plus etiam probitatis & castitatis in Aria-
„ nis, qui Africam misere vastarunt, quam in sui seculi Catholi-
„ cis & orthodoxis fuisse. Et hunc ipsum tamen *Salvianum*, qui
„ ausus est etiam scribere solum Deum judicem novisse, qualiter
„ hæretici (Ariani, de his enim ibi agit) pro falsæ opinionis
„ errore in die judicii puniendi sint. At qui anathema in alium
„ pronuntiat, ille sibi hoc solius Dei judicium satis audacter vide-
„ tur arrogare, nisi Scripturam habeat aperte sibi præeuntem.
„ Hunc ipsum tamen *Salvianum* ipse Cardinalis Baronius magnis
„ laudibus extulit, & sui temporis Hieremiam vocat: Illustris Jo-
„ sephus Scaliger scriptorem christianissimum appellat: quo titulo
„ quid honorificentius? Hactenus ille. „ Accedit, quod illi, qui hæretici appellantur, inviti errent, putantes, se contra sacra-tissimas conscientiæ leges peccaturos si aliter sentirent: Ipsimet exi-stimant, alios in errore versari, se vero rectissime sentire: Licet vero in eo forte decipiantur, quid impedit tamen, quo minus vir-tutis studio compulsi talia præstare possint, quæ omnium, qui sa-

piunt, judicio, summa laude digna sunt? Nisi ita judicaremus, nemo mortalium virtutis studiosus esset censendus, dum quilibet veram pietatem & sapientiam inter eos tantum locum occupasse existimat, qui eafdem, quas ipse tuetur, de religione sententias approbat. Quilibet autem, dum in his terris degimus, ad finem seculorum usque sese orthodoxum esse profitebitur. Imo ulterius progredimur & asserimus, virtutem etiam externam in oculos incurrentem nonsolum secundum leges rationis, sed & revelationis, laudandam esse. De internis actionum principiis & fine Deus solus pro judice infallibili habendus. Si quis v. g. erga pauperes & afflictos beneficus est, omnium sanæ mentis hominum judicio laudibus est extollendus, quæcunque tandem ratio eum ad ita agendum induxerit. Gentilis, Judæus, Deista, Pontificius &c. præstans ea, quæ omnibus in universum hominibus singularem possunt adferre utilitatem, eorumque promovere felicitatem, laude dignissimus censendus est, licet in religionis negotio erret graviter: ut ita sentiamus amor proximi deposcit, & religionis christianæ indoles. His tamen non obstantibus *hæretifices* nostri ægerrime ferunt, *si quis dissentientes in religionis negotio, sed veris virtutibus ornatos laudet; aut enim fieri non posse putant, ut homo errans virtute quadam eminere possit; aut laudes illas in heterodoxum in medium prolatas certum indicium esse, eum, qui ita sentit & judicat, errores eorum aut non satis improbare, vel clanculum iis addictum esse; volunt, ut quicquid dicat vel faciat adversarius, (nam ita horum hominum judicio appellandus est quilibet dissentiens) id malo fine fine ullo religionis & pietatis studio præstitum esse pronuntietur.* Præter ea, quæ supra diximus, confer J. *Clerici* epistolam XV. contentam in libro, cui titulus: *Défense des sentimens de quelques Théologiens de Hollande sur l'histoire critique du Vieux Testament, contre la réponse du Prieur de Bolleville:* & P. F. *Courayer défense de la nouvelle traduction de l'histoire du Concile de Trente, in præfatione & cap. I.*

VII.

Hæretificæ ex difficultatibus, quæ ex

Omnibus sapientibus Theologis notum & perspectum est, vix aliquam reperiri thesin theologicam, quæ suis difficultatibus non sit obnoxia. Hoc tamen non obstante thesin ipsam certis principiis su-

per-

perstructam deserendam non esse putant, partim quod natura argumenti, de quo agitur, non patiatur, ut singulis scrupulis ex asse satisfieri possit; partim quod hoc neglecto, constanter ad merum *Pyrrhonismum* confugiendum esset. Hæretifices vero plane aliam ingrediuntur viam. *Nimirum expendunt qualitercunque difficultates, quæ ex systemate aliquo oriri possent, eas pro viribus, quæ sæpe imbecillæ sunt, in majus extollunt, & exinde postea colligunt, thesin ipsam auctoris falsam & rejiciendam esse.* Quam parum prudenter autem in hoc negotio agant, vir mediocriter eruditus facile perspicit. Uno alterove exemplo rem, de qua agimus, illustrabimus. A Christianis omnibus, imo a *Deistis quibusdam*, qui principalia religionis naturalis capita admittunt, conceditur, dari aliquam *providentiam* ad maxima, minima & medioxuma, quæ in hoc Universo occurrunt, sese extendentem; atque Deum optimis, æquissimis, & sapientissimis legibus omnia, moralia pariter & physica administrare, idque probant, cum ex certis rationis legibus, tum ex ipsa revelatione cœlitus nobis data. Nemo vero negat, tot dubiis, ubi ad singularia hominum fata deventum est, hanc ipsam doctrinam expositam esse, ut veteres pariter & recentiores Theologi & Philosophi in nodis illis solvendis omnibus frustra desudarint. Illi ipsi, qui systema novum ad retundendas P. *Baylii* & sequacium objectiones excogitarunt, fatentur, non in hac, sed in altera vita, ubi majore luce circumfusæ erunt mentes mortalium, plenam & solidam solutionem omnium objectionum, quæ contra administrationem Numinis in medium adferri possunt, exspectandam esse. Vide verba *Leibnizii* ad finem Theodiceæ, quæ ita sonant: *Pars rerum præstantissima, civitas Dei, spectaculum est, cujus ad pulchritudinem noscendam aliquando demum illustrati divinæ gloriæ lumine propius admittemur. Nunc enim solis fidei oculis, id est divinæ perfectionis certissima fiducia attingi potest: ubi quanto magis non tantum potentiam & sapientiam, sed & bonitatem Supremæ Mentis exerceri intelligimus, eo magis incalescimus amore Dei, & ad imitationem quandam divinæ bonitatis justitiæque inflammamur.* Huc etiam quadrat τὸ μακαριτὸ celeb. *Turrettini* thesis, quæ ita sonat: *Quemadmodum in dramatibus, quæcunque intricata ac perplexa sunt, in ultimo actu explicantur; pariter quicquid in orbis administratione negotium nobis facessit, ultimæ diei lux expediet.* Unde patet, quam inepti sint clamores quorundam

sententiæ alterius emanare videntur, ansam arripiunt ad eum denigrandum.

dam Theologastrorum, afferentium, thesin quandam rejiciendam propterea, quod difficultates quædam ex ea repeti possint, quæ haud facile aut plane solvi non possint. Sed adducendum aliud exemplum, quod forte ad sententiam nostram comprobandam magis aptum est. Notum est, inter celeberrimos superioris seculi Theologos reformatos referendum fuisse L. *Cappellum*. Is inter alia ostendere aggressus est, puncta vocalia Hebræorum recentiora esse, quam vulgo tradebatur, textum quinetiam hodiernum masorethicum quibusdam mendis obnoxium, atque ex natura rei, antecedentibus & consequentibus, LXX. virali, aliarumque versionum collatione, &c. emendandum, ita tamen ut textus masorethicus *integer*, prouti jacet, sit servandus, lectionem vero novam, textui non inserendam, sed in notis ponendam. De his rebus omnibus copiose egit in eruditissimo opere, *Critica* sua nimirum *sacra*. Fata hujus libri, diversissimaque virorum eruditorum de eo judicia, hic loci referre animus non est. Hoc unum dicam, plerosque Theologos, licet thesin celeb. viri convellere non possent, ex consectariis variis, quæ inde deduci possent, auctoris sententiam impugnasse, atque invidiosissime repræsentasse, licet omnia vetustatis monumenta iisdem fatis obnoxia fuerint ac textus hebraicus. Fatendum quidem est, celeberrimum virum in suis commentariis criticis in Vetus Testamentum thesi sua aliquando abusum, & hic illic loca codicis hebraici sine ulla necessitate corrigere voluisse. At hoc concesso, systematis ipsius certitudo plane non convellitur. Hoc enim omnibus scientiis & hypothesibus commune est, si mathematica exceperis, ut difficultatibus quibusdam premantur. Quam vero sit ineptum, propter incommoda quædam, quibus *Cappelli* systema innititur, tot invidiosas consequentias nectere, non meis sed eruditissimi Critici verbis exponam. Atque is est J. *Clericus*, qui in epistola, *sub nomine Critobuli Hierapolitani data ad R. Simonem*, *quem Origenem Adamantium* vocat, de his consequentiarum insulsarum fabricatoribus masculè & candide suam aperit sententiam, quæ quamvis prolixior sit, hic adduxisse juvabit. Postquam nimirum initio epistolæ monuisset, importuna quorundam superstitione factum, ut editio historiæ criticæ N. Testamenti a R. *Simon* conscripta, serius, quam par erat, in lucem prodiret, in hæc erumpit verba: *Hujus rei* (inquit) *cum in mentem venit, vix possum abstinere,*

quin

quin timidos istos nimirum homines comparem cum pueris, qui cum phantasmata noctu timeant, temerarios eos esse existimant, qui soli in tenebris ambulare sustinent? vel cum phreneticis, qui iis irascuntur, qui negant se videre simulacra, quæ in ægrorum duntaxat cerebro & oriuntur & existunt. Nec certe digni sunt, qui alio loco habeantur, quam puerorum aut ægrorum, qui terrentur sententiis, quas nunquam expenderunt, nec forte possunt præ ingenii imbecillitate expendere, quia sibi videntur consequentias quasdam malas ex iis posse elicere. Solent id genus homines prætermittere argumenta, quibus nituntur sententiæ, quæ ipsis non arrident, sed duntaxat disquirere, an quid forte inde consequatur, quod illico non videatur satis convenire cum receptis opinionibus; quod statim ac sibi deprehendisse visi sunt, vociferantur, actum esse de religione, si talia admittantur, & sanctissima fidei fundamenta, si novis illis, quas vocant, sententiis locus detur, brevi erutum iri, Christianosque in pristinam barbariem relapsuros, sine Deo ac spe, instar brutorum mox futuros. Idem mihi facere videntur, ac qui conspectæ turri altissimæ non auderet succedere, ne forte ruina ejus opprimeretur, licet firmissimis niteretur fundamentis, quia fieri posset, ut altissimum ædificium vehementi procella excuteretur. Sed qui res, ut par est, æstimant, primum vident, an quod affirmatur, claro nitatur fundamento, quod si ita se habere deprehendant, facile negligunt consequentias, quæ inde possunt deduci, quia quamvis ex iis nunquam se possent extricare, clara ac evidentia, e quibus res deducitur, argumenta non amittunt suam evidentiam, propter obscuras quasdam objectiones. Ita perspicue probamus, tum Scriptura tum ratione, præscientiam ac æternitatem Dei, nec minus eas credimus, etsi argumentis, quæ in contrariam afferuntur sententiam, vix ac ne vix quidem respondere possimus, & consequentiæ quædam inde ducuntur, quæ plane contrariæ rectæ rationi videntur: nimirum ostendere difficultatem non est refutare: & ii demum recte opinionem aliquam refutant, qui ostendunt ex falsis eam elici principiis; eaque, si in quæstionibus metaphysicis locum habet cautio, multo magis in quæstionibus, quæ facti dicuntur, adhiberi debet: nam si semel probavero factum evidentibus argumentis, nullis a sententia potero dimoveri consequentiis, licet periculosæ aliis videantur & iis me expedire nequeam. Sunt certe eventus quidam historici, qui cum certissimi sint, iis tamen urgentur difficultatibus, ut vix eas solvere possimus. An ideo non credam Christum unquam fuisse, quia ex difficultatibus chronologi-

cis, quæ circa ejus natales moventur, emergere non possum? An credam historiam Judæorum puras putas continere fabulas, quia in ea passim occurrunt nodi, præ quibus Gordius merus ludus erat? Quæram potius anxie rationem aliquam, qua difficultatibus illis eam obviam, aut ostendam ex sententia mea male deduci ejusmodi consequentias; & quamvis invenire non possim, quæ clare percepi non rejiciam, propter id quod non percipio. Deberent itaque ii, qui hodiernum textum hebraicum tam acriter tuentur, potius quærere rationes, quas etiam facile invenirent, quibus evincerent, textu illo variis mendis corrupto, non nutare tamen religionem; quam negare, ulla in eum irrepsisse menda, quod manifesto falsum est; ne cogantur fateri infirmis niti religionem principiis, quod tamen nequaquam inde potest deduci. At non expensis rationibus, quæ ab aliis referuntur, illico clamant rem esse periculosam, & in tantum desudant, ut reperiant argumenta, quibus imperitis persuadeant, non posse sine periculo talem admitti sententiam. Audivi etiam aliquando quosdam, quod mireris, dictum Al. Mori, Critici & ecclesiastæ celeberrimi, qui, ut ajunt, dicebat, Lud. *Cappelli sententiam de novitate punctorum* veriorem *quidem esse opinione Buxtorfii, sed hanc* tutiorem: *quasi posset esse aliquid tuti in mendacio, & imprudentissime se non gererent, qui faterentur eversa aliqua opinione, quam parum certam esse agnoscunt, religionem ipsam eversum iri. Certe imprudentia sua palam religionem produnt, cum acerrimi ejus defensores videri volunt. Si illorum exemplum sequi vellemus, hic sese bella daret occasio, qua liceret omnia clamoribus miscere, & orbem christianum in eos concitare, quasi in hypocritas & occultos Atheos, qui omni ope efficere conantur, ut credatur religio falsis niti opinionibus, eo animo ut postea videant Christianismum sponte sua ruentem. Sed oportet virum probum & veritatis amantem tragicos hierophantarum clamores mittere, & claram opponere veritatis lucem obscuris superstitionis tenebris, quæ tamen aliquando, iis invitis, qui in luce ambulare non sustinent, discutientur.* Hactenus *celeberrimus* ille vir.

VIII.

Viri sapientes in heterodoxias suspicientes

Sed pergamus in instituto nostro, cæteras hæreticum μεροδοξιας in apricum producturi. Petitum autem hoc argumentum ab eo est, *quod de quorundam errantium salute vel exitio decretorium*

decretorium ferre nolint judicium viri sapientes, & rerum divinarum probe gnari, sed omnia in solidum Dei, qui omnes cordis sinus exacte perspectos habet, permittant sapientiæ & æquitati. Vir sapiens, doctus, & religionis amans, omnia ad pietatem incentiva auditoribus & lectoribus suis proponit, errores graves & pietati inimicos sincere & candide repræsentat, omnemque curam & sollicitudinem adhibet, ne in tales incidant; suspenso interim incedit gradu, utrum hujus vel illius hominis error, pensitatis omnibus circumstantiis, ita exitialis sit, ut sine mora pronuntiari possit, eum ita sentientem nihil miserantis orci victimam futurum. Nullam enim vir doctus & sapiens, nullam inquam necessitatem sibi impositam esse videt, decretorium aliquod ferendi judicium de hoc negotio; cum quia solius Dei, judicis omniscii, sapientissimi & æquissimi est, de rebus hisce decernere; tum quia nemo est, qui hominum nostra opinione errantium ingenii capacitatem & vires, controversias tractandi sinceritatem, occasionem religionem expendendi &c. perspectam habet. Solent Theologi multis differere de articulis fundamentalibus, præcipuos repræsentare, & quousque ignorantia eorum vel negatio a certa spe salutis consequendæ homines excludat nec ne, disputare. Omnibus autem probe trutinatis & expensis asserunt, determinatum numerum articulorum fundamentalium designari non posse; cum quia non tantum ille in Sacris Litteris definitus aperte non sit, sed & quoniam non constet, quousque Deus, qui omnes ingenii humani recessus perspectos & cognitos habet solus, misericordiam suam erga errantes extensurus sit, nec ne. Consentit nobiscum celeb. *Turrettinus* in dissert de *articulis fundamentalibus*, qui pag. m. 23. ita inter alia loquitur: Ut definiri pro certo non potest, quot sint præcise officiorum genera, quot sint præcise bona opera, pii sermones, eleemosynæ &c. pariter, quinam præcise cognitionis gradus eum in finem requirantur, non sine summa temeritate a nobis homuncionibus determinaretur. Quid sit ultimum in rebus ejusmodi, quinam necessariorum, & non necessariorum limites, dicant illi, qui divinarum perfectionum limites perspectos habent; nos id captum nostrum superare libenter agnoscimus. His accedit, (ut verbis utar celeb. *Witsii*) quod divina gratia tenuissimo quandoque filo electos Christo jungat, & ardentissimæ charitatis flammæ, ac sinceriſſimum Deo placendi studium,

cionem adducuntur, quod de errantium salute vel exitio magistraliter decernere nolint.

ſtudium, in iis ſe animabus exſerant, in quibus perexigua eſt cognitio articulorum fidei. Et quis hic, ipſo non præeunte Deo, exacte definiat, minimum illud in ſingulis articulis, ad quod indiſpenſabiliter alligatum ſit judicantis Dei tribunal? Witſ. in ſymb. Apoſt. exerc. II. ſ. XV. Hactenus cl. *Turretinus*. Proclives quidem ſunt multi Theologi ad alios a ſuis decretis recedentes ſine ulteriore mora damnandos; at hoc ipſum Theologum pium & prudentem retrahit, quo minus ſeverum de errantibus ferat judicium, cumprimis cum videt & legit, Theologos quoſdam, ubi de ſpeculativis opinionibus, nihil quicquam ad pietatis ſtudium facientibus, agitur, promtiſſimos tamen eſſe, ad eos, qui a ſuis opinionibus recedunt, perſtringendos. Aliud eſt errantis errorem *coarguere*, & *argumentis impugnare*; aliud *decretorium ferre judicium* de ſalutis conſequendæ ſpe, quam errans habere poſſit nec ne. Duo hæc prudens & veritatis amans Doctor probe inter ſe diſtinguit. Solent quidem ejuſmodi homines provocare ad diviniſſimum Soterem noſtrum, Judæos graviter errantes coarguentem, & judicii divini ſeveritatem ipſis annuntiantem; ad Apoſtolos tandem ipſos, Judæis pariter & Gentilibus, a doctrinæ chriſtianæ placitis recedentibus, exitium æternum adjudicantes: de qua objectione, cum in antecedentibus de hoc argumento diſſertationibus jam egerimus, pluribus non agemus. Hoc unum igitur reſpondemus, hæc exempla fruſtra trahi ad eos, qui hodie inter Chriſtianos graviter errare videntur. Jeſus Chriſtus nonſolum cordium erat ſcrutator infallibilis, atque perſpectum habuit, quibus ex cauſis Judæi cœleſti doctrinæ ſuæ aures vacivas non præbuerint, & miracula plurima, quæ manibus quaſi palpare potuerint, rejecerint: at hoc de Theologis noſtræ ætatis dici nequit. Idem de Apoſtolis dicendum. Quid vero hoc ad noſtri ævi Doctores pertinet? Non ſunt certe illi infallibiles. Plerique errantium non totum Evangelium, aut miraculorum divinorum origenem & veritatem in dubium revocant, ſed ſententias quaſdam noſtra opinione graves & *in Scriptura contentas* aut impugnant, aut negant, & ad hoc probandum ad ipſa Chriſti & Apoſtolorum ſcripta provocant, a quorum clara declaratione ſola veritas dependet. Et quis non videt diſcrepantiam inter eos, qui Chriſti & Apoſtolorum tempore viventes doctrinam evangelicam impugnarunt, & inter eos, qui religioni chriſtianæ ſerio nomen dederunt, ſed propoſi-

tiones

tiones quasdam in Sacro Codice nostra opinione contentas alienum in sensum rapuerunt, atque adeo graviter errarunt? Accedit, quod inter Theologos ipsos (de quo supra diximus) doctrina de articulis fundamentalibus nondum satis sit ad liquidum perducta, atque nondum decisum, quis errans spe consequendæ salutis exclusus sit nec ne: pone vero votorum numero (quanquam hoc inter Sapientes parum valeret) declaratum, quis errans ad tristia tartara mittendus esset, quis non. Num quilibet sapiens & veritatis amans Theologus ad hanc decretoriam sententiam comprobandam adstrictus esset, *silente eo*, qui solus omnis cordis humani recessus perspectos habet, & de hoc judicio decretorio respectu errantium altissimum servat silentium? Aliter sine dubio sentiendum, ubi de vitiis gravissimis inter Christianos grassantibus sermo est. Omnes, cuicunque sectæ inter Christianos addicti, sine offensione fraternæ charitatis judicare possunt, homines vitiis plane immersos, & contra clarissimas conscientiæ leges peccantes, spretis optimorum virorum adhortamentis, nullam, dum tales manent, felicitatis post mortem consequendæ certam habere posse spem. At hic agitur de articulis, de quorum momento sapientissimi & doctissimi quique diversa judicia ferre solent. Hac prudenti ἐποχῇ suo tempore usus est J. *Arminius*, prouti rem narrat C. *Brantius* in ejus vita. Dicta ejus in compendio sistam, quæ extant pag. 175. *Dispergebantur* (inquit) *eo tempore viginti & undecim articuli ipsi attributi, quibus dispergendis id tantum urgebant adversarii, ut in eum, nigra hæreseos nota signatum, nonsolum imperitæ plebis, sed & eorum, qui ecclesiæ pariter ac reipublicæ clavum tenebant, odium incitarent, moderata succinctaque responsione iis occurrendum censuit. Ac mihi quidem* (verba sunt Brantii) *hac occasione haud videntur prætereunda insignia ejus, cedroque digna verba, quibus post expositam de singulis articulis sententiam suam corollarii loco primariæ cuidam objectioni hunc in modum respondet: Erunt fortasse, qui sugillabunt, quod aliquando dubitanter respondere videar; quum Doctorem & Professorem Theologiæ oporteat certum esse de iis, quæ docebit alios, & non fluctuare sententiis suis. Hisce ego responsum volo: Et doctissimum etiam & in Scripturis versatissimum multa ignorare, & discipulum esse semper in schola Christi & Scripturarum; qui autem multa ignorat, illum de omnibus, de quibus dicendi occasio & necessitas offertur, vel ab adversariis, vel ab iis, qui ipsius sententiam*

tiant per privatam vel publicam collationem & disputationem inquirere & cognoscere volunt, sine dubitatione respondere non posse. Præstat enim ut, de quibus certam scientiam non habet, potius dubitanter, quam affirmanter pronuntiet, & se ipsum profectu quotidiano indigere significans, & una cum ipsis institutionem quærere. Puto enim neminem esse eo audaciæ progressum, ut se Magistrum dicat nullius rei ignarum, & de nulla prorsus re dubitare. Secundo, non omnia, quæ in controversiam veniunt, paris esse momenti; nonnulla esse talia, ut de iis neminem dubitare fas sit, qui Christiani nomine censeri velit; alia vero non esse ejusdem dignitatis, & de quibus catholicæ sententiæ tractatores inter se salva veritate & pace christiana dissenserunt &c. quæ apud ipsum *Brantium* legi possunt. Addam hîc loci celeb. *Clerici* verba, qui quod de *Sociniunorum* salute vel exitio nunquam voluit decretorium ferre judicium, sed Deo judici æquissimo cuncta permittere, a multis Theologis lenitatis non ferendæ, & heterodoxiæ maxime culpandæ accusatus est. Extant ea epistolarum criticarum arti criticæ subjectarum decima, pag. m. 275. atque ita sonant: *Non pluris facio nudam rationibus auctoritatem Socini, aut aliorum, qui minime adflati a Spiritu Sancto fuerunt, quicumque sint, quam Hammondi, aut si mavis, Synodi Tridentinæ. Quando mihi consentire videntur cum Christo ejusque Apostolis, illis adsentior; sin minus, in diversa abeo. Nunquam integra Socini opera legi, neque peculiaria hominis dogmata, quæ mihi innotuerunt, magis probo, quam aliorum quos puto in errore versari. Interdum etiam ea confutavi, & prout occasio feret, confutabo; non ut invidiam ejus sectatoribus creem, aut gratiam cujusquam mortalium ambiam, verum ut tuear veritatem. Sed non sum in eorum sententia, qui homines in nonnullis errantes, cæteroquin Evangelii præceptis parentes, exspectantesque adventum e cœlo Domini nostri Jesu Christi ad judicandum de vivis & mortuis ad vitam revocatis, ex legibus evangelicis, beandosque bonos & plectendos malos; nec ulla ratione salutem æternam se consequi posse putantes, nisi fide, quam Christo habent, ut a Deo misso, & quam solum sibi sperant a misericordia divina justitiæ imputatum iri: non sum, inquam, in eorum sententia, qui ejusmodi homines æternis flammis addicunt, in eas, si possent, miseros præcipites illico conjecturi, intereaque anathematibus pœnisque ecclesiasticis ac civilibus crudeliter vexandos sibi censent. Non ita didici Christum, non sic Apostolos animadverti unquam se gessisse; iisque tacentibus, nec*

exemplo

exemplo ullo præeuntibus, malo in nimiæ misericordiæ periculum me conjicere, quam immanitatis ac feritatis posse vel minimum insimulari. Deus sui ex animo amantibus, hoc est præceptorum suorum studiosis, & præsertim maximi illius ac toties repetiti de amando proximo, condonabit multo facilius benignitatem, etiam nimiam, si nimia esse queat, in homines Dei & Christi timentes, quanquam aliqua in re errantes, quam diram illam inhumanitatem, qua solent infamari, vexari, & omni pœnarum genere mulctari, ea sola de causa, quia profitentur se non credere id, quod nec a Christo, nec ab Apostolis revelatum esse putant. Malo profecto, malo in misericordium numero, apud Summi Judicis tribunal stare, quam in vexantium grege, quæcunque sint horum divitiæ ac dignitates in hisce terris. Malo me convitiis interea proscindi, & suspectum haberi errorum, a quibus quam longissime absum; quam ut videar illi feritati ulla ratione patrocinari. Ita *eruditissimus* ille vir. (*)

(*) Viri inter Protestantes Doctores eruditissimi, & nullius heterodoxias suspecti, cum Clerico (de quo concionatorculi quidam abjecte sentiunt & loquuntur) idem sentiunt. Duorum tantum, nimirum Moshemii & Chillingworthi, heu! quantorum virorum! adducam hanc in rem testimonia. Celeb. Moshemius ὁ νυν ἐν Ἁγιοις Tom. IV. christlicher Sittenlehre, pag 219. ita loquitur: „ Einige sprechen, dass vvo ge„ fährliche und grobe Irrthymer Plaz genommen haben, da ist dem „ vvahren seligmachenden Glauben der Eingang ganz verschlossen. „ Ich trete ohne Scheu auf die Seite der Liebe und sage: Wer mir „ unlaugbare Zeygnisse vorleget, dass er durch die Liebe Gottes die „ Welt und ihre Lyste besieget hat, und in dem Gehorsam Christi „ vvandelt, dem bin ich die Pflichten der bryderlichen Liebe zu lei„ sten verbunden, vvenn er sich gleich des Nahmens eines rechtglæubi„ gen Christen durch seine Irrthymer verlustig gemacht hat. Wo sich „ demnach eine ungefærbte, unvvandelbare und bestændige Gottselig„ keit zeiget, da muss ich die Ursach aller vvahren Gottseligkeit den „ Glauben vermuthen; dann ein fauler Baum kann nicht gute Frychte „ bringen, Matth. VII. v. 18.

Chillingworthus opp. edit. gallica Tom. I. pag. 110. seq. ad objectionem Pontificiorum, quod nimirum Protestantes ipsi sese mutuo graviorum errorum reos postulent, atque adeo alterutra pars graviter erret, & spe salutis excidat, ita inter alia respondet: „ Qu'ils doivent (de „ errantibus inter Protestantes loquitur) user de toute la diligence „ possible, pour découvrir le sens de l'Ecriture, & pour y conformer „ leur croyance & leur vie. S'ils s'acquittent de ce dévoir (comme je „ ne doute pas que plusieurs Chrétiens de tous les partis ne le fassent)

Et quænam tandem causa viros religionis gnaros & sapientes impellere potest, ad ejusmodi dura & ab omni humanitate aliena, de proximi, errantis licet, salute ferendi judicia? Quis non contra videt, semel concessis illis temerariis judiciis, homines superstitioni deditos, ad perpetranda quævis scelera, erga errantes committenda, tanquam legibus divinis sese constrictos esse existimaturos? Doctor pontificius v. gr. tuetur, hæreticum gladio esse interficiendum, eum nihil miserantis orci victimam esse, in censum vero hæreticorum referendos Protestantes: permissum igitur esse, quicquid execrabilis furor jubet, contra tales perpetrare. Concessis autem semel hisce principiis, nihil tam abominabile est, quod excusari non possit. Interim tamen hoc non obstante *hæretifices* in media luce cæcutiunt, & ferre non possunt meliora & rectiora docentes. Ingeminant enim, eos, qui decretoria ejusmodi judicia contra errantes ferre nolint, *tepidos esse in causa religionis; ita errores pestilentes in peccatilla mutari; libertati de religione sentiendi pro cujusque lubitu frena dari; argumentis, quæ a metu & pœnis desumuntur, omnem vim adimi; Majoribus nostris*, v. g. *Bezæ, & aliis præclaris viris, qui legitimo adversus dissentientes zelo commoti fuerint, in os contradici; systematum*

„ fidélement & sincérement. Il n'est pas possible, qu'ils ne croyent
„ pas comme il faut, toutes les choses nécessaires à croire pour être
„ sauvé; j'entends par-là toutes les choses, qui appartiennent à l'alliance
„ faite entre Dieu & les hommes en J. C. & qui sont non seulement
„ clairement révelées; mais encore fréquemment répétées & inculquées
„ dans l'Ecriture. S'ils ont à cet égard une foi saine, & qu'ils ac-
„ complissent de leur part la condition que Dieu exige d'eux, qui
„ n'est autre qu'une obéissance sincère; quelle raison auroient-ils de
„ douter, que Dieu de la sienne n'accomplit pas ses promesses, & ne
„ leur accordât pas le salut? A l'égard des autres choses étrangéres à
„ l'alliance, & par conséquent moins nécessaires, s'il arrive, soit à cause
„ de la contrarieté apparente, qui se trouve souvent entre l'Ecriture,
„ la raison & l'authorité d'une part, & l'Ecriture, la raison & l'authorité
„ d'autre part, soit à cause de la diversité des temperamens, des ta-
„ lens, de l'éducation & des préjugez inévitables, si dis-je, il arrive
„ qu'ils embrassent des opinions opposées, & dont les unes ou les autres
„ sont nécessairement erronées, de dire qu'en ce cas Dieu damnera à
„ cause de ces erreurs des hommes qui l'aiment, & qui aiment la vérité,
„ c'est dérober à l'homme son unique consolation, & à Dieu le plus
„ grand de tous ses attributs, sa bonté; c'est jetter l'homme dans le de-
„ sespoir, & faire de Dieu un tyran. „

matum polemicorum auctores nimiæ severitatis accusari; verbo, omni impietati & incredulitati fenestras aperiri, & quæ sunt aliæ ejusdem commatis paratragœdiationes.

IX.

Amplissimam materiam alios in hæreseos suspicionem adducendi arripiunt malevoli Theologastri ex confessionibus publice receptis, & omnis generis formulis fidei.

Nullibi autem faventiorem methodum alios in suspicionem *hæreseos* adducendi reperiunt, quam in *publicis fidei confessionibus & variis generis formulis*. Statim enim ac quis ab earum tenore, etiam ubi de *minoris momenti articulis agitur*, recedit, clamant hi *zelotæ*, hunc ab ecclesiæ suæ decretis, atque adeo a S. Literis (quod in hominum illorum cerebro *idem significat*) recedere, neque adeo eum ferri posse. Centies hoc nomine viros doctissimos, verique amantissimos accusatos, proscriptos, imo in miseriam conjectos summam, omnium seculorum experientia docuit. Quo jure id fiat, sedulo examinandum est viris doctis & pacificis. Nos strictim nunc quidem de hac re agemus; alibi autem data opera de *usu & abusu* confessionum & *formularum* prolixe verba fecimus, singulasque difficultates & objectiones, quæ in hoc argumento occurrunt, expendimus. Pauca igitur, quæ ad summam rerum pertinent, attingimus.

Et (I.) quidem notamus, argumentum de *usu & obligatione* confessionum, *& omnis generis fidei formularum, attentione & accurato examine dignissimum esse*, ob duas potissimum rationes; cum *quia* ordinis politici Præsides inter *Protestantes* sibi potestatem arrogant, exortis in ecclesia litibus, de obligatione harum confessionum judicandi; *tum quia* disceptatur, *quousque* sese Præsidum ordinis ecclesiastici extendat potestas, ubi minister ecclesiæ communi confessioni addictus, ab opinionibus quibusdam ad *essentialia* religionis capita non pertinentibus, recedit. Quod ad Magistratum pertinet, Protestantes omnes unanimi consensu asserunt, ejus potestatem in religionis negotio absolvi legitimo religionis publice receptæ externo regimine; eruditionis & pietatis, quantum penes eos stat, propagatione, & justo moderamine rerum ad πρεπον religionis externæ pertinentium. In articulis vero credendis non majorem potestatem illi tribuunt, quam promiscuæ turbæ, quæ Scripturam examinare, eaque exinde depromere debet, quæ clare in ea revelata esse deprehendit, quoniam neque divino neque humano jure Magistratus

ostendere potest, sibi potestatem esse concessam in aliorum hominum conscientias dominium aliquod exercendi. Vide fuse de hoc differentem *cl. Heideggerum*, in corpore Theologiæ. Quod vero ad Ministros V. D. spectat, operam illi equidem dare debent, ut pura castaque religio tradatur & propagetur; at cum sæpe in disceptationem veniat, utrum hic vel ille articulus in confessionibus contentus, salva manente religione, credi vel non credi possit, atque adeo utrum quis quandam propositionem in his traditam admittere impune possit vel non, insigni prudentia opus est & circumspectione. Hæc latius essent extendenda, si singula pensiculatim de hoc capite hic expendere vellemus. At cum animus duntaxat hic nobis sit, ea in medium proferendi, quæ ad elucidandam hanc materiam ex parte aliquid conferre possunt, a prolixiore argumenti hujus discussione abstinemus.

(II.) Hoc certum, & extra dubitationis aleam inter *Protestantes* positum, *unicam credendorum normam esse Scripturam sacram.* Hoc defendimus contra ecclesiæ romanæ Doctores, & quosvis alios, cuicunque tandem sectæ addictos. Necesse est igitur, ut hujus principii semper simus *memores*, etiam ubi de interpretatione certorum articulorum & confessionum formularumque quarumcunque agitur.

(III.) Ex hoc principio *sequitur*, omnes cujuscunque tituli confessiones & formulas ad *normam S. Litterarum*, non vero S. Litteras ad normam horum libellorum exigendas. Formulæ & confessiones omnes ab hominibus scriptæ sunt, atque adeo omnium examini, qui Sacras Litteras callent, expositæ. Ita semper judicarunt Theologi ecclesiæ reformatæ præstantissimi. Adducam unicum ex iis, nempe τον μακαριτην cl. *Infantium*, qui in libello, cui titulus: *Discours sur les catechismes en général &c.* adjecto utilissimo ipsius libro, qui inscribitur *Préservatif contre la réunion avec le siége de Rome*, pag. 110. ita meditationi suæ finem imponit, dicens: *Au reste, il faut se souvenir, que quoique & le catéchisme de Calvin, & celui de Heidelberg, & tous les autres, qui contiennent la même doctrine, soient des ouvrages excellens, ce sont pourtant des ouvrages humains, & qu'on ne doit les régarder comme formulaires de foi, & livres symboliques, que conditionellement, c'est-à-dire autant, qu'on les trouve conformes à la Sainte Ecriture, qui est l'unique regle infaillible, sur laquelle*

quelle il faut juger de tout ouvrage concernant la religion, C'eſt ſur tout la regle, que doivent ſe propoſer inviolablement les Prédicateurs en expliquant quelque catéchiſme que ce ſoit. Ils doivent toujours ramener à l'Ecriture les expreſſions & les ſens des catéchiſmes, qui pourroient s'en éloigner au moins en apparence; éclaircir par elle, ce qui peut paroitre obſcur; étendre, en ſuivant la même regle, ce qui eſt trop abregé; exprimer en termes populaires, & d'un ſtyle evangelique, ce qui peut reſſentir les ſubtilités de l'école; enfin traiter avec précaution & ſobrieté, & autant, qu'il ſe peut en termes généraux, certaines queſtions ſubtiles, qui ne roulent point ſur l'eſſentiel de la foi, ou qu'il n'eſt ni aiſé ni ſûr d'approfondir. Ita *doctiſſimus ille vir.*

(IV.) Simul ex hoc manifeſtum eſt, quid valeat illa quorundam Doctorum proteſtantium *diſtinctio*, in formulam credendi *primariam* & *ſecundariam*. *Primariam* appellant obligationem judicandi de aliquo religionis articulo, ſecundum dictata S. Literarum. *Secundariam*, deciſionem Doctorum in confeſſione aliqua contentam, de veritate interpretationis S. Literarum, ſecundum quam prius illud judicium latum eſt. At hanc diſtinctionem omni fundamento deſtitui pridem perſpexerunt viri docti. *Limborchii* verba de ea hæc ſunt: *Norma ſecundaria plane ſuperflua eſt, quando præ manibus eſt norma primaria, omnia ad ſalutem neceſſaria plene ac perſpicue continens, qualem Reformati Scripturam agnoſcunt. Secundo, norma illa nomine ſecundaria revera eſt primaria, quia quod Scriptura indeciſum reliquit, hoc eſt verbis adeo amplis & laxis enuntiat, ut pluribus ſenſibus accipi poſſit, ipſa determinat, & uno ſolummodo ſenſu neceſſario accipiendum dictat, atque ita fideles adſtringit ad aliquid credendum, tanquam a Deo in Scriptura revelatum, de quo an Scriptura id revelaverit, omnes perſuaſi non ſunt. Quod revera eſt judicium formulæ alicui arrogare Scriptura majus.* Lege ſequentia ejus verba de hoc argumento, in medium prolata *Theolog. chriſt.* Lib. I. cap. XI. Sect. XIII. hæc addit: *Præſtaret nullam in eccleſia chriſtiana extare confeſſionem, quam cum tali auctoritate aliis obtrudi. Confeſſiones enim tantum eſſe debent teſtimonia & declarationes fidei illorum, qui eas edunt, non fidei regulæ, quæ omnibus præſcribunt, quid credendum ſit.* Hiſce ego *tertio* loco addo, quod ſi *ſecundaria* illa credendi regula norma credendorum eſt, facile *tertia* & *quarta* excogitari poteſt, cum ſecundariæ normæ auctor infallibilis non ſit;

unde

unde tandem formulæ istæ loco unionis, in cujus causam illæ editæ dicuntur, ad *harmoniam* inter fratres in summa rerum credendarum conspirantium, perpetuarum litium & contentionum fomites essent. Agnoverunt hoc dudum præstantissimi inter Reformatos Theologi. Sufficiat hic adduxisse verba celeberrimi quondam Theologi reformati, *Claudii*, *Charentonienſis olim eccleſiæ V. D. Miniſtri*, quæ extant tom. V. p. 48. operum posthumorum, in epistola ad cl. *Τον μακαριτην F. Turrettinum celeb. eccleſiæ Genevenſis Theologum data*, quæ ita sonant: „ Ils sont sages & éclairez (nos fréres de Suisse) & ils n'ig- „ norent pas, que s'il falloit, que les Pasteurs & les Docteurs „ n'eussent aucune difference de sentimens sur des questions d'é- „ cole, il faudroit tous les jours être après à faire de nouveaux „ formulaires & tous les jours changer la forme de la religion. „ Ils n'ignorent pas, qu'au lieu d'étouffer les divisions (par „ cette voye, on fait au contraire de nouvelles playes à l'egli- „ se, & l'on rend incurables celles que le tems auroit infailliblement gueries. Ils ont trop de lumière pour ne pas voir, „ que ni eux ni nous pouvons exiger raisonnablement de nos fré- „ res, pour entretenir communion avec eux, que trois choses, „ l'une qu'ils soient conformes à nous en leur confession de foi, qui „ contient l'essence de la religion; l'autre qu'ils ne nous condamnent „ pas sur les autres choses non essentielles; & la troisiéme que „ quand ils occuperont quelcune de nos chaires, ils gardent un „ religieux silence sur ces points contestés pour n'irriter ni scandaliser personne. Mais de passer jusqu'à demander d'eux des con- „ damnations expresses, & à faire des formulaires, qui engagent à „ croire & à enseigner telles & telles choses au delà des confessions, „ c'est ce qu'ils ne peuvent, ni nous aussi, sans renverser l'usage „ des confessions. Car l'usage des confessions est de donner des „ bornes à l'unité de la foi, & de déclarer, qu'on reconnoit pour- „ fréres, tous ceux qui croyent, & qui enseignent ce que les „ confessions contiennent. „ Hactenus *ὁ μακαριτης celeb. Claudius.* (*)

X. Ad

(*) Vide de hoc argumento præstantium virorum epistolas a cl. LIMBORCHIO editas, pag. 54. 101. 149. 209. & 441. Cumprimis attentione digna sunt, quæ de hoc argumento scripta sunt in admonitione christiana a Theologis &

X.

Ad hanc materiam magis elucidandam neceſſe eſt, ut is, qui de *legitimo uſu confeſſionum & omnis generis formularum fidei* prudenter judicare vult, ſibi in memoriam revocet attentione digniſſimam diſtinctionem Theologorum Proteſtantium partibus addictorum, nimirum in *articulos fundamentales* & non *fundamentales*; quamvis enim in determinando numero horum articulorum non conſentiant, nec conſentire poſſint Theologi, unanimi tamen conſenſu hanc diſtinctionem approbarunt, & in diſceptatione de conſenſu Proteſtantium eam adhibendam eſſe cenſuerunt, atque declararunt, fratrem in fundamentalibus articulis conſentientem tolerandum eſſe, neque propter diſſenſum in minus neceſſariis exagitandum: quod quantum faciat ad materiam de articulis in ſymbolis illis contentis rite ponderandam, prudens quiſque facile deprehendit. Dari autem in confeſſionibus omnibus articulos fidei fundamentales & non fundamentales, (loquimur autem hîc duntaxat de iis confeſſionibus, quæ inter Proteſtantes ab eo tempore, quo ſeceſſionem ab eccleſia romana fecerunt, publice editæ ſunt) apertum & extra dubitationis aleam poſitum eſt. Continentur enim in iis 1.) capita fidei fundamentalia, quibuscum omnis religio, tum chriſtiana inprimis innititur. 2.) Errores graves, qui Proteſtantibus objecti ſunt, hæreſesque peſtilentes, quæ ab his vel illis antiquis pariter & recentioribus illis impactæ ſunt, improbantur & rejiciuntur. 3.) Tandem vera ſententia hujus vel illius eccleſiæ Proteſtantium partibus addictæ explicatur, in qua partim dogmata majoris momenti, partim & privatæ quædam opiniones, ritus, conſuetudineſque repræſentantur, ad ſalutem cognitu non prorſus neceſſariæ. Has rationes omnes expendere ſerio debet is, qui de *uſu & abuſu confeſſionum & formularum legitimum vult ferre judicium.* Nullos certe

Datur diſtinctio inter articulos fundamentales & non fundamentales, ſecundum Proteſtantium principia.

Miniſtris eccleſiarum in ditione illuſtriſſimi Principis Caſimiri &c. de libro concordiæ. Verba huc facientia extant pag. 255. epiſt. præſt. virorum. Legenda inprimis doctiſſimi CHILLINGWORTHI vita, quæ extat tom. I. operum gallice editorum, in qua narratur, maluiſſe eruditiſſimum virum omnibus beneficiis renunciare, quam formulis quibuſdam fidei, ſua opinione cum Scriptura S. non conſentientibus, ſubſcribere. Evolve etiam vitam TOSSANI, quæ extat Tom. IV. Lexici cl. Chauffepié, nota B.

certe errores pestiferos & saluti animarum nocivos in confessionibus Protestantium deprehendet is, qui ἀτερ παθων eas, quæ inde ab emendatione Sacrorum publice editæ sunt, perlustrabit. Unde facile judicari poterit, quousque hic vel ille errans ferri debeat nec ne. In quibusdam formulis, quæ certorum hominum opinionibus oppositæ sunt, dari sententias, quæ si universum cœtum spectes, vinculum fraternæ unionis non rumpant, atque adeo *fundamentales* non sint, docet, ut de aliis nihil jam dicam, ita dicta *formula consensus Helvetica*. De occasione scriptæ hujus formulæ, auctoritate, quam obtinuit in quibusdam ecclesiis Helvetiæ; litibus, quæ ob eam causam obortæ sunt &c. nihil hic loci dicam, postquam hæc omnia dudum sunt literis consignata, documentisque publicis comprobata. (*) Hoc unum dicere animus est, *controversias* in hoc libello contentas minime esse *fundamentales*, quod ex enumeratione opinionum, quibus formula illa opposita est, patebit omnibus, qui controversiarum pondus expendere possunt, & fatetur hoc hujus formulæ auctor, ὁ μακαριτης celeb. *Heideggerus* in præfatione huic formulæ præmissa, cujus verba ita sonant. Postquam enim occasionem scriptæ formulæ consensus exposuisset, ita pergit: *Neque vero est cur venerandi fratres exteri, quos tanquam de cætero ἰσότιμον πίστιν λαχόντας fraterne colimus & suspicimus, ob testatum graves ob causas dissensum, nobis succenseant, vel schismatis ansam cuiquam præberi dictitent. Salvum enim utrinque per Dei gratiam stat fundamentum fidei, cui utrobique ex Dei verbo aurum & argentum pretiosique lapides non pauci superstructi sunt. Salva unitas corporis mystici & spiritus, sicut & vocati sumus in una spe vocationis nostræ. Unus nobis Dominus, una fides præcipua, & in eadem tenenda sancta conspiratio & confessio. Unum baptisma, unus Deus & Pater omnium, qui est super omnia & per omnia, & in omnibus nobis. Salvum denique tenerrimæ charitatis vinculum & compages, sarta & tecta sacro-sancta communionis Sanctorum officia per Dei gratiam perstabunt.* Ita ὁ μακαριτης cl. noster *Heideggerus*. Utrum autem Doctores reformati Helvetii melius feciissent, si ad conscribendam

(*) Confer de litibus, occasione formulæ consensus in Helvetia ortis, præter historiam formulæ hujus gallice scriptam, & celeb. Pfaffii historiam hujus formulæ, cl. Chauffepié tomum IV. sub titulis Joseph. Saurin & Tronchin.

bendam hanc formulam animos non adjeciſſent quæſtio eſt, quam hic examinare animus non eſt. Nimirum impugnatur in illa formula primo ſententia *Amyraldi*, Theologi Galli & ſequacium, qui aſſerebant Deum omnes homines ſalvos fieri velle, ſed nec omnibus facultatem velle dare, ut poſſint ſalvari. Quod ad priorem partem hujus propoſitionis pertinet, Lutherani fratres eam non improbabunt, & licet *Calvini* quidam rigidiores ſectatores eam tanquam falſam rejiciant, non tamen eam fundamentalem eſſe judicant, quod ex ipſius *cl. Heideggeri* τὰ νῦν ἐν Ἁγίοις verbis patet: ut de *Bullingeri*, *Gualteri*, aliorumque Reformatorum judiciis nil jam dicam: omnes certe, qui de componendis Proteſtantium controverſiis egerunt, propoſitiones has cum ſuis limitationibus conſideratas, & rite excuſſas, fundamentales non eſſe aſſeruerunt. Poſterioris propoſitionis pars fratrum quidem Lutheranorum ſententiis de hoc argumento oppoſita eſt, quod illi ſatis ſuperque animadverterunt; at ſi & hæc quæſtio omnibus, quæ ad eam intelligendam requiruntur, æquivocationibus liberata, & clariore luce perfuſa prudentis & æqui judicis examini dijudicanda ſiſtitur, manifeſtum erit, eam non eſſe fundamentalem. Altera quæſtio, quæ in illa formula excutitur, mere *critica* eſt, Quæritur enim de *antiquitate* vel *novitate* punctorum vocalium, apud Hebræos uſitatorum; item de auctoritate codicis hodierni hebraici Maſſoretici, utrum is in interpretatione S. Litterarum ſolus ſit ſequendus; an vero etiam antiquæ verſiones &c. in conſilium ſint vocandæ. De hac quæſtione nonſolum omnes vel plerique Imperantes & Præſides rerumpublicarum ſolidum ferre judicium non poſſunt; (neque ad tales quæſtiones criticas examinandas vel determinandas ex officio obligati ſunt,) ſed & eruditiſſimi inter Proteſtantes Theologi & V. D. Miniſtri varias hac de re omni tempore foverunt & adhuc fovent ſententias. (*) Ex quo quilibet judicare poteſt, utrum ta-

(*) Celeb. HEUMANNUS in conſpectu Reipublicæ Literariæ, recentiorum de punctorum hebraicorum origine & antiquitate ſententias exponens, ita loquitur cap. III. ſ. XVI. Ad Hebræorum puncta & accentus quod attinet, vulgatior ſententia pro eorum ultima antiquitate propugnat acerrime. Sed cordatiores ſententiam hanc inter Rabbinorum referunt mendacia, atque cum LUTHERO ſtatuunt, puncta recens inventa eſſe, quibus non ubique tuto niti poſſimus. Etſi igitur BUXTORFIUS & WASMUTHIUS vulgarem opinionem ſummis viribus defenderunt, hodie tamen

les disquisitiones ad articulos fidei *fundamentales pertineant nec ne*. Plura non adjicio, quia hoc loco cautelas duntaxat quasdam generales in medium profero, ad quas attendere debent illi, qui de *vero usu formularum fidei* sapienter judicare volunt. Præter ea, quæ hactenus dicta sunt, in gratiam eorum, qui de usu & abusu confessionum & formularum rite judicare volunt, observandum, in omnibus ejusmodi symbolicis libris *partim* ad scripta S. Litterarum, *partim* ad *loca Patrum* ecclesiæ veteris provocari. Atqui notum est, antiquorum Patrum de religione judicia inter Protestantes pro norma credendorum non haberi, neque majoris ponderis esse, quam recentiorum Theologorum. Quod ad loca Scripturæ attinet, hæc examini sunt subjicienda, & videndum utrum illa probent quod probandum est, nec ne. Is certe qui putat, frustra hæc vel illa loca adduci, ad hunc vel illum religionis articulum probandum, adigi non potest auctoritate aliqua publica, ad illi subscribendum. Hoc certum est, & ab omnibus Theologis Protestantium partibus addictis admissum; nimirum errorem non fundamentalem in fratre, sive Lutheranæ sive Reformatæ ecclesiæ addicto, tolerandum, neque quemquam propter eum de gradu suo, si in cæteris necessariis cum ecclesia dominante conspiret, esse dejiciendum, dum hoc neglecto nonsolum sive politici sive ecclesiastici ordinis viri temere & nullo jure jus in conscientias hominum sibimetipsis arrogarent, sed & ita agendo omnes virorum optimorum & veritatis inquirendæ studiosissimorum conatus sufflaminarentur & ignorantiæ, stupori & fanaticismo, malo pestilentissimo, portæ aperirentur. Scio omnia etiam utilissima hominum instituta suis laborare defectibus & incommodis, neque propterea rejicienda. Interim ab eo, quod justum, æquum, & societati civili & ecclesiasticæ salutare est, nunquam est recedendum. Rationes, quas quidam zelotæ, & in doctrina de libertate conscientiæ jureque divino minime versati, in medium adferre solent, heic loci non adduco, quia alibi me hoc præstitisse supra monui. Cæterum conducibile valde erit, si utriusque

doctissimus quisque, CAPELLO, victo tandem præjudicio, assentitur. In notis textui subjectis adducit plures, qui pro novitate punctorum steterunt, inter quos referendi VITRINGA, WALTONUS, Jos. SCALIGER, P. CUNÆUS, ZELTNERUS, RELANDUS, quibus multos alios adjungere potuisset.

que ordinis viri, quibus necessitas imposita est, de hoc argumento occasione exortarum litium cum potestate judicandi, volvant τὸ μακάριτες celeb. *Werenfelsii* dissertationem, in qua respondet ad quæstionem: *Num hominibus jus competat, eos, quos in rebus ad essentiam fidei non pertinentibus errare judicant, ob solos ejusmodi errores a sacro Ministerio excludendi.* Adde J. *Clerici dedicationem* versioni commentariorum *Hammondi* in N. Testamentum præmissam.

XI.

De consequentiis theologicis.

Notum est insuper, *hæreticifices magnum præsidium quærere in consequentiis, obtorto collo ad invidiam conciliandam secus sentientibus, colligendis & imputandis.* De hoc argumento multis agere animus non est, partim quia notum & omnium seculorum experientia confirmatum, homines ira, odio & insania commotos, loco argumentorum longe petitis consequentiis usos esse, & adhuc uti adversus alios, de religione secus, quam ipsi sentiunt, argumentantes denigrandos, & gravissimorum errorum reos postulandos; partim quia de *abusu* hujus methodi ratiocinandi doctissimi inter modernos viri satis superque egerunt. Generalia igitur duntaxat quædam in medium afferemus, quæ ad materiam hanc & consuetudinem malam aliqua ex parte delineandam facere posse videntur.

Et *primo* quidem nemo sapiens negabit, licitum esse ex thesi quadam a quocunque tandem proposita elicere quasdam consequentias; nihil enim hoc aliud est, quam probare inter thesin seu propositionem, & inter argumentum ad thesin probandam allatum, aut legitimum vel nullum esse nexum. Hoc nisi licitum esset, stultissimus quisque cerebri sui commenta in medium impune adferre posset, ex quo rerum omnium & negotiorum in societate civili & ecclesiastica pertractandorum summa oritura esset confusio. Cum hoc vero in omni casu licitum sit, nescio cur non in causa religionis homines consequentiis uti possint, ad has vel illas propositiones vel comprobandas vel rejiciendas. Quo enim magis negotium aliquod arduum est, ad illud vel suscipiendum vel a se amoliendum, eo magis vires omnes ingenii sunt intendendæ, id est, ad consequentias, quæ ex concessa aliqua thesi fluere solent, attendendum est. Nemo autem ignorat in rebus ad religionem

ſpectantibus dari propoſitiones periculoſas, graves, & omni pietati inimicas, quas nemo non, qui reverentia Numinis tangitur, damnare poteſt. Dantur etiam viciſſim errores leviores, ex quibus vel ſocietati civili vel eccleſiæ nulla mala inferri poſſunt. De his omnibus, cujuſcunque tandem commatis ſint, dubium non eſt, quin cuilibet poteſtas ſit conceſſa de propoſitionibus illis judicandi, & inde conſectaria quædam eliciendi.

Hoc tantum *ſecundo* loco quæritur, quouſque conſequentiæ illæ hominibus, qui propoſitiones quaſdam noſtra ſententia vel opinione graves defendunt, imputandæ ſint nec ne. Ratio hujus quæſtionis non ita captu facilis eſt, licet valde momentoſa ſit.

III. Antequam de conſequentiis propoſitionis alicujus ſoliciti ſumus, & quouſque theſeos alicujus defenſio huic vel illi imputari poſſit affirmetur, ante omnia diſpiciendum, quibus *argumentis* auctor nitatur ad ſententiam ſuam probandam. Quod ſi enim illa nervis omnibus deſtituatur, id eſt, probandi vim nullam plane habeat, riſu potius quam ſeria refutatione, nedum conſectariorum invidioſa imputatione, auctor illius excipiendus eſt. Tales innumeræ dantur etiam in religionis negotio controverſæ ſententiæ. Si vero argumenta ſpeciem veriſimilitudinis habeant, nexuſque argumentorum & periculoſarum ratiocinationum non prima fronte pateat, certum autem ſit, conceſſa hac vel illa hypotheſi, innumeras propoſitiones falſas & impias inde emanaturas eſſe, licitum eſt, imo neceſſarium, conſequentias eas auctoris & lectoris oculis repræſentare, non ad invidiam illi conflandam penes Præſides utriuſque ordinis, ſed ad eum excitandum, ut theſin ſuam denuo examini ſubmittat, argumentaque, quibus uſus eſt, rite expendat.

IV. Cum vero innumeri inter Chriſtianos non tantum plebeios ſed etiam doctos reperiantur, qui ab ipſa juventute theſibus quibuſdam ſine ulteriore examine ſubſcripſerunt, licet periculoſis conſectariis, quæ tamen deprehenderunt nunquam, obnoxiæ ſint, conſequentiæ temere imputandæ non ſunt, ſed potius argumentis clariſſimis oſtendendum, unde error originem traxerit. Ita notum celeb. *Limborchium* accuſaſſe rev. R. F. *Burmannum*, quod ex Ethica *Spinozæ* & *Metaphyſica* ejuſdem repetierit & ſuæ Theologiæ inſeruerit tales propoſitiones, quæ conſectariis periculoſis valde ſint obnoxiæ. Videatur libellus apologeticus filii *Burmanni* ſub titulo:

Burman-

Burmannorum pietas, in quo ostendit, parentem hæc principia tanquam *Cartesiana* amplexum, neque fraudulentis propositionibus usum esse eum in finem, ut *Spinozæ* systemati patrocinaretur. Ad scopum igitur & nexum totius systematis est attendendum, antequam de consectariis colligendis simus soliciti. Alia ratio est, ubi apertissimis indiciis constat, quo tendat auctor, eumque consequentias probe perspectas habere. Exempli causa, *Spinoza* tractatum politicum edidit, ex quo quisque sani cerebri judicare potuit, quid de religione in universum sentiat. Post mortem demum evulgata est, ut notum, ejusdem *Ethica*, in qua omnibus viribus id egit, ut probaret, totum hoc Universum Deum esse, neque adeo principium aliquod a mundo hoc diversum dari, quod adspectabili huic Universo existentiam dederit; unde viri docti, v. gr. P. *Baylius* in Lexico suo, culpandi non erant, quod abominabiles consequentias ex ipsis *Spinozæ* principiis petitas elicuerint, præsertim postquam ex omnibus libri partibus eum nihil aliud intendisse manifestum fuit, quam ut existentiam Numinis optimi & sapientissimi, i. e. religionem omnem, ex animis hominum evelleret. Hinc & clar. Professor *Philosoph. Halensis Meyerus*, adversus *Edelmannum*, qui periculosas sententias *Spinozæ* & *Cabalistarum suas fecit*, eandem cum *Baylio* viam ingressus est. Innumeri vero inter Christianos sunt viri cordati, pii, quique Deum sincere amant, & officiis pietatis pro viribus defunguntur, religionemque morum & vitæ probitate potius, quam accuratiore articulorum religionis cognitione absolvi putant, multi inquam inter eos dantur, qui, si ad consectaria quarundam propositionum respicias, errant quidem & sæpe graviter; sed nexum tamen propositionum erronearum non vident, & si viderent valde improbarent, cum quibus secundum æquitatis regulas semper agendum & judicandum esse puto. Ita benigne judicandum de *duriori-bus* quibusdam *Mysticorum phrasibus*. Ponamus hominem Protestantium partibus addictum principia in catechismis contenta admittere, & secundum præcepta in Evangelio præscripta, quantum in hac rerum caligine fieri potest, vivere, simul tamen opiniones quasdam erroneas tueri, quæ utrum veræ sint nec ne ignorat; quid impedit tandem quo minus de homine illo benevole judicem, eumque pro veri nominis Christiano habeam? Pone vero simul, eum (nam nemo infallibilis est) cum veritatibus salutaribus conjungere

errorem,

errorem, quem ipse pro errore non habet, saltem errorem esse non videt, simul vero, ubi illi ex thesibus suis, quas profitetur, erroris gravitas monstratur, eum detestari; existimo potius stuporem hominis incusandum, quam malitiam. Quamvis autem malum hoc, id est studium ex aliorum de religione sententiis malitiosas consequentias nectendi, *immedicabile* esse putem, nihilque tam solidum & innocens in medium afferri possit, quod pejorem in partem rapi non possit, puto tamen generales quasdam *cautelas* produci posse, quæ ad materiam hanc ex parte elucidandam facere possint. Antea dixi, idque repeto, videndum semper, quibus thesis aliqua nitatur argumentis; si infirma & inepta sunt, risu potius quam seria refutatione excipienda, cumprimis, si constet, hominem aut sani non esse cerebri, aut pauciſſimos mortalium deliramentis hominis unquam subscripturos. In genere sequentes cautelas observandas puto.

Prima est: Thesis theologica, sive theoretica sive practica, primis principiis rationis contraria, est rejicienda.

Secunda: Thesis theologica universo tenori S. Litterarum & scopo totius Evangelii J. Christi contraria, merito repudianda.

Tertia: Cum homine errante argumentis duntaxat semper est pugnandum. Nullam enim rationem video, qua error illi eximi possit, quam demonstratione veritatis. Invidiosa enim repræsentatio consequentiarum sine argumentis, plerosque errantes, cumprimis si eruditionis aliquo apparatu sese instructos putent, irritat potius quam emendat.

Quarta: Videndum semper quam vim habere possit error in *vitam hominum*; quo magis ille hominibus ad vitia omnis generis committenda feneſtram aperit, eo magis impugnandus est.

Quinta: Repudiandæ inprimis longe petitæ & invidiosæ consequentiæ, usurpatæ ab iis, qui in ecclesia evangelica vivunt, quæ fundamentalia religionis capita communi consensu admittit. Imo mea opinione publice reprehendendi, & pœnis afficiendi Ministri religionis, qui adversus fratres ira & odio manifesto concitati invidiosissimas consequentias nectunt, famæ eorum, existimationi & fortunæ quantum possunt detracturi, cumprimis ubi constat manifestissime, fieri non posse, ut ex errore tam portentosa consectaria unquam fluere possint. Fatendum interim, huic malo medelam

lam satis perfectam afferri in his terris non posse. Præstandum igitur est, quantum in hac rerum caligine & ingeniorum humanorum diversitate fieri potest. Certum hoc est, si nonnisi *vere sapientes*, *moderati* & *pacifici*, in ecclesiis, academiis & scholis regnarent Doctores, malum hoc vehementer imminutum iri, pauciſſimosque eruditorum de consequentiarum maligne imputatarum studio conquerendi legitimam causam habituros. De *consequentiarum imputatione multa egregia* leguntur in *cel. Werenfelsii opusculis* novæ editionis. (*)

XII.

Gravissimorum errorum imputatio innocentissimis fieri solita, detestanda est.

Denique inter impudentissimos & nequissimos illi inter hæretifices referendi, qui doctissimos & præstantissimos viros gravissimorum errorum, imo aliquando ipsius Atheismi, ne quid ferocitati desit, reos postulant, licet ex eorum publicis scriptis irrefragabilibus argumentis & testimoniis probari possit, eos ab impactis erroribus nonsolum abhorrere, sed & errores ipsos data opera publice & privatim solidissimis argumentis impugnasse. Tales profecto accusatores digni mihi videntur, qui auctoritate publica per aliquod tempus ad *fustitudineas ferricrepidineas insulas*, *ubi vivos homines mortui incursant boves*, *mittantur*. Sed satis, & quorundam judicio plus satis, de μεσοδικαις, quibus hæretifices alios criminaturi utuntur, dictum est. In sequentibus duabus dissertationibus, si Deus vitam concesserit, ab una parte in causas *tetri criminis* inquiremus, ab altera vero media suppeditabimus reprimendo huic malo, (nam sanare hanc rabiem penitus mortalibus datum non est) nostra sententia apta & idonea.

THESES

THEOLOGICÆ MISCELLANEÆ.

I. Theologiæ naturalis accuratior cognitio nonsolum disciplinæ S. alumnis, sed & Doctoribus publicis quammaxime est necessaria:

(*) Vide præstantium virorum epistolas, pag. 304.

cum quia illa continet religionis omnis & cultus divini fundamenta; tum quia sine ea religionis christianæ divina origo solide demonstrari non potest; ut non dicam eam necessariam esse ad gravissimos religionis articulos rite probandos, tuendos & vindicandos. Unde simul facile judicari potest, frustra esse omnes Theologos, qui notitia hac destituti, & in disciplinis philosophicis non satis exercitati, in arenam tamen descendere volunt adversus incredulos & alios formidolosos religionis hostes. Illis potius occinas verba Poëtæ: *Non his auxiliis, nec defensoribus istis tempus eget.*

II. Quamvis *necessitas* revelationis a *priori*, uti loqui in scholis solemus, ostendi non possit: sufficit tamen, quod religionis christianæ veritatem & divinam originem sufficientibus argumentis probare possimus. Hoc enim concesso, per se cuivis constare potest, eam cognitu nonsolum esse *necessariam*, sed & eandem pro unica credendorum & faciendorum regula esse habendam & exoscultandam.

III. Cum in rebus naturalibus multa occurrant, quæ quidem ducibus sensibus & experientia pro veris habeantur, licet causarum primordia nexumque aut plene ignoremus, aut imperfecte cognoscamus; quis miretur dari in religione christiana mysteria, ad quæ exacte cognoscenda vis ingenii humani penetrare non possit? Legant Theologiæ Studiosi differt. τῦ μακαρίτε celeb. *Werenfelsii* de *Atomis*.

IV. Veræ & infallibiles notæ, ex quibus veri nominis Christianus de certitudine salutis æternæ consequendæ legitimum ferre potest judicium, sunt sequentes: Nimirum seria pœnitentia, viva fides, & mandatorum divinorum observantia.

V. Transsubstantiatio opprobrium est christianæ religionis, neque credi potest, quia crassissimam involvit contradictionem.

VI. Dissensus, qui inter *Protestantes* locum habet, fundamentalis non est, atque adeo & *possent* & *per conscientiam deberent* nonsolum sese mutuo pro fratribus agnoscere, sed & in unum corpus, arctissimis amoris vinculis ligatum, coalescere. Videantur

tur celeb. *Werenfelsii cogitationes generales de Unione Proteſtantium.*

VII. Interpretatio verborum inſtitutionis S. Cœnæ a Chriſto uſurpatorum, quam reformata eccleſia tuetur, rationi, ſenſibus, occaſioni inſtitutionis, &, ſtylo Scripturæ conveniens eſt, atque cum graviſſimis religionis chriſtianæ articulis amice conſpirat.

VIII. Ineptiunt & ad Anticyras mittendi ſunt, qui ita ratiocinantur: Hic vel ille vir doctus a cervicibus multorum, antiquorum pariter & recentiorum Theologorum & Philoſophorum &c. crimen Atheiſmi, vel aliorum gravium errorum temere impactorum, depellere conatus eſt; ergo patrocinatur incredulis. φευ της φλυαριας.

IX. Cum per rerum naturam fieri non poſſit, ut ſicut de aliis rebus, ita cumprimis de negotio religionis homines per omnia idem ſentiant; nihil aliud mortalibus in hac rerum caligine relictum eſt, quam ut ad conſervandam & alendam publicam & privatam tranquillitatem mutua tolerantia, æquiſſimis conditionibus circumſcripta, utantur, præſertim cum nullus in terris exiſtat infallibilis controverſiarum judex.

X. *Spinozæ* definitio Dei nonſolum falſiſſima & ineptiſſima eſt, ſed & abominandis conſectariis obnoxia.

DISSERTATIONIS DE CRIMINE HÆRETIFICATIONIS, EJUS CAUSIS ET REMEDIIS.

Pars V.

Sect. I.

Repræsentantur præcipuæ causæ hæretificationis, quarum prima est petita a defectu accuratioris cognitionis rerum divinarum & humanarum.

POstquam in antecedentibus quatuor dissertationibus de crimine hæretificationis, variis μεθοδειαις, quibus male sani homines utuntur, tristissimisque effectibus hujus morbi satis egimus, exemplorumque inductione nostram sententiam confirmavimus, tempus jam est, ut partim in *causas* tanti mali inquiramus, partim vero ut salutaria *medicamina*, quæ ad illud reprimendum plurimum conferre possunt, in medium proferamus. Et *prima* quidem causa *hæretificationis* est *defectus accuratioris cognitionis rerum divinarum & humanarum.* Ignorantiam rerum divinarum *fœcundissimam* esse hæretificationis *matrem*, cum res ipsa declarat, tum vero omnium seculorum experientia satis manifeste docuit. Homines hoc morbo laborantes propter judicii imbecillitatem rectum de pondere articulorum religionis judicium ferre non possunt. Sæpissime tamen illi *primi* sunt, qui præcipiti impetu ad alios errorum accusandos feruntur. Quinam hostes erant acerrimi

erudi-

eruditionis veræ, quæ tempore *Reformationis* passim per Europam caput sustulit, quam vero *Monachi imperitissimi?* Quoties de iis conquestus est *Magnus Erasmus*, passim in libris suis, inprimis vero frequentissime in suis ad amicos datis literis? Neque inter Monachos solos quærendi hæretifices. Eheu! hoc malum omnes Christianorum familias & sectas pervasit, & ubique talium hominum numerus non est exiguus. Dices *doctos* potissimum ad hoc malum inclinare. At prima frons decipit multos: plurimi pro *doctis* habentur, qui confusam habent variarum rerum notitiam; multorum eruditio *Collectaneorum* numero absolvitur; multi in supervacuis per omnem vitam desudarunt, quæ nec judicium acuere, neque solidam eruditionem adferre possunt. Homines etiam tales, licet *eruditi* appellentur, leve a momento so distinguere raro possunt, & ubi nova quædam opinio de hac vel illa eruditionis theologicæ parte exorta est, quam cum suis opinionibus conciliare haud possunt, magnos statim clamores excitant, & *hæreses* deprehendunt, ubi alii, oculis etiam armatis instructi, nil tamen animadvertunt, hi similes iis sunt, qui certis anni diebus nati, *spectra* videre perhibentur. Vera eruditio comitem habere debet optimum, nimirum *sapientiam.* Ubi hæc deest, qualiscunque eruditio parum valet; imo sine hac utplurimum ita dicti eruditi in tenebris palpant, promptissimique sunt ad alios gravium errorum & hæresium postulandos. Sunt enim plurimæ scientiæ nobiliores, quæ ad accuratiorem rerum divinarum cognitionem multum adjumenti afferunt, quas qui ignorat, aut leviter perspectas habet, facillime in hoc malum incidit. Inter illas autem *primo* referenda est *philosophia* in genere, in specie *ars cogitandi.* Qui accuratiore cognitione philosophiæ imbutus est, *raro* in crimen hæretificationis incidet; inprimis vero *Logica* docet verum a falso, verisimile a certo, probe distinguere, præjudiciorum fontes detegit, efficitque, ut demum, rite perpensis aliorum opinionibus, accuratum & placidum de iis feramus judicium. Hujus artis cognitione destitutus, nondum satis lustrata vera diffidentis sententia, pericula in consequentiis quærit, & reperit; & licet ipsum systema rite perspectum non habeat, sententiam tamen suam *demonstratam* esse clamabit, licet veræ demonstrationis naturam minime intelligat; hinc ubi alter nil minus quam talem esse suam responsionem perspicuis argumentis docet, mire æstuat, & paratragrædiatur,

& ubi de religionis articulo etiam minoris momenti agitur, in dissentientem acerrime invehitur. Sed paucos eorum, qui eruditi appellantur, in hac disciplina probe versatos esse, experientia constat. Libere hoc fassus est *illustris Wolfius ὁ νυν ἐν Ἁγιοις*, inter primarios seculi nostri Philosophos merito referendus. In *Logica* sua, & quidem sect. 1002. in scholio adjecto ita dicens: *Maxima pars eruditorum nullius fere veritatis convicta est, cum & propositiones universales nonnisi per inductionem incompletam a posteriore inferunt, & genuinam demonstrationis formam ne confuse quidem norint, cum ne unicam quidem unquam expenderint: hinc mordicus defendunt, quæ nec satis intelligunt, nec sufficienter probare valent. Ex defectu attentionis peccant etiam eruditi primi ordinis, vel quod in sola notione demonstrandi confusa adquiescant, neglecta distincta ex Logica haurienda, vel quod sine probatione admittant, quæ probare debeant.* Hæc verba ill. *Wolfii*, ubi adduxisset *celeberrimus & doctissimus vir J. Jacobus Breitingerus, collega noster conjunctissimus, in dissertat. de vi argumenti, quod a consensu multitudinis duci solet*, pag. 18. sequentia addit: *Qui hæc forte liberius dicta existimabit, ille mihi attendat ad plerorumque Doctorum studia; quorum alii naturali Logica & confusa regularum cognitione contenti, in historica philosophiæ & superficiaria notitia acquiescunt; alii vero totam vitam in studiis transigunt, quæ aut tumultuaria lectione constant, aut memoriam tantum exercent, aut ingenium delectant, solida veritatis cognitione insuper habita; maxima vero pars impatientia laboris & studio famæ, cui inepte serviunt, nunquam uni rei intenti, per omnes librorum & scientiarum forulos oberrant & sterilem librorum reique literariæ cognitionem adfectant, passim omnia delibant & transiliunt ad adsequendam Polyhistoriam; paucis diuturna adsigitur meditatio.* Hactenus *eruditus* ille *amicus*. Et profecto experientia constat, studiosos plerosque, qui sanctioribus disciplinis vacant, (ut de aliarum disciplinarum cultoribus jam nihil dicam) leviter degustata arte cogitandi, ad systemata theologica legenda profilire; hinc fieri aliter non potest, quam ut leves errores a gravibus distinguere accurate non possint, sed *omnia argumenta* in systemate contenta pro *solidis* habeant, minutasque opiniones & hypotheses non minus gnaviter addiscere soleant, quam veritates maximi momenti; absoluto vero cursu academico vel scholastico, *sua persona indignum* judicant, *Logicam & disciplinas philosophicas* excolere

atque

atque evolvere. Hinc per vitam pessime ratiocinantur, & ubi ad nobiliores scientias tradendas admoventur, quælibet ipsis opinio ab ea, quæ a Præceptoribus suis, aut systematis quod legerunt conditoribus aliena, videtur *periculosa*, & sub quolibet lapide *scorpium* latere putant. Hæc postea discipulis suis sedulo inculcant, atque ita multorum animi ad *hæretificationis* studium exercendum præparantur & inflammantur. Exempla adducere odiosum esset. Ad solidam masculamque eruditionem theologicam requiri etiam *Juris naturæ* & *Ethicæ* philosophicæ pariter ac christianæ, præsertim doctrinæ de conscientia, varioque ejus statu, paulo exactiorem cognitionem, nemo sapiens negabit. Has vero disciplinas plerique, qui sacris operantur, aut negligunt plane, aut in generalioribus subsistunt præceptis. Inprimis vero superficiariam habent notitiam *conscientiæ*, *juris conscientiæ*, & *obligationis conscientiæ rectæ & erroneæ*; quod ex eo manifestum est, quod ubi quis errat, aut errare saltem existimatur, putent, hominem sine mora & *posse*, & *debere*, aliorum imperio obtemperare, atque eos idem jus & potestatem in conscientiam habere, quam habet *faber lignarius* in lignum, qui pro lubitu id secare securi potest. Hinc irascuntur, quando dissentiens ad *suam*, non vero ad alius conscientiam provocat, neque se mutare hactenus suam sententiam posse asserit; eum propterea statim *contumacem* esse clamant, quasi vero boni homines non videant, *dissentientem* retorquere facile hoc argumentum posse. *Nesciunt*, quam sit res *delicata* valde conscientia; ignorant, quæ vis sit idearum altissime mentibus infixarum; quam variæ sint, ut ita dicam, intellectus humani plicæ; quanto tempore opus sit ad examen instituendum inter ea, quæ a pueritia didicimus, & inter systema aliis plane principiis innixum. Hæc si cognoscerent accuratius multi Doctorum publicorum, erranti non irascerentur, sed misericordia contra potius illius tangerentur, & facerent, quod Medici præstare solent, qui ægrum non objurgant, aut verberant, ubi ad sanitatem redire statim non potest, sed patientes exspectant morbi felicem exitum. At hi, *animarum* scilicet *Medici*, plane aliter agunt. Hinc ex eadem conscientiæ accuratioris ignorantia & Juris naturæ neglectu, ubi argumentis adversus dissentientem nil promovent, sine mora *seculari brachio* tradendum hominem, quem in suspicionem *hæretici* adduxerunt, clamant, putantes, vel *metu* vel *verberibus* obtineri

posse,

posse, quod *syllogismis sæpe ineptis* hactenus obtineri non potuit. (*) Cum innumera in veteri & recentiori historia prostent hujus rei exempla, non opus est ea adduxisse. Huc merito referri potest etiam, quod plerique, qui sanctioribus disciplinis vacant, *historiæ ecclesiasticæ* monumenta ἀτερ παθων non examinent. Plerique compendii alicujus lectione sunt contenti. In his vero ut plurimum unus alterum sequitur presso pede. Ubi vero incidunt in ea capita, ubi auctor compendii de *hæreticis* prioris & sequioris ævi agit, omnia sine examine admittunt, fidem scriptoris non examinant, circumstantias personarum, quæ hæreseos postulantur, non serio scrutantur; hæretificem sæpe pro magno religionis defensore habent; eum laudant, celebrant, & in exemplum sibi proponunt; ubi quis suo tempore exurgit, qui eundem errare errorem videtur, quem antiquus aliquis scriptor defendit, eadem methodo cum eo utendum censent. Quod si vero aliquis suæ sectæ addictus haud contemnendis testimoniis & argumentis hæretificationis turpissimæ argui, imo convinci potest, tum hi homines irascuntur vehementer, æstuant, sudant, omnesque ingenii vires intendunt, ut a cervicibus *amantissimi viri* hanc *calumniam*, uti loquuntur, depellant, atque ostendant, pectus *nive candidius* nulla labecula fuisse commaculatum. Unde etiam maximo odio prosequuntur eos, qui vitia eorum in apricum proferunt, & detestandas artes, quibus hi vel illi *hæretifices* usi sunt, manifeste *produnt* & *taxant*. Denique huc accedit, quod plerique homines ad ingeniorum humanorum varietatem, educationem, institutionem, temperamentum, variumque & diversum vitæ statum, non attendant; cum tamen exinde facile constaret, *impossibile* esse, ut homines per omnia idem, ut de aliis scientiis & opinionibus, sic etiam de *religione*, sentiant. Profecto naturam generis humani mutare debent, qui postulant, ut omnes idem de quibusvis argumentis judicent. Atque hæc ignorantia jamjam a nobis exposita, haud postrema hæretificationis causa est.

II. De-

(*) Vide de hoc argumento le Journal Helvetique ad annum 1756. mensis Martii, in quo occurrit paralleliſmus inter orthodoxum persecutorem & hæreticum persecutione pressum.

II.

Defectus accuratioris cognitionis rerum divinarum utplurimum fidum comitem habet, nimirum *superſtitionem ſpecie religionis tectam*, (*) quæ *ſecunda* cauſa eſt mali, de quo agimus. In diſſertationibus noſtris, de *cauſis incredulitatis*, pluribus oſtendimus, ſuperſtitionem ſæpe in cauſa fuiſſe, ut multi in ipſum barathrum *Deiſmi* vel *Atheiſmi* inciderint. Jam vero hoc in loco oſtendemus, quantum illa valeat, ad maxime deteſtandas actiones exercendas adverſus diſſentientes. Nimirum ſuperſtitio nonſolum ſtultas & inſipidas de religione fovet opiniones, cultumque amat ridiculum, ſed inepte etiam putat, Deum nonſolum illum probare, ſed & velle, ut idem obſervetur ab aliis, & niſi id fiat, omnia media *legitima* & *illegitima* eſſe adhibenda, ad hoc obtinendum. Quo magis autem homo ſuperſtitione anili dementatus eſt, eo majori zelo abreptus eſt, nonſolum ſuperſtitioſos ritus ſolicite obſervandi, ſed & alios in ſuas partes pertrahendi, imo renitentes perſequendi, torquendi, & crudeliſſima morte afficiendi. Antiquis jam ſeculis Gentiles mutuo ſe proſequebantur odio, ob diverſum Deorum cultum. Teſtis eſt *Juvenalis Sat. XV. v. 33. ſeq.* Verba ſic ſonant:

Secunda cauſa hæreſificationis repræſentatur.

Inter finitimos vetus, atque antiqua ſimultas,
Immortale odium, & nunquam ſanabile vulnus
Ardet adhuc Ombos & Tentyra. Summus utrinque
Inde furor vulgo, quod Numina vicinorum

(*) Ipſi ſapientiores inter Gentiles ſuperſtitionem a religione probe diſtinguendam eſſe cenſuerunt. Poſſem multis teſtimoniis hoc, ſi neceſſe eſſet, comprobare. Sed duo loca CICERONIS nobis ſufficiunt. Libro I. de divinatione ait: „ Cum omnibus in rebus temeritas in aſſentiendo „ errorque turpis eſt, tum in eo loco maxime in quo judicandum eſt, „ quantum auſpiciis, rebuſque divinis, religionique tribuamus. Eſt enim „ periculum, ne aut neglectis iis impia fraude, aut ſuſceptis anili ſu„ perſtitione obligemur. „ Et magis ingenue Lib. II. ejuſdem Libri: „ Ut religio propaganda etiam, quæ eſt juncta cum cognitione naturæ: „ ſic ſuperſtitionis ſtirpes omnes ejiciendæ. “

Odit uterque locus, quum solos credat habendos
Esse Deos, quos ipse colit. Vide ad h. l. Interpretes. (*)

Sed non minor superstitionis vis erat, & adhuc est, inter eos, qui *Christiani* appellantur. Non brevis dissertatio, sed integra volumina mihi essent scribenda, si per secula eundo, quantum pestilentissimum malum, *superstitio nimirum*, *religionis nomine tecta*, in orbe christiano valuerit, verbis exponere vellem. Nam ut jam quidem de Gentilium vanissima superstitione captorum persecutionibus violentissimis adversus primos Christianos nil dicamus, quis nescit omni tempore Christianos in Christianos, omni humanitate posita, sæviisse? Quis nescit *bella* illa scilicet *sacra* contra *Saracenos*, sanctissimorum curiæ romanæ Pontificum auctoritate & nutu suscepta, in quibus ingentes strages nonsolum incredulorum, sed & Christianorum vix nomine hoc dignorum, a fide dignis scriptoribus recensentur? Quis ignorat, quanto cum furore Pontificii, egregiis scilicet monitis & consiliis *Cleri* inducti, adversus Protestantes sæverint? Cui ignotum est homicidium Regum *Henrici* III. & IV. in Gallia peractum, per homines sceleratissimos superstitione infernali in præceps actos? Cujus animus non horret, luctuque refugit, ubi ea legit, quæ in *laniena Parisiensi* acta sunt adversus Reformatos, & tentata adversus *Principes regni*, *conspiratione pulveraria* in *Anglia* suscepta? Cui ignota sunt, quæ superiore seculo adversus eosdem Reformatos in *Sabaudia* peracta sunt? Cui non constat quantum valeat nonsolum in *Europa*, sed & in *Asia*, *horrendum* illud & *infernale Inquisitionis tribunal*, quod a superstitiosissimis monachis inventum, & per eosdem a longo jam tempore non sine Christianismi opprobrio exercetur? Profecto tam execranda facta debemus *superstitioni specie religionis tectæ*, malo pestilentissimo. Hinc etiam factum est, ut quæstio orta fuerit inter viros eruditos, utrum *superstitio* potius quam *atheismus* magis sint nociva societati civili. Profecto, si ad exempla adducta attendamus, manifestum erit, superstitionem ita esse comparatam, ut longe majorem vim habeat, ad

(*) Inter selectas notas textui Juvenalis hujus loci edit. Henninii pag. 891. subjectas, Lubinus ad verba: Deos quos ipse colit; hæc interpretationis loco adjicit verba: „ Ein jeder Narr meynet er sey der klügeste, “

ad omnis generis crudelitatis crimina committenda, quam Atheismus. Saltem in historia non legimus, ab hominibus Atheis talia scelera commendata & perpetrata fuisse, qualia ab hominibus anili superstitione dementatis facta fuisse legimus. Sufficiebat iis, si inter cæteros mortales tolerarentur, quanquam pro ingenii, temperamenti & affectuum impetu & diversitate, ad vitia etiam magis vel minus proclives esse possint. Hoc certum, *Dominicum* inter *Sanctos* ab eccl. rom. *sancto Pontifice* relatum, societati civili & castæ religioni longe plus detrimenti intulisse, quam B. *Spinozam*. De hac quæstione vero data opera hic loci agere nolo. Videantur, quæ de ea utramque in partem adducta sunt a P. *Baylio*, *Bernardo*, *Barbeyracio*, *Clerico*, *Buddeo*, & aliis. Nobis sufficiat ostendisse, inter *hæretificationis* causas merito referendam *superstitionem*, *specie religionis tectam*. Uno fasce ea, quæ in hac thesi repræsentavi, complexus est vir *doctissimus*, qui *præfationem* versioni libri a *Tyndalo* scripti præmisit. Verba ipsa propter singularem ἐνεργειαν adduxisse juvat. Sonant autem ita: *Der Aberglauben ist zvvar von der vvahren Religion so vveit unterschieden, als der Schatten von dem Kœrper. Denn die vvahre Religion ist diejenige Art Gott zu dienen, vvelche mit dessen Eigenschaften und der Beschaffenheit der menschlichen Natur ybereinkommt. Der Aberglaube hingegen ist nur eine Gestalt davon, und bestehet darinn, daß man Dinge zu Gegenstænden oder Bevvegungs-Grynden einer gœttlichen Verehrung machet, vvelche es doch nicht sind. Nichts desto vveniger hat derselbe das Schiksal, daß er gemeiniglich, oder doch vvenigstens sehr oft mit jener vermenget oder vervvechselt vvird. Wenn Leute manchmal aus Unvvissenheit, oder einer gar zu grossen Leichtglaubigkeit, Dinge, vvelche bloß natyrlich sind, fyr gœttlich ansehen und dißfalls dieselben besonders verehren: Wenn sie einen heftigen Eifer fyr gevvisse Lehren, vvelche doch vveder zur zeitlichen noch evvigen Glykseligkeit der Menschen nothvvendig sind, ingleichen fyr gevvisse Gebræuche in Ansehung des æusserlichen Gottesdienstes, bliken lassen: Wenn sie aus Mißverstand, oder um etvvas besonderes zu haben, sich selbst eine eigene Art Gott zu dienen, vvelche vveder in der Vernunft noch Schrift gegryndet ist, ervvæhlen; so ist nichts gevvœhnlicher, als daß sovvol sie, als andere, ein solches Verfahren fyr die vvahre Religion selbst halten: Eine æusserlich bezeigte Verehrung gegen dasjenige, vvas man fyr gœttlich ansiehet; ein hiziger Eifer fyr eine eingebildete nothvvendige Wahr-*

heit; eine ſtrenge und ſorgfältige Beobachtung gewiſſer Gebräuche, die den äuſſerlichen Gottesdienſt betreffen, und die äuſſerliche Geſtalt einer beſondern Heiligkeit, welche bey dem erſten Anblik in die Sinne fällt, haben nämlich einen gröſſern Schein der Gottſeligkeit, als eine ſtille Ausübung der weſentlichen Pflichten der Religion ſelbſt: und daher iſt auch dieſer Schein um ſo vielmehr fähig die Gemüther der Menſchen zu blenden, daß ſie denſelben für die Sach ſelbſt annehmen. Es iſt unbeſchreiblich, wie viel Unheil und Elend dieſe Vermiſchung der Begriffe, des Aberglaubens und der wahren Religion, von undenklichen Zeiten her unter den Menſchen angerichtet hat. Sie iſt die Quelle geweſen von allen Verfolgungen, welche jemals die Menſchen ihrer Religion wegen ausgeſtanden haben. Sie hat verurſachet, daß viel unſchuldiges Blut vergoſſen, daß ganze Länder und Städte verwüſtet, und daß manche Geſchlechter und Familien unglüklich worden ſind. Sie hat zu vielen Unruhen und Empörungen Anlas gegeben, und manchmal zu der allergröſten Feindſchaft und Uneinigkeit zwiſchen verſchiedenen Völkern, zwiſchen Obrigkeiten und Unterthanen, zwiſchen Einwohnern von einer Stadt, zwiſchen Mann und Frau, zwiſchen Eltern und Kindern, und zwiſchen den nächſten Anverwandten den Grund geleget. Das erſchrecklichſte hierbey iſt dieſes, daß eben dieſe Vermengung der Begriffe, da man Aberglauben für Religion gehalten, die Menſchen ſo gar dahin gebracht hat, daß ſie ſich veſt eingebildet, ſie bewieſen einen beſondern Eifer für Gottes Ehre und die Wahrheit durch ſolche Handlungen, wobey ſie das vornehmſte Geſez ſowol der natürlichen als geoffenbareten Religion am meiſten übertraten, und von aller Menſchlichkeit ſich am weiteſten entferneten.

Dieſe betrübten Folgen und Wirkungen von einer ſolchen Vermiſchung des Aberglaubens und der Religion zeigen ſich auch noch öfters zu unſern Zeiten an verſchiedenen Orten, mehr oder weniger: nachdem nemlich der Aberglaube eine gröſſere oder geringere Gewalt über die Gemüther der Menſchen hat. Wie die Papiſten überhaupt geſinnet ſind, und wie ſie mit denen umgehen, welche Gott anders verehren, als es die Lehren und Geſeze ihrer Kirche haben wollen, und davon nur im geringſten abweichen, ſolches iſt bekannt genug. Bey den Proteſtanten iſt zwar durch die Religions-Verbeſſerung und nachhero ein groſſer Theil des Aberglaubens ausgemerzet worden. Sie verwerfen auch gröſten theils alle Verfolgungen wegen der Religion, und behaupten eine

Freyheit

Freyheit des Gevvissens. Dahin aber ist es mit ihnen noch nicht gekommen, daß nicht öfters ein blinder Eifer fyr eine gevvisse Partey, ingleichen der Haß gegen andere Religions-Vervvandten und mancherley Verspottungen derselben, fyr ein Styk der vvahren Religion angesehen vverden. Ja es geschiehet auch noch vvol zuvveilen, daß unter ihnen diejenigen, vvelche von den Sæzen ihrer Kirche in einem oder dem andern Styk abgehen, vvo nicht mit Lebens- doch mit Leibes-Strafen, mit Gefængniß, mit Geltbussen, mit Absezungen von ihren Bedienungen, und mit der Landesvervveisung beleget vverden. In dieser Absicht bleibet es also noch immer vvahr, vvas der beryhmte und sinnreiche Doctor Svvift in dem andern Theil des Mærchens von der Tonne schreibet. Wir haben Religion genug einander zu hassen, aber nicht einander zu lieben. Hactenus doctus ille Vir.

III.

Adducitur alia causa hæretificationis, nimirum superbia & præsumta fiducia, de arreptis semel a nobis de religione sententiis.

Inter causas tristissimi mali, de quo agimus, merito referas *superbiam*, vitium nempe illud, quo cogitata nostra, dicta, facta, & *eruditionem* nostram theologicam cumprimis, sive veram sive imaginariam, maximi facimus. Malum multis eruditis, inprimis *semidoctis*, familiare. Hi ubi ad aliorum labores & scripta oculos convertunt, sæpissime abjectissime de iis sentiunt, saltem, exiguum illis ponunt pretium. Hinc ubique in aliorum scriptis ampliſſimam reperiunt carpendi materiam. Putant insuper hujus commatis homines, cæteros scriptores omnes in eodem argumento occupatos, si saperent, suæ, *utpote optimæ*, sententiæ addictos esse debere. Peccant equidem in hoc casu omnium fere disciplinarum cultores; at inter V. D. Ministros & Theologos quammaxime hoc malum grassari, in aprico est. Cujus rei tot prostant antiquis pariter & recentioribus temporibus exempla, ut insitiari rem ipsam non possimus. Homines hoc morbo laborantes nonsolum lubentes *cum quibuslibet*, & *de quibuslibet* etiam disputare solent; sed & cedere nunquam volunt suis adversariis; quod si in certamine pergunt, incipit mens fieri nubila, andabatarum in morem pugnant, & ab *hæretificatione* sibi temperare amplius non valent. Cum hoc malo sæpe conjunctus est *livor* quidam, qui facile inter *Doctores* ejusdem *Academiæ* vel *Gymnasii* exoriri potest. Ubi unus alterum eruditione superat,

aut ſuperare exiſtimatur; ubi major eſt ſtudioſorum ad unum quam ad alterum conſluxus; ubi methodus tradendi theologiam (ut de aliarum diſciplinarum Doctoribus nihil jam dicam) diverſa plane eſt; aut quando unus hypotheſibus quibuſdam delectatur, quas alter averſatur, exiſtimans, illas aut nullis fundamentis eſſe ſuperſtructas, aut nullum vel exiguum valde uſum habituras, clamores excitantur, quaſi *Hannibal* eſſet ante portas. Hæc ubi occurrunt, elatiora ingenia vix quieſcere poterunt. Incipiunt primo tacitos duntaxat ſuſurros movere, in aurem aliis, quos conſentientes eſſe putant, dicere, mox theſin aliquam, ſuppreſſo nomine adverſarii, illi opponere, ita tamen, ut pulchre conſtet, quis petatur; mox rumor per urbem vagatur; ſtudioſi conſpiratis factionum partibus controverſiæ momentum in majus extollunt; & quilibet pro ſua vel potius Doctoris & Præceptoris ſui ſententia, ſive ea nova ſit vel antiqua, fortiter ſtat; tandem ignis latens in flammam erumpit, exoritur *bellum theologicum*, & acerrime in ſe invicem invehuntur; diſſentientibus odioſa imponuntur mutuo nomina, & arreptis quibuſcunque tandem armis ſtrenue depugnant, quamvis ſæpiſſime maxima de *nihilo* oriatur *hiſtoria*, quod erudite & belle oſtendit, ὁ μακαριτης cl. *Werenfelſius* in doctiſſimo libello de *Logomachiis Eruditorum*, quem omnibus optimarum literarum, Theologiæ cumprimis cultoribus, commendo. Quo magis autem intolerandum hoc malum animis eſt inſitum, eo majore etiam cum fervore animorumque contentione hoc bellum geritur. Vehementiſſimum autem eſſe ſolet, ubi illud inter *ita dictos Fratres*, qui eandem profitentur religionem, & communia ſequuntur ſacra, geritur. Norunt enim probe utrique altercantium, quali quiſque ſit in ſtatu, quo ingenio, moribus & eruditione ſit inſtructus, quales fautores & amicos vel adverſarios habeat; utra factio ſit potentior; & quæ ſunt alia, quibus quiſque ad adverſarium ſuum deprimendum & inviſum reddendum uti poteſt. Quale vero hoc viris modeſtis & pacificis, concivibus & ſtudioſis literarum, ſpectaculum exhibeat, & quid vulgus de his acerbiſſimo animo geſtis bellis judicare ſoleat, quilibet me tacente facile intelligit. (*).

IV. Ante-

(*) Superbiam & de arreptis ſemel religionis opinionibus præſumtam fiduciam inter cauſas hæretificationis eſſe numerandas, agnovit etiam reverendus & præſtantiſſimus Isac. Watts, in libello cui titulus:

IV.

Antequam ſtudium *orthodoxiæ*, tanquam *cauſam hæretificatio-nis* conſideramus, ante omnia, quid *orthodoxiæ* nomine ſignificetur, Præpoſterum neſt

Watts Betrachtungen yber den Vortrag der Lehre des Geſezes und Evangelii. Pag. 311. *verſ. germanicæ* ita ratiocinatur: *Die Eigenliebe, der Hochmuth, und eine eitele Einbildung von unſern eigenen Meinungen, ſind auch eine Quelle einer ſo liebloſen Auffyhrung. Hat man vvol jemals geſehen, daß blœde und demythige Seelen, die in Erkenntniß und Gefyhl ihrer eigenen Armuth und Unvviſſenheit ſtehen, und die bereit ſind andere hœher als ſich ſelbſt zu achten, dieſen liebloſen Gemythsneigungen nachgehænget haben? Ach aber! die elenden und thœrichten Menſchen ſind nur gar zu geneigt, ſich ſelbſt klyger und hœher zu halten als andere. Der erbœrmliche* Laudillus, *der faſt allezeit irret, hat viel Mybe, ſich zu yberzeugen, daß er auch im Stande ſey ſich zu betrygen. Er denkt bey ſich ſelbſt, daß alle ſeine Meynungen gœttliche Wahrheiten vværen, und daher iſt er ſo ſehr verſchvvenderiſch, alle Begriffe und Gevvohnheiten, ſo von den ſeinigen unterſchieden ſind, Irrtum und Kezerey zu nennen. Er nimmt ſich die Freyheit, ſich eine eigene Religion zu ervvæhlen. Allein er verſtattet niemanden, auſſer ſich ſelbſt, gleiche Freyheit. Er iſt verſichert, daß er Grund hat, anderer Meynung zu ſeyn als andere, aber niemand darf ihm vviderſprechen, niemand hat Urſache, gegenſeitigen Meinungen zugethan zu ſeyn. Er eignet ſich eine* Untryglichkeit *zu, ohne eine dreyfache Crone auf ſeinem Haupt zu tragen, und richtet einen pœpſtlichen Stuhl voll kirchlicher unumſchrœnkter Gevvalt an dieſer Seite des Meers auf. Er bringet einige* ſclaviſche Geiſter *zur Untervvyrfigkeit, und ſie vverden ihren eigenen Seelen und den Rechten der menſchlichen Natur treulos, da ſie ihren Glauben und Gevviſſen ſeinen herrſchſychtigen Befehlen aufopfern. Alsdenn vvird der Menſch ſtolz, hartnœkig und ſtrenge, abſonderlich vvann er zu* einiger Stuffe der Ehr und Gewalt in der Kirche erhaben iſt. *Alsdenn ybergibt er die demythigen und nachforſchenden Chriſten* dem Satan, *aus keinem andern Grunde, als vveil ſie allen und jeden in ſeinem Lehrgebœude enthaltenen*

scio cujus prætensæ orthodoxiæ studium, quartam absolvit hæreticationis causam.

est monstrandum. Nimirum hæc vox in bonam & malam nunc partem sumitur. *Laudabile* est hoc studium, quando per id intelligitur singularis cura veritates cœlestes, scitu necessarias & utiles, non solum cognoscendi, sed & easdem aliis rite tradendi, easque tuendi. *Laudabile* est, si is, qui amore harum veritatum incensus est, operam navat omnem, ut in cognitione veritatum omnium in S. Literis detectarum, sive eæ fundamentales sint, sive non, crescat, accuratioremque indies sibi rerum divinarum, theoreticarum & practicarum, comparet notitiam. *Laudabile* denique est hoc studium orthodoxiæ, si, qui hoc tenetur, semper gravia a momentosis, utilia a minus necessariis distinguit, in minus necessariis fratrem errantem forte æquo animo fert, illi non insultat, aut odio eum habet & persequitur; sed potius, propriæ infirmitatis memor, placide cum aliis agit, & quod sibi fieri vult, etiam aliis facit. Tale orthodoxiæ studium quin *laudabile* sit, nemo, cui sana mens est, dubitare poterit. Sine hoc nemo bonus Christianus, nedum V. D. Minister & Theologus esse potest. Ad hoc studium incitandi sunt auditores omnes publice & privatim; imo inter excellentissimas Theologi dotes referimus, si pectus ejus totum pervasit sincerum hoc *orthodoxiæ* studium. Sed quemadmodum vox *Tyrannus* quemvis legitimum Regem minime crudelem significabat olim: ita postea successu temporis cum severissime & crudelissime quidam sævirent in subditos, nomen *Tyranni* odiosum valde quin & execrabile evasit: ita similiter præpostero quorundam studio factum est, ut vox *orthodoxia*, communi plerorumque hodie sapientum judicio, *contemtui* sit exposita. Per *orthodoxiam* igitur, dum eam pro *causa hæretificationis* venditamus, intelligimus ineptum & ridiculum *studium*, omnes minutas pariter & parum profuturas opiniones & sententias, vel a nobis inventas, vel a Majoribus traditas, tuendi, defendendi, aliis tanquam salutares quammaxime & momentosas commendandi, inculcandi & laudandi; *studium* homines ab his recedentes malignis suspicionibus premendi, errores minimos exaggerandi, optimorum virorum

Sachen nicht Beyfall geben kœnnen. Er lehret vielleicht seine ältern Bryder die Lehren und die Zucht des Evangelii, wie Gideon, der die Aeltesten von Succoth mit Ruthen und Dornen aus der Wysten zychtigte. Ita reverendus *Watts*.

virorum meritis detrahendi, & promotioni illorum obicem ponendi, variis illicitis artibus ad aliis vitam acerbam reddendam utendi, atque ita pronuntiandi, quasi in ipsorum potestate situm sit, cœlum his aperire, illis vero claudere; denique existimandi, se, propter calidum illum fervorem in quibusvis defendendis, singulari privilegio *cœlitus communitos* esse aliis insultandi, se ipsos vero pro strenuis veritatis athletis venditandi. Ita vox hæc *orthodoxia hodie* plerumque sumitur, & ut hanc odiosam valde definitionem habeat, in causa fuerunt illi, qui consuetudinem quandam contraxerunt, ita, uti scripsimus, sentiendi & agendi. Hanc vero *orthodoxiam ridiculam* plane esse & *ineptam*, *legitimo* etiam *orthodoxiæ studio* contrariam, imo a *ratione* plane & *genio religionis* christianæ *alienam*, jam per partes, sed strictim tamen probabimus.

Ridiculam primo esse & *ineptam* hanc *orthodoxiæ*, tanquam singularis alicujus *privilegii*, legitimam usurpationem, sibi arrogare velle, nullis in medium prolatis rationibus, deprehendit quivis, qui vel ad definitionem *orthodoxiæ* communi usu receptam attendit. Qui enim se orthodoxum appellat, nihil aliud sibi vult, quam se de religione & præcipuis ejus capitibus recte sentire. Cum vero omnis homo, qui sensu communi non plane destituitur, idem de se testari possit, manifestum est, hanc appellationem *ridiculam* esse, quia hoc obtentu quilibet omnia sibi potest vendicare privilegia adsertæ veritatis, & quæ inde emanare solent, bonorum. Ita titulo hoc olim usi sunt *Gentiles* adversus Christianos; *Christiani* adversus eos, qui non omnibus suis effatis subscribebant; *Arriani* contra ita dictos *Catholicos*, *Catholici* adversus Protestantes & alias sectas; *Protestantes* adversus Romanenses; *Lutherani* adversus Reformatos, & ita viciſſim. Ex quibus simul patet, eos, qui ad orthodoxiam suam alios criminaturi identidem provocant, nihil lucrari, nihil veritati præsidii inde accedere, sed potius tales ab omnibus, qui sapiunt, risui exponi. Demonstranda est veritas articuli cujusvis religionis, & sine hoc omnis ille titulus orthodoxiæ vanus est.

2.) Sed nonsolum *ridicula* est hæc nescio cujus singularis orthodoxiæ *jactantia*, sed *odiosa* plane & *periculosa* est; quia sub hujus prætextu quælibet *factio* jura sibi vendicat *injustissima*, sæpe & aliis, innocentissimis licet, valde *detrimentosa*. Infinitorum exemplorum inductione facile hoc probari posse videt quilibet, qui quæ ante-

quam natus est, in ecclesiis gesta sunt, haud ignorat. Unum autem duntaxat adferam exemplum hujus jactatæ *orthodoxiæ*, *titulo* inter ipsos *Protestantes* usurpatum, cui innumera addere possem, si res non esset in vulgus nota satis.

Anonymus auctor libri, cui titulus: *Pensées libres sur la Religion, l'Eglise & le bonheur de la Nation*, pag. 193. nixus auctoritate Samuelis *Andreæ*, Professoris Theologiæ Marpurgensis, ejusque epistola gratulatoria & apologetica contra *Daniam orthodoxam*, *fidelem & pacificam Masii*, Professoris Theologiæ, sequentia refert: *Dans le tems d'Edouard VI. Lascus & Micronius étoient Ministres de l'Eglise Flamande à Londres. Forcés d'abandonner l'Angleterre après la mort de ce Prince, ils tachérent de s'établir avec leur troupeau en Dannemarc, mais les Luthériens les traverséren dans ce dessein, sous prétexte, que la doctrine de ces Ministres étoit condamnée par la Confession d'Augsbourg, & ils les obligérent de sortir de ce Royaume au milieu de l'hyver. Quelque tems après, Micronius, se trouvant à Hambourg, eut une conférence avec Westphalus, Théologien Danois, qui se servit du consentement des Eglises Saxonnes comme d'un argument invincible contre les Calvinistes. Micronius lui répondit, que si la vérité des opinions dépendoit du consentement de plusieurs Eglises, le Pape avoit cause gagnée. Le cas est différent, repliqua l'habile Luthérien; les Eglises Saxonnes sont la véritable Eglise de Dieu: & lorsque le Calviniste repartit, que l'Eglise n'étoit pas dependante d'un certain territoire, & que selon Luther lui-même, il n'y avoit point de sociétés chrétiennes, qui ne fussent sujettes à l'erreur; Westphalus coupa ce nœud gordien, en soutenant, que Luther n'avoit eu en vûë que l'Eglise Romaine, & non pas l'Eglise de Jesus-Christ. Micronius n'oublia pas de lui dire, que l'Ecriture Sainte est l'unique regle de la foi, & d'insister continuellement sur cette regle fondamentale de la Réformation. Il eut pour toute réponse: Voilà de beaux raisonnemens! il suivroit de là, que Sa Majesté Danoise, & tout le Sénat de Hambourg se fussent rendus coupables d'une grande faute, en faisant un décret contre vous. Songez seulement, que vous êtes condamnés par l'Assemblée d'Augsbourg.*

Ce qui sert de base à cette solution Gothique de Westphalus, est une maxime, qui regne dans toutes les sectes de l'Univers. Il n'y a point de païs, où le Clergé de la religion dominante ne s'efforce de faire passer pour crimes d'Etat toutes les opinions, quelques indépendantes qu'elles

soient

soient de la politique, qui sont contraires à son système; sur tout, quand il a de la peine à répondre aux argumens dont l'adversaire se sert pour les défendre. La preuve banale, que toutes les Eglises, soutenues par le pouvoir temporel, employent contre les adversaires, est par-tout à peu près la même. Elle tend toujours à mettre la divinité de la religion au niveau des sens, sans avoir le moindre égard à la raison. (*)

(*) Hujus WESTPHALI vitam nuper delineavit ARNOLDUS GREVE, Hamburgensis Pastor. Recensionem hujus libri dederunt inter alios, Auctores actorum Lipsiensium Germanicorum Parte 118. Auctor recensionis, postquam in cœlum sustulisset laudibus hujus hominis orthodoxiam, zelumque pro factione sua, pag. 762. hæc addit: *Viele Schriftsteller, welche die unmæßige Hize Westphals tadeln, rechnen ihm auch dieses als etwas grosses an, daß er die sacramentierischen Mærtyrer, des Teufels Mærtyrer nennet. Allein in dem Verstande, da ers genommen hat, und in dem Zusammenhange, in welchem sich seine Worte finden, kann man es wol hingehen lassen. Denn er machet mit Augustino einen Unterschied unter den gerechten und ungerechten Verfolgungen; er sagt: Es hætten die Sacramentierer nicht Ursache, sich über Verfolgungen zu beschweren, und sich als Mærtyrer zu rühmen, weil nicht die Strafe einen Mærtyrer macht, sondern die Ursache. Mysten sie nun bey ihren Schwermereyen etwan auch Verfolgungen leiden, sollten sie nur erst ihre Irrthümer ablegen, und zusehen, daß sie nicht als des Satans, sondern als Christi Mærtyrer leiden mæchten. Man siehet nicht, was in diesen Worten strafbar sey; denn es ja wol gewiß ist, daß der, welcher um seiner eigenen Verbrechen willen leidet, nicht als ein Zeuge Christi leide. So kann man ihn auch bey andern Stellen entschuldigen, und einen gesunden Verstand in seinen Worten finden. Denn daß die flychtigen Sacramentierer in den See-Stædten viel ausstehen müssen, und daß auch einige in Engelland und Frankreich die Lebens-Strafe erduldet, das wußte Westphal sicher und gewiß. Allein, weil sie wegen ihrer Irrthümer dergleichen verdienet, so waren sie vor Satanas Mærtyrer zu halten.* Obstupui sane cum hæc legerem, & vix concipere potui, qua ratione vir doctus & sapiens, in tanta Literarum luce, sententiam WESTPHALI ab omni humanitate alienam defendere tamen ausus sit. Et profecto nisi mihi constaret, a fratribus Lutheranis componi hosce libellos, recensionem

3.) Qui hunc titulum sibi vindicant, & morbo hoc laborant, solent utplurimum *optimos* quosque & *innocentissimos* viros gravium errorum reos postulare, & pro lubitu suo, *muscas* in *elephantes* mutare.

4.) Sol-

illam tribuissem Monacho Italo, tetra superstitione dementato. Quid enim magis ab omni charitate christiana alienum, quam hæc defensio Westphali, intempestivo & crudeli zelo abrepti? Si ex hoc judicio viri docti judicandum esset, quali erga nos Reformatos sint Lutherani animo, quid aliud colligere deberemus, quam hoc; eos, nos in maximas angustias conjectos, & sine omni culpa nostra persecutione dura pressos, loco auxilii e terris, quas occupant, ejecturos. An non videt vero vir doctus, recensionis hujus auctor, Reformatos eodem jure, si jus sit oppressis auxilium ferre nullum, uti posse erga Lutheranos, cum iisdem malis conflictantes? Profecto puerilis illa excusatio: Ego sum orthodoxus, tu non item: valet tantum inter idiotas, doctores umbraticos, & mulierculas. Docti ejusmodi ratiocinationem rident & detestantur. Aliter sane viri in ecclesia Lutherana eruditissimi & celeberrimi de hoc argumento sentiunt. Unum saltem hic adducam, nimirum Ch. A. Heumanni exemplum. Is in commentario in II. epistolam Johannis, hoc ipso anno in lucem edito, ad v. 10. & 11. ita loquitur: *Eine jede Erklærung, vvelche andern klaren Befehlen Christi und seiner Apostel vviderspricht, muß als falsch und unchristlich vervvorfen vverden. Wir vvollen einen Befehl Johannis nach dem andern betrachten. Einen falschen* Lehrer, *spricht er zuerst nicht nur zu der Cyria, sondern zu allen Christen,* nehmet nicht auf in euer Haus. *Er verbietet hiemit nicht, einen falschen Lehrer, vvelcher auf einer Reise in Hungersnoth gerathen, in sein Haus kommen zu lassen, und ihn zu sattigen, auch einen Reise-Pfenning ihm mitzugeben. Denn dieses erfodert die gemeine Liebe, die Liebe gegen allen Menschen.* Wenn deinen Feind hungert, *spricht Paulus Rom. XII.* 20. so speise ihn, *und Galat. VI.* 16. Erweiset Gutes allen Menschen. *Christus lobet Lucæ am X.* 33. *u. f. den Samariter, vvelcher den von Strassen-Rœubern ybel zugerichteten Juden in ein Haus brachte, und in demselben pflegen und curieren ließ. Es verstunden demnach diejenigen Johannis Befehl ganz unrecht, vvelche in dem sechszehenten Jahrhunderte meyneten, man mysse die aus Engelland der Grausamkeit der Papisten entgangenen Reformierten nicht einmal bis zu bequemer Abreise in der Stadt beherbergen. Vergaß man hier nicht*

4.) Sollicite circumspiciunt, ubi inveniant homines in omnibus partibus *receptæ orthodoxiæ* conspirantes, quos, quantum valent, nonsolum verbis extollunt, sed & omnem lapidem movent, ut ad ea evehantur munera, in quibus positi cum auctoritate quadam & successu minutas opiniones omnes propagare, & ad seram posteritatem transmittere possint. Iidem vero, ubi quem suspectum habent *heterodoxiæ*, (ad quod obtinendum sufficit, si non iisdem scriptoribus, quibus illi inhiant, delectatur) quantum in iis est, intercedunt, ne tales ad altiores dignitates provehantur. Mille hujus rei prostant exempla. Unum adduxisse juvat, quod in medium adduxit cl. Tubingensium Theologus D. *Maichelius*, in dissertat. *de jure Principis circa doctrinas publicas. Mater* (inquit) *Comitis Benthemensis, cum ageretur de celebri Gerardo Vossio, Steinfurtum ad professionem theologicam vocando, & Comiti laudato jam ab aliis eo nomine commendato*, dixisse fertur, *se non passuram, ut quisquam ad professionem illam promoveatur, nisi qui sit* UNDIQUAQUE ORTHODOXUS. (†)

die theure Lehre: Was du (*Lutheraner*) willst dass (*in gleichen Fællen*) dir andere (*die Reformierten*) thun sollen, das thue du ihnen auch. *Was dem reformierten Lehrer*, Lamberto Danæo, *vviederfahren, als er durch die Lutherische Stadt Strasburg reisen vvollte, erzehlet er selbst in seinen* 1583. *gedrukten opusculis theologicis pag.* 4060. *seq. Ich mußte*, schreibet er, *als ich* 1581. *nach Holland gieng, das theologische Professorat daselbst anzutreten, meinen Weg durch Genf nach Strasburg nehmen. Ich kam in diese Stadt gegen Abend, und hatte Frau und Kinder bey mir. Es vvar mitten im Winter, und es vvar zugleich Regenvvetter. Da man nun schon erfahren hatte, daß ich ankommen vvyrde, vvar allen Wirthen verbotten vvorden mich zu beherbergen. Ich zeigete diesen meine vvegen der Kælte und des Regens heulenden und schreyenden kleinen Kinder. Aber sie vvaren unbarmherzig, und ich vvurde bey allen Gasthœfen abgevviesen. Endlich erbarmeten sich yber mich und die Meinigen etliche Studiosi, vvelche uns in ihr Quartier aufnahmen.* Hactenus celeb. Heumannus.

(†) Vide de hac relatione paulo accuratiorem notitiam, quam suppeditat cl. CHAUFFEPIE, Lexici sui pag. 602. articulo G. VOSSIUS.

5.) Quia vero per rerum naturam fieri non potest, ut homines ingenio, temperamento, cultura studiorum, longe discrepantes in omnibus plane, licet ad summam rerum eandem profiteantur religionem, consentiant; fieri aliter non potest, quam ut homines illi *perperam* dicti *orthodoxi*, inter fratres in eadem academia publice docentes, lites excitent & alant. Hinc & aliis eos duntaxat commendant libros, atque scriptores, quos ipsimet magni faciunt, & male sentiunt de iis, qui aliorum lectione capiuntur. Ex quo facile patet, tales non posse non evadere *hæretifices*, auctoresque esse malorum, quæ ex hæretificatione necessario oriuntur. Interim dum pro quibusvis minutis opinionibus stant fortiter, & pugnant, *Deistis* & *Indifferentistis* amplissimam religionem cavillandi suppeditant materiam. (*)

V.

Huc accedit falsi nominis zelus.

Cum studio qualiscunque *orthodoxiæ tuendæ*, ut plurimum conjunctus est vehemens pro opinionibus, quas fovent hi homines, *zelus*,

(*) Consentit mecum jamjam citatus venerandus & præstantissimus WATTSIUS, qui libro citato pag. 312. sequentem in modum pronuntiat: „ Es „ kann dieses hæßliche Laster aus einer dritten Quelle hergeleitet wer„ den, und diese ist: Die bestændige und freundschaftliche Bekannt„ schaft mit Leuten und Bychern, so unserer Meynung sind, und hin„ gegen die Vermeidung aller derer Schriftsteller und Personen, die von „ uns unterschieden sind. Dieses hat einen mæchtigen Einfluß in die „ Zeugung und Unterhaltung liebloser Begriffe. Nichts destoweniger „ ist es doch die bestændige Gewohnheit, nicht allein der ungelehrten, „ sondern auch gar zu vieler von der gelehrten Welt. HERMES sizt „ das ganze Jahr in seiner Zelle, und siehet sich niemals nach seiner „ Bryderschaft um. HERMES liefet die Streitigkeiten nur, wie sie von der „ einen Parthey beschrieben sind, und streitet nur yber die zweifelhaften „ Fragen, so wie sie in den Schriften des einen Theils vorgetragen wor„ den. Er findet, daß die daselbst vorkommende Vernunftgrynde und „ die angefyhrten Schriftstellen grossen Schein haben, und denn ruft er „ aus, es sey unmœglich, daß die Gegenpartey eben so viel Vernunft „ und Offenbarung sollte zeigen kœnnen. Solchergestalt fahrt er fort, „ sie als Menschen von zerrytteten Sinnen, die in Absicht ihres Glaubens „ schon verworfen wæren, und welche die Schrift zu ihrer eigenen Ver„ dammniß verdreheten auszuschreyen. Cicero bemerkt und tadelt diese „ Gemythsart in seiner Abhandlung de Natura Deorum folgender massen: „ Vestra solum legitis, vestra amatis, cæteros causa incognita condem„ natis.

zelus, quem ajunt esse *zelum pro gloria Dei*; ubi sæpissime tamen deprehendas sub *nomine* hoc aliud plane latere. Antequam vero ex certis indiciis de prætextu hoc judicium feramus, negandum non est, dari aliquem zelum pro gloria divina *laudabilem* plane. *Talis* est, ubi quis examine accurato rerum divinarum instituto, nonsolum omnes ingenii nervos intendit, ut solidam habeat notitiam eorum articulorum, qui ad salutem consequendam, *secundum ipsius Soteris & Apostolorum decreta*, cognitu sint necessarii; sed & conscientiæ stimulis perpetuo incitatus, sedulam navat operam, ut auditoribus suis, & proximo cuique, easdem veritates frequenter commendet, inculcet, & gravibus argumentis insinuet. Tali *laudabili zelo* animatus is est *Doctor publicus*, qui, ubi videt sanctissimam religionem contemni, vellicari, generoso impetu incitatus, errorum & cavillationum fontes detegit; rationibus gravissimis cœlestem doctrinam defendit & tuetur, veritatem in tuto collocat, & omnes strophas adversariorum omni adhibita modestia & gravitate tollere nititur; sine cujusquam tamen insectatione. Tali *laudabili* zelo *armatus* est is, qui quicquid ad momentosas veritates illustrandas, probandas & tuendas; quicquid ad veritatem & pietatem commendandam, & altissime suo & aliorum animis infigendam facere potest, nullo labori pareit. *Tali zelo* præditus is est, qui omnem suam eruditionem, qua ornatus est, non impendit ad inutiles & parum profuturas quæstiones enodandas, ingenium suum ostentandum, ad controversias quascunque agitandas, sed eum unice in finem omnes ingenii nervos intendit, ut nonsolum ipsemet primo reddatur *melior*, *modestior*, & ad omnem virtutem magis *exammussitatus*; sed & qui singulari ardet studio eundem affectum in aliis excitandi, singulosque Christianos, si posset, ad meliorem frugem reducendi, idque publice & privatim, ubicunque potest, singulari animi contentione urget. Qui his virtutibus, & hoc studio cum ergase, tum adversus alios animatus est, idque manifeste demonstrat non indubiis indiciis, eum *zelo pro gloria Dei* flagrare, judicare possunt omnes, quotquot vera rerum pretia cognoscunt. Theologum hoc zelo animatum merito in cœlum tollimus laudibus, & inter seculi, quo vivimus, *ornamenta*, merito referimus, optamusque, ut singulæ academiæ, ecclesiæ & scholæ ejusmodi hominibus instructæ essent. At eheu longe aliter sentiunt, loquuntur & agunt, qui *inepto studio*

orthodoxiæ

orthodoxiæ, superius a nobis delineatæ, ostentandæ abrepti sunt. Horum hominum *zelum* non esse zelum *pro gloria Dei* manifestissime ita sæpe produnt, ut nonnisi *fatui homines* aliud sibi persuadere possint. Patebit hoc certis quibusdam characteribus, quorum unum alterumve repræsentabimus. *Primus* est; qui siniſtris adversus viros optimos & veritatis amantissimos suspicionibus captus est, & quæ sine optimo ab iis dicta sunt, siniſtre interpretatur, ut eos exosos reddat, *non Dei*, sed *superbiæ suæ* & *malitiæ* zelo abreptus est. Si quis ostendit, se non omnibus minutis de religione opinionibus & controversiis subscribere, neque singulari receptarum cæremoniarum veneratione tangi, in cæteris vero, quod *essentiale* est in religione & *cæleste*, magni facit, & tamen hoc non obstante ab orthodoxis illis & zelo pro *gloria* scilicet Dei animatis viris pro *Indifferentiſta* habetur, id est homine cui perinde est quamcunque sectetur religionem. Hoccine est indicium hominum *zelo pro gloria Dei inſtructorum?* Si ad probanda capitalia religionis capita omnes ingenii vires intendas, solidissimis utaris rationibus, neque Scholasticorum terminorum aut trivialium argumentorum omnium, quæ a quibusdam ex parum firmis S. Scripturæ testimoniis repetuntur, rationem nullam habeas, *Socinianiſmi* suspectus es hominibus qui *divino scilicet* zelo sese tactos jactitant. Quid hac in parte obtigerit *Erasmo*, *Grotio*, *Tillotsonio*, multisque viris excellentissimis & de religione christiana optime meritis, satis notum est, & in *secunda dissertatione de hoc argumento scripta*, *exemplis confirmatum*. At non vident *Zelotæ*, se hac ratione non tantum injuriam facere aliis, sed dum turpem maculam præstantissimis viris affricare volunt, religionem ipsam in contemtum adducere, atque ita *Socinianos* pro ἀκριβεςάτοις Theologis venditare? Si non omnia argumenta, quibus quidam existentiam Dei, ejus providentiam & immortalitatem mentis demonstrare solent, probas, *Atheiſmi* vel saltem *Deiſmi* te suspectum esse dicent, homines tam *nobili* scilicet & *pio zelo* animati. An non vident autem adversarium telum retorquere posse & dicere: Qui infirmis ad res maximi momenti probandas utitur argumentis, is vel ineptus argumentator est; vel *religionem in sinu videt*. Si asseris & contendis, libertati humanæ in rebus ad religionem spectantibus aliquid concedendum, neque homines similes esse alienis nervis mobili ligno, sed vi incitamentorum & argumentorum agere debere,

præmio-

præmiorum quippe & pœnarum capaces, titulo *Pelagiani* aut *Semipelagiani* te onerabunt, licet per omnem vitam forte horum hominum scripta nunquam inspexeris. Dic multa adhuc in theologicis disciplinis esse imperfecta, arctos esse scientiæ nostræ theologicæ limites, in interpretatione S. Literarum multa esse paulo obscuriora, in explicandis prophetiis earumque ad certorum temporum eventus applicatione multa dubia, *Scepticissimi* te suspectum esse dicent hi homines, tam *egregio* & *divino* plane *zelo* armati. Denique fac te acerrimo veritatis inquirendæ studio commotum, & generoso impetu incitatum, multas inanes distinctiones, longa consuetudine in his vel illis systematibus occurrentes, aut silentio involvere, vel quia ineptæ sunt, & adversariis eas vellicandi amplissimam subministrant occasionem, aut quia plane nullum usum habent, prorsus rejicere, *clamabunt* te *in cineres* (ut eleganti hac phrasi, quam adhibent hi *Doctorculi*, utar) *Majorum mejere*, hoc est pessimum committere crimen. Profecto qui homines, ita ratiocinantes vel potius paratragœdiantes, pro hominibus habet *sincero Dei zelo animatis*, ille nescit quid sit *zelus*, *religio* & *ratio*. Secundus est. Si homines rerum divinarum imperitissimi, nulla accuratiore religionis cognitione instructi, verique Christianismi ignari, nihilominus tamen homines præstantissimos, religionis sinceræ amore tactos, iniquis premunt suspicionibus, & ad eos persequendos omnes impendunt vires, manifestum est, eos *vero Dei zelo destitui*. Quis nescit vero, ignorantissimos & pingues monachos, omni solida cognitione religionis destitutos, & anili plane superstitione dementatos, aut innocuos plane homines, aut leviter errantes nonsolum *hæreseos* postulasse, & vehementer persecutos esse, sed & omni tempore effecisse, ut vario tormentorum genere torquerentur, & sæpe acerbissima nece adficerentur? An non potius furiis & *infernalis genii* auxilio, quam vero zelo *pro gloria Dei* animatos hos homines esse dices? Sed & præter *monachos* & *Inquisitores* zelo Dei non armati sunt illi inter *Protestantes*, qui cum præter systemata sua, quæ juvenes didicerunt, intelligant nihil, omnes tamen præceptorum suorum *distinctiones*, *hypotheses* & *minutas opiniones* deosculantur, præstantissimorum vero omnis ævi scriptorum libros non evolvunt, neque, (quod *periculosum* esse jactitant) *adversariorum* scripta rite perlustrant, & examinant, hoc tamen non obstante in quoslibet

dissentientes debacchantur, & acuto dente rodunt, eos persequuntur, aut saltem vitam illis acerbissimam reddunt. Ejusmodi autem homines veri nominis *pro gloria Dei zelo* non esse armatos, sed totum hunc zelum, quo ardent, zelum esse κατ' ἐπιγνωσιν, manifestum est. Tertius. Qui *vero Dei zelo* incensus est, ut supra dixi, ubi de *laudabili zelo* verba feci, quammaxime sollicitus est in tuendis iis veritatibus, quæ ad incrementum veritatis & pietatis plurimum conferre possunt. At hi homines, de quibus jam quidem agimus, non minus efferveseunt, non minus clamant, non minus paratragœdiantur, ubi de controversiis *exigui* vel *nullius* momenti agitur; ubi præceptorum suorum sententiæ impugnantur; aut pars aliqua systematis meris hypothesibus superstructi concutitur, quam si ageretur de summa totius religionis. Scilicet, si Diis placet, credendum est, tantum fervorem ex *solo zelo pro gloria Dei* exoriri, quasi vero Deo curæ sint quæstiones omnes *scholasticæ*, *grammaticæ*, *criticæ*, *historicæ*, aut *metaphysicæ*, quas si ignoraremus prorsus, religio non solum nihil pateretur detrimenti, sed & magis sæpe *simplex* esset, & magis ejus *pulchritudo* & præstantia eniteret. Quot quæso possemus enarrare controversias (ut de antiquioribus jam nil dicam) inde a temporibus *emendatorum Sacrorum* magno animorum æstu agitatas, de rebus minimi momenti, ubi tamen *utraque pars zelum pro gloria Dei* obtendebat, non sine religionis contemtu & bonorum scandalo? Legantur quæ hac de re collegerunt viri præstantissimi, *Pfaffius*, *Walchius*, *Arnoldus*, & plures alii. Quartus: Zelus pro gloria Dei in eo maxime elucet, ubi homines hoc zelo incensi pro *vera virtute* hominum animis insinuanda, & *vero Christianismo* cultuque *interno* promovendo quammaxime soliciti sunt, impedimentaque omnia felici progressui ejus obstantia e medio tollere nituntur, & contra ea *novis præsidiis* adhibitis, religioni verum suum decus & ornamentum conciliare & restituere nituntur. In his vero sæpe nostri *zelotæ frigidissimi* sunt, æquoque animo patiuntur, si in pejus omnia ruant; severissimi vero ubi de his vel illis *ritibus*, inutilibus licet & veræ pietati parum profuturis, *retinendis* agitur; nullam hic sæpe patiuntur mutationem, etiamsi omnium sapientum judicio necessaria esset, nihilque vero cultui divino, aut regulis honestatis obesset; hinc etiam si vel ad ostentationem, vel ad superstitionem, instituti vestitus sacri mutandi essent, facere id tamen, gravissimis

vissimis scilicet rationibus commoti, nolunt. Notum quid ante aliquot annos hoc in casu obtigerit in *Regno Borussiæ*. Ex eodem sine dubio *zelo* provenit, quod multi ex iis titulo Verbi Divini Ministri non sint contenti, sed *Legati Dei* appellari velint: „ Les Apôtres „ (*inquit Anonymus quidam*) étoient les Messagers de Dieu : Les Mi„ nistres de l'Evangile sont leurs successeurs; & par consequent il faut „ les appeller Messagers de Dieu. Mais ce même terme, qui signifie „ en grec Messager, peut être traduit aussi par Ambassadeur; & la „ plûpart des Ecclesiastiques, comparant à ce charactère respectable la „ dignité de leur ordre, sont d'opinion, qu'il vaut mieux les intituler „ Ambassadeurs de Dieu, que Messagers. & en général ils croyent un „ homme de leurs amis, à mesure qu'il a des sentimens favorables „ touchant leur rang, leur authorité & leur pouvoir spirituel. (*) Ex eodem fonte manat, quod sæpe ejusmodi homines, ubi cantus aliquis publicus longa consuetudine receptus, aut libellus devotionis mutandus esset, & ad meliorem doctorum & indoctorum ædificationem formandus, acerrime refragentur, & mutationem ejusmodi *periculosam* valde clamitent. Quis autem credat tales *puro pro gloria Dei zelo* tantopere efferveſcere? Quintus. De quæstionibus quibusdam & controversiis ubi agitur, manifeste produnt, se non pro gloria Dei, sed *Majorum* suorum, *suaque gloria* certare. Cum certissimum sit, Majores nostros, *Calvinum*, *Lutherum*, cæterosque religionis reformatæ Antistites errare, & labi potuisse, imo aliquando lapsos fuisse, atque hoc viri in cæteris veritatis amantes & candidi fateantur; nostri *zelotæ* vero magnis viribus repugnant, eosque, qui talia asserunt, *heterodoxias* suspectos reddere volunt. Ex quo manifestum est, eos non pro *veritate*, sed pro *Majorum*, cum qua *suam* conjunctam fore firmiter sibi persuadent, gloria certare. In eo vero homines illi parum sibi constant. Nimirum recentiorum sæpe evolverunt systemata, & ea duntaxat laudant, quæ a recentioribus Doctoribus, quorum vestigiis insistunt, reperta sunt. Quod si quis musteas illas & novas opiniones concoquere non possit, v. gr. *Coccejanas*, *Cartesianas*, *Wolsianas* &c. isque asserat *Majores nostros* simplicius longe de hisce argumentis locutos, præstareque eorum hac in parte sequi vestigia,

(*) Verba hæc extant pag. 363. in libro cujus titulus: Pensées libres sur la religion, l'eglise & le bonheur de la Nation; traduites de l'Anglois du Docteur B. M. Impressus est Hagæ Comitum 1722.

relicta *antiquorum Doctorum* auctoritate, *Modernos πυξ και λαξ* defendunt, neque *tanta luce Majores nostros* superfusos fuisse, ut illis semper vacivas aures præbere debeamus, manifeste fatentur, atque adeo non pro *Majorum*, sed *præceptorum recentiorum gloria & auctoritate* pugnant. Hinc pro temporum *spatio*, & doctrinæ in scholis tradi solitæ *diversitate*, horum hominum sententiæ, & *exinde ortus zelus*, mutari solent. Vide quæ *dissertat. quarta* de hoc argumento in medium protulimus. Sextus. Denique manifestissimis indiciis sæpe hi homines produnt, se non tam osores esse *sententiarum religioni inimicarum*, quam vero *hominum*. Hoc duplici argumento innotescit. *Prius* est, quod homines, *sua opinione* errantes, & quidem *graviter*, non argumentorum pondere & evidentia, modestiaque in viam veritatis reducere tentent, sed in contemtum eos adducere omni virium ope nitantur. Hinc solent eos cum invisis hominibus, i. e. *hæreticis* antiquis pariter & recentioribus comparare, & ita invidiam contra errantes excitare; quod si *vero zelo* aliquo non dicam pro gloria Dei, sed pro *gloria sua vera*, essent animati, profecto a titulis hisce, qui nihil probant, abstinerent, & de dissentientis errore revincendo toti essent soliciti. *Posterius* ex eo manifestum est, quod cum quorundam hominum novas opiniones vel erroneas vel innocentes magno fervore impugnent, & quasi de Patriæ salute ageretur, dimicent, facili tamen animo vitia & errores ferre possint in iis, quos *orthodoxos* appellant, id est, per omnia cum systemate, quod ipsimet sequuntur, consentientes: Id quod fieri non posset, si *puro* duntaxat pro *gloria Dei zelo* animati essent. Confer cum hisce *τυ μακαριτυ celeb. Werenfelsii orationem de vero & falso Theologorum zelo*, *Clerici Parrhasiana*, *Heumanni dissertat.* aliosque plures.

VI.

Præjudicatæ opiniones multum etiam faciunt ad hæretificationis vi-

Præjudicia, quibus plerique mature satis imbuimur, multum conferre, ad multas erroneas opiniones arripiendas, notum satis & exploratum est omnibus. De iis in genere, causisque, unde oriuntur, data opera hic agere nolumus. Dispiciemus duntaxat, qua ratione *ea*, ad *alendum* & *promovendum* hoc malum, *hæretificationem* puta, de quo agimus, plurimum conferant. Et (1.) quidem constat,

ſtat, primas de religione ſive vera, ſive falſa opiniones, altiſſime ut plurimum mentibus inhærere, atque creſcente ætate confirmari. Jam vero Doctores publici cuicunque religioni addicti, ſuas de religione ſententias non tantum tanquam *ſalutares* commendant, & laudant, quod ferri poſſet; ſed eas ſæpe ita repræſentant, quaſi *ſolæ illæ* eſſent, quæ nobis *portam ad cœlum* aperirent. Hinc ita ratiocinantur; *ſanctiſſima noſtra religio* hoc vel illud *credendum* præcipit vel vetat, ergo iſtud præſtandum vel omittendum: ubi vulgus, & qui ei ſimiles ſunt, nunquam intelligunt (nec forte ipſe Paſtor) *religionem chriſtianam ipſam & ejus decreta denotari*, ſed utplurimum *eam*, quam amplexus eſt ipſe Doctor. Poſito ſemel hoc principio, homines acie ingenii deſtituti, varia nectunt conſectaria. *Primum* eſt: Omnes opiniones, quas eccleſia in qua vivimus, & cui nomen dedimus, tradit, ſanctiſſime eſſe cuſtodiendas, & tenaciter retinendas; neque de ulla earum ſine periculo ſalutis æternæ dubitari poſſe: quod ſi quidam ſcrupuli adverſus has vel illas partes religionis in animis exoriantur, eas tanquam *Diaboli ſuggeſtiones* eſſe conſiderandas. *Secundum:* Has ſententias omnes, *licet non examinatas*, non tantum eſſe retinendas, ſed & πυξ και λαξ defendendas contra quoſcunque. Cumque vel ipſi docentes nullum diſcrimen ſæpe faciant inter *levia* & *momentoſa*, vel ſi faciant, a vulgo non intelligantur, exorta in eccleſiis lite etiam de rebus minimis, ſtrenue eſſe *clamandum* & *decertandum* pronuntiant. *Tertium:* Fas eſſe odiſſe viros alii religioni addictos, utpote a *ſola ſanctiſſima noſtra* religione alienos plane. Cum enim ſua opinione omnia tam aperta ſint atque clara & indubia, quæ profitentur & memoriæ mandarunt, fieri aliter non poſſe exiſtimant, quam ut qui a nobis diſſentiunt, aut verum nunquam examinarint, aut veritati pertinaciter reluctentur. *Quartum:* Cum illorum opinione iis ſit duntaxat patens cœli porta, qui ſecum ſentiunt, cæteris vero occluſa; omnibus viribus eſſe annitendum, ut homines miſericordia quadam non prorſus indigni ex inferni eripiantur faucibus, id eſt in ſuas partes pertrahantur. Occaſiones ergo cum iis diſputandi quærendas, omneſque ſanctiſſimæ noſtræ religionis *partes & partium partes* ſerio ipſis eſſe ingerendas & repræſentandas; quod ſi nobis vacivas præbeant aures, & dociles ſeſe monſtrent, laudandos & encomiis eſſe cumulandos; ſi vero argumentis argumenta opponant, ſuaſque opiniones

tium alendum & promovendum.

pertinaciter tueri velint, tum licitum esse tales pro *hæreticis* habere, atque, quicquid sanctissimus pro gloria Dei *fervor* deposcat, præstare. *Primo* quidem, *errantes* vel *dissentientes* ad ordinis ecclesiastici viros esse deferendos; at ubi non resipuerint, tanquam *sacræ matri inobedientes filios*, non argumentis, sed pœnis esse coërcendos. Nemo non videt, quam facile homines his imbuti opinionibus & præjudiciis, ad *hæretificationem* proni sint. Quam rari autem sunt in omnibus Christianorum sectis, qui ab his opinionibus & methodis cum dissentientibus agendi recedant? Et si qui sunt, qui naturali ingenii bonitate de dissentientibus in causa religionis benigne sentiunt, neque cito ad iram & indignationem rapiuntur, sed de iis benigne esse judicandum clamant, quo loco utplurimum illi habeantur a *vulgo Ecclesiasticarum* & *Semidoctorum*, notum est. Plerique sane, qui moderata & pacifica consilia in medium proferunt, *suspecti sunt*, & tanquam *tepidi* religionis receptæ, ut nil gravius jam dicam, *æstimatores* traducuntur. Vera esse quæ dico, deprehendent omnes, qui quæ inter homines hinc inde geruntur, & gesta sunt, animadvertunt. Confirmantur plerumque homines in his opinionibus per alios, consuetudinemque eorum quibuscum vivunt, qui eandem canunt cantilenam. Pondus his addunt sæpe Doctores sacri & Oratores, qui vehementer detonare solent in dissentientes, eorumque errores exaggerant: ubi plebs & semidocti id audiunt, effervescunt, metu quodam corripiuntur, & ubi incidunt in homines a receptis publice opinionibus recedentes, statim eos tanquam homines *pestiferos* valde aliis repræsentant, & odiosa iis imponunt nomina. Imo sæpe ignorantia & stupore fieri solet, ut qui *unam* tantum *sententiam* hominis aliorum opinione graviter errantis approbat, reliquis omnibus subscripsisse censendus sit. Huc accedunt librorum parum utilium *promiscua lectio*, & *Doctores publici*, quibus præjudicia illa vehementer confirmantur. Incidunt sæpe mature adolescentes, etiam non contemnendi ingenii, in libros theologicos nonsolum nullo ordine instructos, & gravibus argumentis destitutos; sed & tales, ubi opiniones dissentientium non sunt rite propositæ, nervi argumentorum legitime non repræsentati, leve a momentoso non satis distinctum; imo tales sæpe, ubi religioni auctores non ducunt, infirmiora argumenta adversariorum adducere, neglectis & silentio involutis gravioribus & evidentioribus quibus utuntur.

Hinc

Hinc fieri aliter non potest, quam ut illi, qui meliora non legerunt, sed in iis adquiescunt, quæ in talibus libris tradita sunt, per omnem vitam fallantur, & *Doctores umbratici* & *hæretifices* evadant; his si accedat *auctoritas docentis*, caperata fronte semper ingeminantis: *Hos libros cave legas mi discipule, latet enim in illis pestiferum virus; nimis clarus est hic auctor & subtilis; facile strophis suis incautos in suam sententiam pertrahit*, & quæ sunt hujus furfuris alia, confirmantur illi quibus mens læva est. Consilium horum Doctorum non improbarem, si ita loquerentur cum adolescentibus, gravioribus disciplinis nondum excultis. Probe enim initio studii theologici antea omnia tales studiosi scire debent fundamenta illius religionis, quæ publice, ubi nati sunt, recepta est: promiscua auctorum diversæ sectæ addictorum lectio eos plus turbaret, quam adjuvaret: at ubi theologiæ cultor, ingenio & eruditione pro ætate satis instructus, frequenter ingeminari talia audit, tantum abest, ut Doctori suo vacivas præbeat aures, ut potius singulari desiderio ejusmodi libros conquirat & diligenter evolvat; ubi deinde sæpe fieri solet, ut nonsolum præceptorem suum contemnat, sed & majori impetu in *dissentientium* sententias inclinet. Cum vero longe maxima pars eorum, qui sanctiores literas colunt, ob ingenii tarditatem & defectum φιλοπονιας, in præceptorum sententiis adquiescant, eantque, qua itur, non qua eundum est, mirum non est tales tandem *hæretifices* evadere, & ab opinionibus suis per vitam non dimoveri. Denique multum ad hoc confert, quod ab *uno* vel *altero* Doctore publico vel privato, præpostere ratiocinante & causam suam male tuente, de *universo cœtu religioni huic addicto judicium ferant*. Audiverunt forte apud exteros degentes S. Theologiæ cultores hominem aut superstitioni pravæ addictum, impudenter religionis nostræ decreta impugnantem & damnantem; vel alium liberius de religione in universum loquentem, & quidem contra principia sectæ, quibus addictus est; vel denique morosum quendam hominem innocuas opiniones vehementer impugnantem; hinc colligunt, omnes, qui huic *familiæ* addicti sunt, pariter esse animatos. Hinc ubi illis aliquando provincia controversias publice tractandi tradita est, vehementissime & promiscue invehuntur in cœtus illos publicos & Doctores illius. Mirumne est tales, qui dissentientium libros non evolverunt, neque familiariter usi viris eruditis & sapientibus

tibus horum cœtuum, pravis præjudiciis captos ad crimen *hæretificationis* valde propendere, & vix ac nevix a fervore, quo agitantur, retrahi?

VII.

Neque parum promovet hoc vitium studium inclarescendi, quod multorum doctorum & semidoctorum occupat animos.

In dissertationibus nostris de *causis incredulitatis* ostendimus, *studium inclarescendi*, famamque inter eruditos obtinendi, sæpe effeciſſe, ut multi in graviſſimos errores inciderint, eosque magno suo periculo pertinaciter defenderint. Jam vero ostendemus, idem studium homines ad *hæretificationis* crimen perpetrandum facile inducere posse. Quemadmodum nimirum illi, qui nomen aliquod inter famosos incredulos obtinere volunt, defendere solent opiniones portentosas & a communibus sententiis Christianorum abhorrentes; ita ab altera parte multi studium omne in eo collocant, ut *nomen hominis*, pro quibusvis, etiam minimi pretii veritatibus, & hypothesibus, in gremio ecclesiæ, cujus membrum sunt, receptis, quammaxime soliciti & in minutiſſimis etiam severiſſimi, obtineant. Nimirum hi homines exiguo eruditionis apparatu ut plurimum instructi sunt, eoque nomine humo se tollere non possunt, at ardent tamen cupiditate inter suos inclarescendi, atque *statoris veritatis*, *usu* scilicet *receptæ*, famam consequendi. Cum autem fieri non possit, quam ut in ecclesiis, in quibus vivunt, & in exteris etiam, multæ opiniones & hypotheses defendantur, *novæ* aliquando, licet *innoxiæ*; ampliſſimam sibi datam occasionem existimant, incredibile suum, quo in verum tuendum se ferri clamant, ostendendi studium. Igitur novas opiniones & hypotheses leves, quæ *salva orthodoxia* defendi possent, strenue impugnant, in circulis omnibus, ubi plebis & hominum indoctorum maxima turba est, de rebus illis garriunt; nonnunquam etiam in ipsis *concionibus sacris* de hisce verba faciunt, & tanquam de re maximi momenti ageretur, paratragœdiantur. Imo aliquando collegia habentur contra fratres, uni eidemque confessioni addictos, quod occasione litium inter *Cartesianos* & *Coccejanos*, *in Belgio* excitatarum, factum esse, non sine scandalo bonorum omnium, historia tradit.

2.) Hæ

2,) Hæ lites vero, licet vere eruditorum judicio omitti facile possent, saltem tanta animorum contentione agitari non deberent, utplurimum magnas excitant tragœdias; cum quia inter fratres eidem religioni addictos agitantur, tum quia ab iis exercentur plerumque, qui ignorant, quid in Theologia *leve* & *momentosum* sit. Quod si vir vere doctus partes componere diffidentes in animum inducat, male consulit famæ suæ, quandoquidem cedere neutra pars vult, quia, si Diis placet, utraque pars de certitudine suæ sententiæ persuasa est. Hinc Theologum pacificum & sapientem nauseant nostri bellatores, eumque neque *frigidum* neque *calidum* esse dicunt. Quid contigerit *celeb. Witsio*, cujus scripta hodienum magni æstimantur, pacificatoris personam agenti inter *Coccejanos* & *Voëtianos*, notum satis est.

3.) Augetur utplurimum malum, quandoquidem semieruditorum turba est maxima, vere sapientes rari. Illos defendit numerus, junctæque, ut ille ait, umbone phalanges; unde semper probabile est; hyperaspistas istos victoriam reportaturos, cæteros vero causa casuros. Quid in omnibus conciliis, excepto apostolico, sive antiquioribus sive recentioribus factum sit, abunde ex historia ecclesiastica patet. Veritas suffragiorum numero æstimatur, post breve autem temporis intervallum tota mutatur sæpe scena. Ita olim in Belgio *Coccejani* (ut alibi jam hoc monuimus) a cæteris omnibus, solis nempe orthodoxis premebantur; post aliquot annorum decursum, ubi illi *victores* erant, *Coccejanismo non faventes* vehementer impugnabantur, quod ex iis cummaxime manifestum fuit, quæ contra *Joncourtium*, *eruditum Theologum Gallum*, in Belgio acta sunt. (*) Qui principes sunt in novis hypothesibus impugnandis, elapso brevi temporis spatio, reque ἀπερ παθων examinata, pro Doctoribus umbraticis venditantur, & risui ex-

(*) Libellus a JONCOURTIO conscriptus Hagæ Comitum 1708. editus est, sub hoc titulo: „ Lettre de Mr. de Joncourt aux Eglises Wallones „ du Païs-Bas, où il leur rend compte de ce qui s'est passé dans le dernier „ Synode de Nimegue, au sujet des Entretiens sur les diverses méthodes „ de ceux qu'on appelle Coccejens & Voëtiens dans les Provinces Unies. „ Avec le jugement du Synode sur ce livre, & la retraction de l'auteur „ en consequence de ce jugement. "

ponuntur. Interim tamen manifestum est, bonos homines *studio inclarescendi* inductos, & de rebus minoris momenti acriter decertantes, *hæretificationis* crimen valde promovere, quod ex *imaginariorum prœliorum* historiis, a viris doctis descriptis, abunde satis patet.

VIII.

Alia causa hujus mali repræsentatur. Nimirum favor quo sæpe utriusque ordinis viri hæretifices prosequuntur.

Denique etiam huc multum conducit, quod Principes *rerumpublicarum & ordinis sacri* nimis cito *vacivas aures præbeant zelotis, & clanculariis calumniatoribus, qui vel innocentes plane, vel leviter errantes gravibus suspicionibus onerant*, iisque ultra modum indulgeant. Nimirum hac ratione animos addunt hominibus illis, & oleum addunt camino. Profecto si viderent tales susurratores, parum se criminationibus suis clandestinis lucrari, imo potius invisos reddi, multi præstantissimique viri minime gravarentur malignis suspicionibus, & tot mala, quæ ex *hæretificatione* oriuntur, abfutura essent; ingenia vero præstantia magis magisque excitarentur ad eruditionem masculam promovendam, animisque veritatis studiosorum instillandam & infigendam. At sunt eheu! contra multi *utriusque ordinis viri*, in omnibus cœtibus Christianorum, qui sæpe in sinu gaudent, & maximam voluptatem capiunt, si legunt & audiunt ita dictos *fratres in Christo conjunctissimos* sese mutuo lacerare, mordere, variis calumniis proscindere, ignorantiæ, stuporis, maledicentiæ, arguere, & omnia illa pleno ore effundere & effutire, quæ atra bilis suppeditat. Ita autem agendo incipiunt rixosi *crisias tollere*, sibi plaudere, rixandi & calumniandi lubidinem pro *veritatis & pietatis zelo* venditare, aliosque ad inanem disputandi pruritum excitare, atque ita *hæretificationis studium* augere. Profecto si contra utriusque ordinis viris gravissimis nonnisi in deliciis essent *viri vere eruditi, sapientes, pacifici, moderati animi studiosi*; si facile paterentur rixosos homines aceto italico perfundi, contemni, in numerum Doctorum umbraticorum referri, & muneribus illis excludi, quæ rixis & contentionibus ansam præbere possent: si hoc facerent, inquam, sat scio, indies magis atque magis numerum contentiosorum & hæretificum valde *imminutum* iri.

IX. Sed

IX.

Sed pergo ad ultimam hujus mali causam aperiundam; quæ est, *controversiarum de quæstionibus inutilibus nimia multitudo.* Magnum esse controversiarum theologicarum numerum apertum satis est, neque quisquam, qui rerum theologicarum non plane ignarus est, diffitebitur, inter eas plures esse *levis ponderis* atque *nullius plane aut exiguæ utilitatis.* Quantum autem detrimenti hæc multitudo religioni & pietati afferat facile deprehenditur, & eheu! tristis experientia omnium temporum satis confirmavit. Sed nobis breviter quidem & respectu habito ad argumentum, quod tractamus, agendum hic est. Et (1.) quidem hic numerus ingens controversiarum ipsam religionem christianam adducit in contemptum, profanisque eam contemnendi ansam amplissimam suppeditat. Plures enim exinde colligunt, nil esse *in religione certi*, sed de religionis articulis omnibus utramque in partem disputari posse, cum illi ipsi, qui per totam vitam theologiæ excolendæ operam dederint, tam vehementer inter se dissentiant; præstare ergo aut parum aut nihil credere, sectarique ea, quæ verisimilia videantur, de qua re, quia alibi prolixius egi, plura non addam. (2.) In systematibus multis, & ita dicta *theologia polemica*, multæ leves & parum profuturæ controversiæ reperiuntur, quæ aut prorsus ignorari & silentio involvi potuissent, aut ex *historia ecclesiastica & literaria* peti, siquidem eas cognoscere aliquis necesse esse putaret, possent. In systemate nostro *Heideggeriano* syllabus controversiarum ultra *tercentas* extenditur, quarum longe maxima pars abesse posset, sine detrimento theologiæ studiosorum & religionis. Imo sæpe fieri solet, ut capita religionis christianæ minus momentosa, v. gr. de decretis Dei, de lege forensi & cæremoniali Hebræorum, &c. *æque prolixe* tractentur, ac capita de existentia Dei, de veritate religionis christianæ, & alii gravioris momenti articuli. Hinc fieri aliter non potest, quam ut debilioris judicii studiosi, *momentosum* a levi distinguere non valentes, existiment, in promiscua illa & numerosa controversorum articulorum cognitione *summam veræ eruditionis theologicæ* consistere, strenueque omnibus illis controversiis addiscendis incumbendum esse; quæ opinio quanta mala omni tempore post se traxerit, tristis docet experientia. Sæpe insuper fieri solet, ut divinæ sapientiæ cultores incidant in libros

eorum, qui *mordaces* atque *disputaces* sunt, qui quæstionum & controversiarum *momenta in majus extollunt*; qui dissentientium argumenta aut *prorsus silentio involvunt*, aut ita *repræsentant*, ut putes eos homines esse *nullo ingenio* instructos & artis ratiocinandi imperitos plane. Sæpe denique publici Doctores adolescentes, nondum vera rerum theologicarum pretia cognoscentes, sed *disputaces* tamen & *inani superbia tumentes*, in cœlos tollunt laudibus, neque obscuris verbis significant, tales olim ecclesiæ orthodoxæ *lumina evasuros*, religionem in tuto collocaturos, atque utriusque ordinis Præsidum laudes & remunerationes consecuturos. Quis autem rebus ita comparatis miretur, si *hæretificum numerus* indies magis magisque incrementa capiat, atque *umbratieorum Doctorum turba* in ecclesiis caput tollat?

DISSERTATIONIS DE CRIMINE HÆRETIFICATIONIS, EJUS CAUSIS ET REMEDIIS.

Pars VI. & ultima.

SECT. I.

Progressus fit ad media, quæ malo huic obicem ponere possunt.

Postquam in antecedentibus thesibus, pro instituti nostri ratione, præcipuos fontes *hæretificationis* deteximus; tempus est, ut *media* adferamus malo huic tollendo, aut saltem minuendo idonea. Quanquam enim fieri non posse credam, ut malum hoc radicitus e cordibus hominum evellatur, reprimi tamen & imminui posse experientia testatur. Doctorum certe publicorum, Theologorum inprimis est, sanctiorum disciplinarum cultoribus *mature* ea inculcare, quæ animos adversus pestilens malum præmunire possunt. Et *primum* quidem remedium *adversus* gravissimum vitium est, *cultura acuratior disciplinarum philosophicarum*, quo nomine etiam *Jus Naturæ & Ethicam* intelligi volo. Harum ope nonsolum addiscimus præjudiciorum fontes & sophismatum variorum causas, sed & quid ad *demonstrationem veram* requiratur, varioque probabilitatis gradus distinguendi methodum pulchre docent: *Hæ* monstrant, quanta sit ingenii humani in cognoscendis divinis & humanis

manis rebus imbecillitas; quam anguſti mentium humanarum cancelli; quam frequenter in optimorum etiam virorum mentes irrepat error; quam facile verborum æquivocatione, nimia feſtinantia, auctoritate alium, ſuperbia & φιλαυτια a vero retrahamur. *Hæ* oſtendunt, quam ſit verum inveniendi in abſtruſioribus rebus via difficilis, quantiſque impedimentis obſita: harum diſciplinarum ope diſcimus, quam ſint argumenta ab *invidia* petita *ridicula*, *inepta*, & *viro honeſto indigna*: quanta opus ſit attentione, in dijudicandis & rite expendendis aliorum opinionibus; quam difficile ſit, ubi de diſſentientibus agitur, animo a pravis ſuſpicionibus alieno plane ſententias ipſorum ponderare. Partes denique harum diſciplinarum, morales inprimis, animos potius ad modeſtiam, pacis ſtudium, & commiſerationem erga errantes, quam ad eorum oppreſſionem inducunt, & *optima* certe contra hæretificationem ſuppeditant *media*. Et profecto, qui animum convertit ad auctores plerarumque infauſtarum litium, cito deprehendet, eos diſciplinas illas nobiliores parum cognoviſſe, præſidiisque ad legitimum examen inſtituendum deſtitutos fuiſſe, iraque & ambitione corruptos, neglectis genuinæ ratiocinandi legibus, ad judicandum de aliorum ſententiis acceſſiſſe. Per me ergo aliquis hæreſium matrem appellet philoſophiam cum *Tertulliano*; ego potius eam *præſervatricem* & *expultricem* tutiſſimam eſſe crediderim contra infauſtum & peſtilens *hæretificationis* ſtudium. Unde non poſſum non hac occaſione omnes S. theologiæ ſtudioſos monere, ut antequam ad rite cognoſcendam theologiam animos adjungunt, diſciplinas philoſophicas rite ſtudioque ſummo excolant, elapſoque curſu academico rurſus eas diligenter expendant. Sine his enim futurus V. D. Miniſter vel Theologus in tenebris verſabitur, *andabatarum* in morem pugnabit adverſus adverſarios, *Doctoriſque umbratici* in certaminibus perſonam tuebitur. Plura non addo, quia in antecedentibus, quæ huc faciunt, adducta ſunt.

II

Secundum medium repræſen-

Qui calido hoc ſtudio fervet, alios, quos errare putat, emendandi, & in catalogum hæreticorum referendi, bene & prudenter agit, ſi is ante omnia omnem diligentiam adhibet & ſolicitudinem,

cum

tum ad edomandos proprios animi adfectus, tum ad ea discenda, quæ ad salutem cognitu & præstitu sunt necessaria. Quod ad *priorem* partem hujus moniti & medii spectat, nonsolum æquum sed & necessarium est, ut quis ante omnia sui ipsius gerat curam, mentemque a pravis adfectibus purget, antequam de curandis aliis laboret. Natura pravorum adfectuum docet, vix aliquo cum fructu cum dissentientibus disputari posse, nisi suppressis pessimarum inclinationum fomitibus. O quam bene egissent innumeri controversiarum minutarum tractatores & *hæretifices*, si misso studio dissentientes redarguendi, & in suas sententias pertrahendi, tempus pretiosissimum in emendatione pravorum affectuum, quibus obnoxii erant, posuissent; profecto ita melius sibi fuissent consulturi, & tot lites & contentiones absuturæ fuissent. Ut id fiat suadet theologicorum studiorum, & officiorum quæ V. D. Ministro incumbunt, ratio. Qui cum fructu theologico studio vacare vult, præter humaniorum litterarum, artis criticæ & antiquitatum peritiam, nobiliores philosophiæ partes percurrere debet. Tenetur is nonsolum religionis suæ systema probe intellexisse, sed & aliorum de religione sententias præcipuas perspectas habere, graviſſimorumque errorum fontes nosse, & speciosa, quibus utuntur adversarii, argumenta accurate cognoscere. Necesse insuper est, ut ethicæ christianæ præcepta, præprimis vero officia V. D. Ministro incumbentia, altissime animo suo sint infixa. Denique in evolvendis primis ecclesiæ christianæ monumentis, & terendis commentariis criticis & philologicis, a viris doctis ad illustrandum Vetus & Novum Testamentum conscriptis, quammaxime sedulum oportet esse Verbi Divini Ministrum. Quam longo vero ad id rite exequendum spatio temporis opus est? Quam pertinaci & indefesso studio & labore opus est, ad non *mediocrem gradum* in his studiis obtinendum? Quem in finem igitur, cum tot & tanta præstanda sunt, ad minutas aliorum opiniones examinandas & impugnandas sese adjungit V. D. Minister vel Theologus, inprimis ubi videt a dissentiente nil novi, sed centies recocta in medium proferri, taliaque, quæ nullum detrimentum bonis moribus afferunt. Si noster *bellator* officio V. D. Ministri in urbe vel agro rite defungitur, longe *gravioribus* & *magis necessariis* est districtus curis, quam ut parum profuturas tractet controversias; nimirum perpetuum est illi cum variis vitiorum generibus bellum, contra quæ omni argumentorum

tatur adversus hæretificationem.

mentorum vi & virium contentione depugnare debet: visitandi ægri & moribundi: tradenda & jugiter inculcanda sunt juventuti prima religionis elementa: habendi ad populum sermones sacri, qui, si debita industria conscribuntur, tempus requirunt non exiguum. Idem dictum velim de officiis, quæ Professoribus Theologiæ incumbunt. Adde tot negotia varia, quæ neque prævideri, aut per honestatem & conscientiam evitari facile possunt. In hoc rerum statu, qualis dementia est, cum nulla postulet necessitas, studiose quærere dissentientem, cum quo ferram disputationis reciprocare possis? Majorisne momenti sunt illæ controversiæ, quam officia jamjam descripta? Num talis coram Deo excusari potest, qui gravissimum munus non sine detrimento sæpe animarum sibi concreditarum negligit, & ad agitandas alienas & parum profuturas provolat controversias, nullos triumphos habituras? Profecto ejusmodi homo, si vel maxime error non esset levis, ante omnia pectus suum excutere debet, examinando, utrum ad adversarium suum rite & solide refutandum *sufficientibus* sit instructus *viribus*; utrum necesse sit, ut ipsemet primus adversarium aggrediatur; utrum tempus hoc permittat nec ne, & quæ sunt aliæ circumstantiæ. Quod si quis, quæ dicta sunt, serio expendat, haud facile inducetur, ut ad novas & innocuas opiniones refellendas animum inducat, aut dissentientem infestis armis aggrediatur, illum exosum reddat, eorumque numerum adaugeat, qui *hæreseos* suspecti sunt. Conferendæ cum his quæ diximus, binæ *meditationes* τῶ μακαρίτῶ celeb. *Werenfelsii*, in quarum *prima* agit de *scopo Doctoris*, *in academia S. Literas docentis*. In *secunda* vero examinat quæstionem: *Utrum habitus theologiæ, qui debet esse in Ministro Ecclesiæ, an qui esse debet in Doctore academico, plura requirat.*

III.

Affertur tertium medium.

Inter ea, quæ *contentionum & hæretificationis studium* in animis hominum supprimere possunt, etiam hoc est; si *nimirum publici Doctores in suis systematibus minutarum controversiarum nullam faciunt mentionem, aut ἰσοριας duntaxat causa, & quasi aliud agendo earum memores sunt; sed gravissimis veritatibus probandis & tuendis duntaxat sunt intenti.* Necesse est, ut hoc faciant, cum propter

propter ipsos S. Literarum cultores, tum propter dignitatem argumenti, quod tractare debent. Primo enim adolescentes hactenus id, quod leve & momentosum est, in religione nondum satis cognoscunt; hinc ubi innumerarum controversiarum in systematibus recensio fit, facile contingere potest, ut singulas ζηλω pertractandas putent, præsertim si auctor systematis, quod non raro fieri solet, singularum sed levissimarum opinionum momenta extollit. Sat est, si cursu temporis S. Theologiæ cultor ex *historia ecclesiastica* & *literaria* historiam harum vel illarum exortarum contentionum ediscit. Accedit, quod, ubi hoc non evitatur, adolescentes fiant *disputaces*, *sibi suffeni*, ad omnem novam opinionem impugnandam *incitati* & *parati*, putantes, se hac ratione lumina ecclesiæ & orthodoxiæ fulcra evasuros. His nunquam bella & certamina desunt, sed cum quo certent, fervidæ illæ mentes semper habent. Ubi vero semel hoc ardore incensi sunt, nullum vere medium supereſt, ex animis illorum vitium hoc eradicandi. Postulat autem insuper *dignitas religionis* & præstantia summa veritatum gravissimarum, ut Theologi amputatis minutis opinionibus, in iis toti sint occupati materiis, quibus salutares veritates cum *theoreticæ* tum *practicæ* animis *auditorum* insinuantur. Profecto res adeo non facilis est, ita sacrarum Literarum cultores instituere, ut ipsimet gravissima religionis capita possint explicare, solidis argumentis probare, & contra adversarios etiam doctos vindicare, quod tamen necesse est, nonsolum ut ipsimet de his sint veritatibus persuasi, sed & ut suo tempore auditoribus suis easdem veritates rite tradere & commendare possint. Profecto Professores, qui hoc negligunt, contra conscientiæ & prudentiæ leges peccant. Quod si vero videant S. Literarum cultores, quanto studio & meditatione opus sit, ad gravissima & momentosissima illa capita rite tradenda, tempus in minutis controversiis tractandis non conterent, nedum ad alios refutandos & impugnandos erunt proclives. Ad hoc multum etiam conferre potest, si Doctores publici, Theologi præsertim, singulares quasdam hypotheses, quas deamant, non nimis urgeant, aut pretium earum extollant. Nimirum vix datur *academia* aut *gymnasium illustre*, in quibus Doctores publici per omnia consentiant; sed prout quisque aut nactus est Professorem, aut libros evolvit, vel propriis meditationibus intentus sin-

gulares quasdam hypotheses excogitavit, ita etiam tales suis discipulis commendare solet; quæ quidem ferri facile possent, quoniam ita cum ingeniis humanis comparatum est, ut per omnia in singulis opinionibus convenire non possint. Pessimum vero hoc est, quod singulares illas hypotheses & opiniones tanquam *res pretiosas valde & utiles* extollant, eos, qui istas aspernantur, tanquam homines *nullius ingenii* traducant, & ita inter discipulos ipsos *factiones* excitent. Hinc fieri solet, ut, si novitatis specie sese commendent tantopere deprædicatæ opiniones, eæ nonsolum per vitam serventur, & successu temporis pro *parte orthodoxiæ* habeantur, sed & tanquam tales corpori systematis theologici inserantur. Has *adjectitias opiniones*, si quis postmodum admittere non vult, suspectus habetur & erga *Majores* ingratus homo, quanquam certissimum sit, ante lustra quædam, musteas opiniones excogitatas, vixque olim ab iis qui veræ doctrinæ adhærebant, toleratas fuisse. Ita semper eadem luditur fabula. Quæ lites & contentiones exortæ sint in Belgio & alibi, occasione *Cartesianismi* & *Coccejanismi*, nemo ignorat. De quo tamen non semel nos egisse meminimus in *hisce dissertationibus*. Similem eventum habitura esse systemata theologica ad *illustris Wolfii* mentem concinnata, filii nostri (nos enim de hisce soliciti haud sumus) sentient. Prudens ergo Theologiæ Professor, siquidem certæ quædam hypotheses sive antiquæ sint sive novæ, ipsi arrideant, eas ultra modum non extollet, nedum cum contemtu judicabit de aliis Doctoribus publicis & collegis, qui eas magni non æstimant: iidem vero vicissim eas non ridiculo fastu & tanquam *periculosas* repræsentabunt, aut *publicis scriptis* impugnabunt, sed discipulorum arbitrio permittent, utrum iis album calculum adjicere velint nec ne. Potius vero ante omnia *eruditi* & *sapientes* Doctores auditores suos frequenter hortabuntur, ut nihil sine examine admittant, veritati solæ victas dent manus, ut *essentialia* potissimum religionis capita potius quam *accessorias opiniones* & *hypotheses* addiscant, minutarumque opinionum *examen* in adultiorem ætatem transferant, aut plane missum per omnem vitam faciant; & rejectis omnibus *factionibus* & *pravis suspicionibus* mutuum amorem alant, dissensum illum in rebus minoris momenti æquo animo in *fratribus* ferant, sibique persuadeant, sive *novas*

hypo-

hypotheſes repudient, vel ament & defendant, ipſos propterea neque *doctiores*, neque *ſapientiores* a viris eruditis æſtimatum iri.

IV.

Studium tolerantiæ, tanquam quartum antidotum adverſus hæretificationem commendatur.

Inter media vero *efficaciſſima*, quæ animo meo occurrunt, ad *exitialem hæretificationis pruritum* reprimendum, foret hoc ſine dubio, ſi mature ſatis Præceptores & Doctores publici *tolerantiæ*, *divini illius dogmatis*, *ſtudium de meliore nota ſuis auditoribus commendarent*, & *infinita incommoda*, *quæ ex intolerantia oriuntur*, *vivide repræſentarent*. De hoc dogmate data opera hic agere animus non eſt, partim quia hoc argumentum ſingulatibus libris a Viris doctiſſimis eſt excuſſum; partim quia in prioribus de hoc argumento ſcriptis diſſertationibus pro inſtituti noſtri ratione ſatis de eo egimus. Strictim igitur tantum indigitabo præcipuas rationes, ad quas attendere debet Doctor publicus, hoc argumentum rite pertractaturus. Et 1.) quidem auditoribus ſuis monſtrandum eſt, quam ſit illud *tolerantiæ* & *pacis ſtudium neceſſarium* & *utile*; quam *aptum* ſit, ad impediendas innumeras lites & contentiones, & linguarum prælia; *quam arcte conjungat fratrum animos*, eoſque adducat, ut miſſis minoris momenti diſceptationibus ea conjunctis viribus agant, quæ ad cœleſtem doctrinam explicandam & inſinuandam, & ad regnum Jeſu Chriſti ampliandum facere poſſunt; quam *utile* & *neceſſarium* ſit hoc *ſtudium*, ad eccleſiarum & rerumpublicarum ſalutem & tranquillitatem conſervandam & alendam, & quæ ſunt generis hujus plura alia. Et profecto ſi ſalutaribus conſiliis vacivas aures præbituri eſſent homines, jam in his terris imaginem haberemus felicitatis, quæ inter beatos locum habitura eſt. Dices: talem conſenſum & animorum æquabilem conformationem inter *ſuavia ſomnia* eſſe referendum. Non abnuo, ſi ad præſentem ſtatum animorum, docendique ſacra methodum animum convertas. Sed non quæritur, utrum fieri poſſit, ut homines idem de ſingulis articulis religionis ſentiant nec ne: hoc tantum diſceptatur, utrum homines, non obſtante illo de religione *diſſenſu*, *amice* nihilominus & *pacate* inter ſe mutuo vivere poſſent, ſi mutuam pacem & tolerantiam colerent. Atqui hoc ego inter τὰ ἀδύνατα minime refero: quid enim me cogit

tandem, ut alium a me dissentientem odio habeam, aut illi insultem propterea tantum, quod ille de religione aliter sentiat, quam ego? Pone dissentientem gravem tueri errorem, & talem quidem quem exitialem ipsemet putem; profecto nihil ego præstare possum, quam ut istum *argumentis solidis*, si fieri possit, ei eximam, melioraque ipsum edoceam: quod si forte allatis omnibus rationibus meis se victas dare non posse mihi manus adserat, nihil mihi reliquum est, quam ut Deo ipsi negotium permittam. Profecto multa in moralibus pro ἀδυνατοις habentur, quæ talia non sunt. Ad me quod spectat, neque *Gentilem*, neque *Turcam*, neque *Judæum*, vel *Christianum longissime a me dissentientem* propter religionem odio habeo, aut male illi cupio.

II. Repræsentandum auditoribus nostris *neminem sponte errare*, sed homines instituta inter ideas menti obversantes comparatione, ubi nexum inter eas deprehendere vel non deprehendere putant, propositionibus assensum præbere vel non præbere. Fieri quidem potest, ut quis *ostentationis* causa malam causam contra animi sui decreta defendat; at hæc simulatio duntaxat est erroris, non vero spontaneus assensus. Profecto in religionis negotio homines *inviti* utplurimum errant, & errori adhærent etiam tanquam *veritati*. Neque quæritur, utrum non plurimi errantium examine instituto accuratiore errorem, quem profitentur, deprehendere possent; hoc enim non negamus; sed asserimus duntaxat, hominem *dum errat*, atque in eo statu permanet, invitum errare, atque adeo *misericordia potius* tangi erga errantem nos debere, quam illi irasci, aut ignominia quadam vel pœna eum afficere. Ubi infantes, pueros & puellas fabulas narrare audimus, & inepte ratiocinari, ridemus, neque propterea duriter tractamus, quia scimus eos jam quidem ob ingeniorum imbecillitatem aliter judicare non posse. Jam vero homines plerique confirmatæ ætatis, *pueris* similes sunt. Inter mille vix unus est, qui in *veritatem serio* inquirat, aut *religionem, in qua natus est*, ἀτεϱ παϑων examinet; eunt plerique quo itur non quo eundum est, & antecedentium turbam sequuntur. Alii propter causas, quas hic enarrare nolo, examen instituunt religionis; at ita, ut ea præponderent semper, quæ desideriis suis & opinionibus cum lacte quasi materno hausti satisfacere posse videntur.

videntur. Quicquid sit, homines qui errant, quibus tandem ex causis id fiat, *invitos* errare, ponere debemus, atque adeo etiam *tolerantiam* adversus eos exercere.

III. *Maxima ingeniorum diversitas discipulis nostris probe est repræsentanda.* Nimirum ab ipsa nativitate inter homines deprehenditur maxima respectu omnium facultatum, mentium humanarum *diversitas*, quæ ex primigenia constitutione cujuslibet mentis oriri videtur. Videmus certe gemellos, uno eodemque fere tempore natos, etiam ante omne tempus educationis & institutionis, diversis viribus mentis instructos esse; unde etiam judicii, memoriæ & propensionis diversa est ratio: accedente deinde educatione, institutione, & diversa variorum scriptorum lectione fieri aliter non potest, quam ut in varias & a se invicem discrepantes sententias incidant. Hoc cum in omni vitæ genere locum habere facile advertamus, mirari non debemus, si in rebus ad religionem spectantibus idem eveniat. Qui uni eidemque sectæ in summa rerum addicti sunt, ubi ad particulares quæstiones explicandas deventum est, in diversa abeunt, & qui hoc prohibere vellet, ingenium humanum mutare deberet, quod impossibile est. Sæpe ubi legimus vel videmus dari innumeros homines inter ipsos Christianos, qui turpissima sunt dementati superstitione, taliaque credunt & colunt, quæ adversa fronte cum principiis rationis & revelationis pugnant, excandescimus, & horrore quodam corripimur; at ubi ponimus, nos in *Italia*, *Hispania* aut *Lusitania*, ut de aliis locis nihil dicamus, natos & educatos esse, & superstitionem a teneris annis imbibisse, aliorumque exemplis ad ita sentiendum & agendum inductos, & præsidiis melioribus destitutos fuisse, perit omnis illa admiratio, & odium erga misere errantem, & incipimus *misericordia* potius horum hominum tangi, quam vero abominatione. Accedunt insuper tot circumstantiæ in vita humana, quibus homines a veritate retrahuntur, & contra in erroribus confirmantur, ut omnibus rite expensis non possimus non aliis a nobis in religionis negotio dissidentibus ignoscere, iis bene cupere, omnibusque mediis uti, quæ ad eos tolerandos facere possunt. Hæc si rite adolescentibus, & mature satis a Doctoribus publicis repræsententur, dubium non est, quin ad *tolerantiam* & *moderati animi studium* hac ratione incitentur & quasi trahantur.

IV. Atque hoc eo magis valebit, si observemus, errantes existimare, *se recte de religione sentire*, *nos* contra, qui aliter judicamus, *errare*. Quidquid igitur de nostra orthodoxia dicimus, quantiscunque eam extollimus laudibus, id omne sibi vendicant; & vicissim quodcunque jus nobis adversus errantes vendicamus, eodem privilegio esse se instructos clamant. Pessimum in hoc negotio est, quod nullus in his terris occurrat infallibilis judex, qui dissidentes componere, & in animos hominum potestatem suam exercere possit; nam ille qui *Romæ* sedet, & se in *aula* sua *infallibilem* controversiarum *judicem* perhibet, ridetur ab omnibus qui sciunt, quid ad solidam persuasionem hominum animis ingenerandam requiratur. Aut si infallibiles illi Petri successores, errores ex animis tollere, & plena in luce veritatem collocare possunt, cur tandem statim post Christi Soteris nostri discessum viventibus adhuc Apostolis exortas in primitiva ecclesia *enormes hæreses* & *portentosas opiniones ex ecclesia christiana non proscripserunt?* Dic aliquem Sodes, dic *Quintiliane* colorem? Cum igitur simile jus habeat vel habere sibi videatur errans, ac is qui recte sentit, manifestum, quam *inutilis* sit & *culpanda hæretificatio*, & quam iniquas leges adversus semetipsos ponant illi, qui aliis propter religionem, *tanquam hæreticis*, insultare volunt.

V. Sæpe auditoribus suis Professores publici repræsentare debent *innumera mala*, quæ ex vitio *hæretificationis* emergere solent, eaque cum incommodis, quæ modesta tolerantia excitare dicitur, conferre. Postquam auditoribus suis ponderosis argumentis ostenderunt, quam *pestilens* sit hæretificationis studium; quod *nullum jus* habeant homines potentissimi & sapientissimi in aliorum conscientias; quam stultum & malignum sit, odiosis titulis & pœnis omnis generis adficere velle homines aliter quam nos de *religione* ratiocinantes, & quæ alia huc pertinent. Ex historia ecclesiastica veteri & recentiore in compendio repræsentandæ sunt, violentissimæ Paganorum adversus Christianos, inprimis vero Christianorum erga Christianos factæ persecutiones, exilia, tormenta, proscriptiones, neces, cum omnibus circumstantiis, quæ quidem per legitima testimonia solide probari possunt; & dubium non est homines, quibus triplex circa pectus æs non est, aut quibus cor adamante quovis durius non est, auditis tam inhumanis & barbaris actionibus,

bus, horrore quodam & deteſtatione adverſus *perſecutiones* omnes correptum, & ad deteſtandam hæretificationem inductum iri. Monſtrandum eſt autem illis inſuper, ſemel poſita & conceſſa in diſſentientes *perſequendi libertate*, nullos terminos neque cancellos reperiri poſſe, quibus tanto malo occurri poſſit. Hæc vero exempla non ſunt ſimpliciter enarranda, ſed ſimul oſtendendum, ejuſdem criminis reos eſſe, quotquot deteſtandis his artibus utantur, ſive *orthodoxi*, ſive *heterodoxi* appellentur. Reſpondendum ſimul eſt ad incommoda, quæ ex tolerantia oriri dicuntur, & quæ mature ſatis a quibuſdam Doctoribus in hoc argumento non ſatis verſatis, inculcari audiverunt. Strictim (quoniam ipſa materia ampliſſima eſt) igitur, quid iis regerendum ſit, breviter duntaxat repræſentabo. Nimirum communis eſt multorum ordinis eccleſiaſtici & politici virorum ſententia, conceſſa cuivis libertate conſcientiæ, nullisque adhibitis adverſus diſſentientes pœnis, innumeras exorituras eſſe in rebuspublicis, imperiis & eccleſiis turbas, quæ vix ac ne vix ſine adhibitis publicis pœnis ſedari poterint. Inductione denique exemplorum ſuam ſententiam probare volunt. Ingeminandum igitur eſt Doctoribus publicis, (*a*) multa dari incommoda in eccleſiis & rebuspublicis, quibus prorſus tollendis hominum conatus non ſufficiant. *Errare* & *peccare* humanum eſt. Adverſus utrumque malum præſto ſunt egregia media, ſed quæ penitus tollere id non valent; agendum ergo hoc, quod licitum eſt, morboque curando accommodatum. (*b*) Illi qui a recepta publice religione recedunt, ſuasque opiniones tuentur, non ſunt dicendi *auctores turbarum*, ſed illi, qui eos ferre nolunt. Conſtat id exemplo *primorum Chriſtianorum* & *Reformatorum*. Primi Chriſtiani novam profecto & a Gentilium plane diverſam intulerunt mundo de religione ſententiam; & excitatæ ſunt hac occaſione *turbæ*. Sed quinam earum auctores? *Quis primus turbavit aquam?* Profecto non Chriſtiani, qui nihil aliud agebant, quam ut Chriſti doctrinam publice proponerent, & commendarent. Gentilibus nec voluerunt, nec potuerunt inferre vim. *Turbarum* igitur auctores erant ipſimet *Gentiles*, qui argumentis opponebant verbera & tormenta. *Zvvinglius* & *Lutherus* ab ea, in qua nati erant religione, diſceſſerunt, & quidem ob graviſſimas rationes. Hac occaſione in multis imperiis & rebuspublicis exortæ

ortæ sunt turbæ & persecutiones. Sed a quibus? Profecto ab iis, qui *Paparum* duntaxat decretis adhærebant, & *Protestantes* ferre nolebant. Ex quo (*c*) manifestum est, non necessario ex dissensu turbas oriri; cum enim qui a recepta opinione recedit, alteri injuriam non inferat, neque eum lædat, sed ratiocinetur duntaxat; causa non est cur turbæ, seditiones vel bella exoriantur; opus est duntaxat, ut unus alterum ferat, & examinando atque argumentando periculum faciat, a cujus parte stet veritas. (*d*) Repræsentandum auditoribus, quantacunque etiam ex tolerantia errantium mala oriri possint, ea *longe minora* esse iis, quæ ex *hæretificatione* & *persecutionibus dissentientium* necessario emanare solent. Canon est moralis apud omnes sectas receptus; *non esse mala perpetranda, ut inde eveniat bonum.* At homines a nobis in religionis negotio dissidentes calumniari, lædere, in exilium mittere, aut quibuscunque tandem subjicere pœnis, malum est; ergo non licet his mediis uti, sed ante omnia abstinendum a malo, & rationibus duntaxat pugnandum est. Si infinita numero mala in historia omnium seculorum exposita & narrata, quæ ex hæretificatione oriuntur, comparentur cum iis incommodis, quæ per tolerantiam aliquam evenire *casu* solent, manifestum erit, exiguas iis, qui tolerantiam commendarunt conquerendi causas relictas. (*e*) Insuper monendum, Deum, neque per rationis vel revelationis decreta, ullam aliam cum errantibus viam demonstrasse & intimasse, quam *demonstrationem veritatis ad conscientiam*, quæ a solida veritatis repræsentatione dependet, ab una parte; ab altera vero ab *illuminatione Dei*, ad quam obtinendam non *hominum*, sed *Dei auxilio* opus est. Quod si imperantes neglecta lege naturali & revelatione, errantes pœnis subjiciant, videant, qua ratione actiones suas & decreta coram *Deo Judice universali* omnium hominum eoque æquissimo, excusare poterint. (*f*) Ingeminandum insuper, nullam sententiam de modo agendi cum iis, qui errant, aut nostra opinione errare videntur, magis rationi & Evangelio convenire, quam *prudentem & circumspectam tolerantiam*; nullam vero contra magis evidentissimis & manifestissimis rationis & conscientiæ principiis contrariam esse, quam *hæretificationem.* Si omnes ingenii nervos, omnem mentis aciem intendas, manifestissimum erit, nullam contra errores nobis datam esse *medicinam*, quam vero *demonstrationem veritatis*

solidis

solidis superstructam argumentis. Si modo quid error sit, & qua ratione, eaque sola, homo ab eo liberari possit cogites, res erit manifestissima. Si animum vero convertis ad religionem christianam, prouti illa a Christo & Apostolis tradita est, vides ubique commendari amorem *proximi*, *tolerantiam*, *mansuetudinem*, *pacem*; vides nullis externis adhibitis pœnis religionem propagatam, sed cœlestem doctrinam solam, miraculis confirmatam, eam vim in animos hominum habuisse, ut patriæ, & si quid illa mortalibus magis carum est, inter tot persecutiones & obstacula valedixerint, religionique pravis affectionibus minime gratæ sese ex animo addixerint. Cur igitur nolumus fidissimos hosce duces, nimirum rationem & revelationem sequi? Contra vero nihil magis absonum est, & rationi magis contrarium, quam ad errantes emendandos iis velle uti mediis, quæ per se ineptissima sunt ad finem obtinendum. Si medicus, spretis salutaribus medicamentis, ægrotum conveniens rabioso uteretur silentio, vel de materia medica plurimis verbis uteretur, aut in ægrotum vehementer inveheretur, quod non statim convalesceret, mente captum esse hunc hominem, omnes affirmarent. An non idem facit, qui homini erranti injuriam facit, eum calumniatur & persequitur, vel pœnis varii generis afficit, rejectis solidis argumentis, quæ solu adhibenda sunt, & sanare errantem possunt? Hæc frequentissime sunt *auditoribus* in *gymnasiis* & *academiis* insinuanda, inculcanda & infigenda. (*g*) Cogitandum insuper ab una parte, non *omnes errores* homines cœlo excludere, sed eos duntaxat, qui cum *studio pietatis* stare non possunt; ab altera parte eos, qui dissentientem in causa religionis ferendum non esse clamant, *hæresin practicam*, quæ *theoretica* longe *periculosior* est, fovere. Ita sentiunt viri inter *Protestantes* doctissimi. Duorum saltem adducam verba. *Prior* est ὁ μακαρίτης cl. *Rocque*, Pastor olim ecclesiæ gallicanæ, quæ Basileæ floret, dignissimus. Hic in libro de *vera pietatis delineatione*, *part. IV. cap. III. sect.* 21. versionis *Rambachii* ita de hoc argumento disserit: *Es ist nicht leicht eine so verhaßte und fyrchterliche Kezerey zu finden, als der Lehrsaz, daß man diejenigen nicht dulden mysse, die mit uns nicht vœllig eines Glaubens sind. Es ist eine handgreifliche Kezerey, vveil sie gegen die deutlichsten Zeugnisse der heiligen Schrift strebet, vvelche zum allerhœchsten erlaubet, daß man einen kezerischen Men-*

ſchen meide, vvenn er einmal und abermal ermahnet vvorden. Tit. III. 10. Nirgends aber giebt ſie vveder der Kirche, noch der Obrigkeit das Schvvert in die Hænde, mit demſelben yber die Gevviſſen zu herrſchen. Es iſt eine Kezerey, die Gott ſelbſt antaſtet, indem ſie ihm das Vorrecht raubet, den lezten Ausſpruch yber die Gevvißheit oder Ungevvißheit des Glaubens eines andern zu thun, und ihn, venn er ſich irret, zu ſtrafen. Man ſezet ſich in den Tempel Gottes als ein Gott, und nimmt die Eigenſchaften des Menſchen der Synde, und des Kindes des Verderbens. 2. Theſſ. II. 3. 4. Es iſt eine Kezerey, die durch eine nothvvendige Folge die Kirche und den Staat umkehret, vveil ſie einer jeden Parthey das Vorurtheil ins Gemythe ſezet, ſie ſey berechtiget diejenigen, ſo in Glaubensvvahrheiten irren, abzuſtrafen. Die Erfahrung von ſo vielen Jahrhunderten, in vvelchen dieſe durch den Feind des menſchlichen Geſchlechts erregte Kezerey das Blut ſtromvveiſe vergoſſen, ſoll einen jeden yberzeugen, daß dieſe verſagte Gedult mit den Schvvachen, der klægliche Zankapfel, durch vvelchen alle Bande der Freundſchaft und Liebe zerriſſen vvorden, und vvelcher unter dem ſcheinbaren Vorvvand des Eifers fyr Gottes Ehre den heftigen Begierden Zaum und Zygel ſchieſſen laſſen, alles ungeſtraft zu zerſtœren. Poſterior eſt *celeberrimus Moshemius*, nunc quidem cœlitum choro adſcriptus. Hic in *Ethicæ ſuæ tomo IV. pag.* 218. de hoc argumento ſequentem in modum pronuntiat: *Einiche ſprechen, daß vvo gefæhrliche und grobe Irrthymmer Plaz genommen haben, da iſt dem vvahren ſeligmachenden Glauben der Eingang ganz verſchloſſen. Ich trete ohne Scheu auf die Seite der Liebe, und ſage: Wer mir unlœugbare Zeugniſſe vorleget, daß er durch die Liebe Gottes die Welt und ihre Lyſte beſieget hat, und in dem Gehorſam Chriſti vvandelt, dem bin ich die Pflichten der bryderlichen Liebe zu leiſten verbunden, vvenn er ſich gleich des Namens eines rechtglæubigen Chriſten durch ſeine Irrthymer verluſtig gemacht hat. Wo ſich demnach eine ungefærbte, unvvandelbare und beſtændige Gottſeligkeit zeiget, da muß ich die Urſach aller vvahren Gottſeligkeit, den Glauben vermuthen. Denn ein fauler Baum kann nicht gute Frychte bringen. Matth. VII. v.* 18. Hactenus *Moshemius.*

Si in cauſas errorum & vitiorum inquiramus, videbimus præcipuam eorundem cauſam eſſe *abuſum libertatis.* Jam vero probe videndum, ne altius hanc cauſam rimantes, in inextricabiles incidamus

mus difficultates, quærentes anxie, cur illam libertatem Deus mortalibus non dederit; cur non meliorem longe maximæ parti generis humani de religione concesserit lucem; cur animos hominum *vi quadam* ab amore vitiorum non abstrahat, & quæ sunt aliæ quæstiones curiosæ, quas in hac rerum caligine, qualibuscunque arreptis Sophorum hypothesibus, plene tamen solvere non possumus. Maneamus potius in iis, quæ nota sunt, & malis hisce occurramus, iis duntaxat adhibitis mediis, quæ apta sunt ad homines emendandos, qualia respectu errantium non sunt varia tormenta & exilia, sed fortia & solida argumenta; vitiis vero societatis tranquillitatem & pacem turbantibus fortia opponant Imperantes pectora, certa spe nixi, Deum iratum ipsis non futurum, si lenitate usi fuerint erga errantes, in vitiosos vero severe animadverterint.

VI. Denique observandum, genium religionis christianæ violentiam non suadere erga errantes, neque vel exemplo Christi vel Apostolorum hoc probari posse. Hoc argumentum, quia nervose in compendio repræsentavit cl. *Limborchius*, *hist. inquisitionis*, *cap. I. lib. I.* ipsa ejus adducam verba: *Religio christiana* (inquit) *Spiritu divino per Apostolos prædicata, præceptorum sanctimonia, promissorum magnitudine, ac miraculorum gloria, divinitatem suam hominum animis insinuans, sine ullis armis ac potentia mundana totum ferme orbem ad sui persequium adduxit, Ipse Dominus voluntarium ab hominibus obsequium exigit, dum spiritu coli vult, & cuicunque se in disciplinam suam tradenti abnegationem sui præcipit, quæ nonnisi mente ac animo peragi potest. Illa autem vi ac coactione humana minime producitur. Quin & Deus Pater jam olim naturam regni Filii sui Jesu Christi designare cupiens, illud sub figura filii hominis Danieli repræsentavit, cum alia hujus mundi regna ferarum imaginibus depinxisset; non aliam procul dubio ob causam, nisi ut naturam regni Christi a regnis hujus mundi plane diversam ostendat: hæc erigi, propagari ac conservari violentia ac armis, moribusque ferinis; illud vero mansuetudine, lenitate, vi rationum, quibus animi persuadeantur, & non inviti trahantur. Ipsa Evangelii præcepta nihil aliud spirant, nisi charitatem & amorem: charitatem novum suum præceptum vocat Servator, unde discipulos suos agnosci cupit. Charitati autem nihil magis adversum est, quam supplicium*

errantis, & errore suo gloriam divinam se promovere credentis, & pro illius adsertione mortem, etiam cruentam & ignominiosam, ultro subire parati. Instar ovium in medium luporum Servator suos discipulos emisit, qui suppliciorum tolerantia Evangelio testimonium perhibentes, bonum illius odorem quaqua versum diffunderent: non vero voluit, ut luporum instar oves dilaniarent, & quos rationum pondere Christo lucrifacere non possent, mortis & tormentorum metu territos ad nomen Christo dandum violenter cogerent. Quin & omnium consensu fides Dei donum est; illud autem vi humana ingenerari nequit, neque externa vi homo cogi potest, ut Deus suum illi donum communicare dignetur. Argumentis animus persuadetur; lingua et membra corporis vi externa cogi possunt; ut vero animo extorqueatur assensus rei, quam falsam esse persuasus est, fieri neutiquam potest. Nihil itaque religionis christianæ genio magis est adversum, quam errantes persequi, & sub infami hæreticorum nomine plebis furori expositos crudeli interimere supplicio. Neque credendum id solummodo initiis Evangelii fuisse consentaneum, cum ecclesia seculari potestate destituta, & religionibus, quæ passim in mundo vigebant, evertendis intenta, Magnatum in se iram ac violentiam provocarit: aliam autem ejus esse conditionem, quando Reges & Imperatores ad fidem illius conversi, sceptra sua Jesu Christo subjicere tenebantur. Non enim cum fortuna religio Christi mutatur, neque illius præcepta rerum hujus mundi statu mutato vim obligandi amittunt. Christus enim per Apostolos prædicatus non est ita & non, sed idem semper in omnia secula. Sceptra Jesu Christo subjicere debent, non suppliciis cogendo homines contra mandatum Christi, ut reluctante animo ac conscientia ea, quæ falsa credunt, profiteantur, atque ita hypocritis, non vere fidelibus, ecclesiam replendo; sed leges constituendo æquas, justas, Evangelii præceptis consentaneas, quibus ita tueantur quietem publicam, ut nihil decernant, quo sincerus Dei cultus, qui animo constat, & salus animarum impediatur. Hæc est illa innocentissima ac maxime potens doctrinæ Evangelii propagatio, naturæ ac genio illius consentanea, qua, sicut olim per paucos inermes, & solo Spiritu divino instructos, rationum pondere & miraculorum virtute brevi tempore per totum terrarum orbem propagata est; ita etiam nunc porro propagari, & contra quoscunque tam infidelium quam hæreticorum insultus pura & illibata conservari potest. Non enim con-

tra

tra fraudes, impoſturas, violentiam ac perſecutiones mundi, carnalibus eccleſiam armis inſtruxit Chriſtus; ſed ſpiritualibus, quæ potentiæ ſunt in Deo, quibus in captivitatem redactus fuit omnis intellectus in obſequium Chriſti; eamque triumphare voluit de mundo, mediis in afflictionibus, innocentia, ſimplicitate, patientia ac tolerantia. Tantum itaque abeſt, ut innoxie errantibus perſecutiones & ſupplicia inferre voluerit, ut & perſecutionem patienti eccleſiæ pro perſecutoribus orare juſſerit. Hoc modo fundata olim fuit eccleſia, & primis ac maxime innoxiis ſeculis potentiſſime per omnes terras propagata. Ita cl. *Limborchius*.

V.

Adducitur quintum adverſus hæretificationis crimen medium.

Neque exiguum pondus in animos hominum, juvenum cumprimis S. Theologiæ cultorum, habet lectio *præſtantiſſimorum omnis ævi ſcriptorum, Theologorum cumprimis, qui graviſſimas veritates ſolidiſſimis argumentis non ſolum adſtruxerunt, ſed & moderati animi ſtudioſi fuerunt.* Notum eſt illud Poëtæ:

Quo ſemel imbuta eſt recens, ſervabit odorem, teſta diu

Et profecto nullum majus beneficium præſtare poſſunt, ut aliarum diſciplinarum Profeſſores, ita Theologiæ inprimis Doctores, quam ſi mature diſcipulis ſuis commendant præſtantiſſimorum virorum ſcripta, ad Theologiæ ſtudia rite cognoſcenda plurimum facientia. Inter præcipuas cauſas *ignorantiæ, hæretificationis & contentionum* de rebus ad religionem pertinentibus refero, quod plurimi S. Theologiæ ſtudioſi mature inciderint in *libros obſcuriores*, & *parum ſalis* habentes; *libros*, in quibus nulla eſt ſolida eruditio; *libros*, in quibus inanes & minutæ controverſiæ prolixe & non ſine maximo ardore inculcatæ & commendatæ fuerunt; *libros*, quorum lectione juvenes evadunt *Doctores umbratici, diſputaces, zelotæ & hæretifices.* Huic malo occurrere mature deberent publici Doctores, ſi modo didicerint *ipſimet*, quid in religione *pulchrum* ſit & *ſolidum*. Ut vero cognoſcatur, quinam libri theologici præſtantiſſimi ſint mea opinione, adeoque hoc nomine præ aliis commendandi, breviter mentem meam exponam. In genere inter li-

bros præstantes refero omnes illos libros, qui accurate magnoque cum judicio (de libris ad religionem pertinentibus hic loquor) sunt scripti; *libri*, in quibus solidis argumentis, quantum rerum natura patitur, capitales veritates religionis sunt comprobatæ; *libri*, qui non scholam sapiunt; sed in quibus omnia ad salutares usus referuntur; *libri*, a quibus *tricæ & ineptiæ* omnes, inutiles quæstiones, & scholarum placita exulant; *libri*, in quibus vera *Christianissimi imago* tam pulchre, vivide & eleganter depingitur, ut non possint non lectores ad veræ pietatis studium stimulari; *libri*, in quibus *solidum* ab inani, *leve* a momentoso solerter distinguitur; *libri* denique, in quibus omnia *moderate* discutiuntur, in quibus omnia prudentiam, pacem, æquitatem & pietatem spirant, & qui insignem utilitatem veri rectique amantibus adferunt. Tales libros si Theologiæ studiosis Doctores publici serio commendaturi essent, nullus ego dubitem, quin singularem ex lectione ejusmodi librorum percepturi essent fructum. Saltem me hoc docuit multorum annorum experientia. Hunc in censum cumprimis etiam refero lectionem auctorum, qui de *logomachiis eruditorum*; de *charlataneria eruditorum*; de *præjudiciis theologicis*; de *unione inter Protestantes promovenda*; de *jure Magistratus in conscientias*; de *tolerantia & libertate conscientiæ*, data opera, erudite & solide commentati sunt. Quod si hi scriptores legantur a studiosis maturi judicii, & veritatis pro capacitate ingenii & ætate amantibus, sperari jure potest, eos nunquam evasuros *Doctores umbraticos*, *rixatores* & *hæretifices*; sed solidos cœlestis doctrinæ propagatores, pietatis promotores, pacisque almæ Ministros.

VI.

Profertur sextum adversus hoc malum medium.

Non parum etiam nostra sententia ad infaustum morbum sanandum conferre potest, *attenta consideratio exempli sanctissimi Soteris nostri, & rationis, qua usus est cum adversus Judæos incredulos, tum erga discipulos suos in fide adhuc infirmos.* Nemo infitiabitur, Christum Jesum tanquam *præcipuum Doctorem* religionis habendum esse, quanquam talibus fuerit ornatus privilegiis, quæ per omnia ad imitandum proponi non possint. Consideramus hic eum tanquam Doctorem publicum, divinis plane & excellentissimis vir-

virtutibus ornatum, non tanquam θεανθρωπον. Quærendum ergo est, quomodo sese gesserit adversus Judæos, & adversus suos discipulos. De promiscua turba plebis judaicæ nihil hic dicam, rationem duntaxat habiturus modi, quem adhibuit adversus *publicos judaicæ ecclesiæ Doctores*. Principes hujus ecclesiæ erant Scribæ, Pharisæi & Sadducæi. Horum hominum religio valde erat corrupta, sive ad dogmata recepta, sive ad doctrinam moralem spectes. Ad principalem legis scopum non attendebant; in cultu externo, *Majorumque* traditionibus servandis, præcipuam religionis partem repositam esse ingeminabant; Prophetarum de Christo oracula pessimum in sensum torquebant. Sadducæi erant judaicæ ecclesiæ *Deisticæ*, gravibus addicti erroribus. Propter periculosas illas, quas fovebant sententias, hypocrisinque detestandam, aliquando vehementer eos increpuit, quia hæc vitia & errores manifestissimi non solum ipsosmet, sed & plebem impediebant, quo minus salutarem Jesu Christi doctrinam attenta mente expenderent. Interim noluit contra eos plebem concitare, ut agmine facto hos histriones in causa religionis ex patria & synagogis ejiceret; imo si vel maxime ipsum blasphemabant, non tamen igne cœlitus delapso eos punivit, in lachrymas potius resolutus dixerat: *Jerusalem*, *Jerulem* &c. Et licet plerique Doctores publici, non obstantibus miraculis, quæ cottidie ab eo patrari videbant, & palpando quasi de eorum divina origine persuaderi poterant, suam doctrinam aspernabantur, non tamen cessavit ad finem usque eos hortari, docere, & meliorem illis inspirare mentem. Invaluerunt etiam tum temporis inter Judæos doctos & indoctos multæ erroneæ opiniones, quas tamen, quia cum spe salutis consistere poterant, non vehementer taxavit, nedum homines illos propterea exosos reddere voluit. Cum muliere *Samaritana heterodoxa* amicabile habuit colloquium, neque *insectationibus* aut *argumentis ab invidia petitis* eam est adortus, sed sermone placido & ingenio ipsius attemperato usus, eam ad salutarem religionis veræ meditationem & conversionem traduxit. *Hæreticificum* contra scopus non est errantes ad veram μετανοιαν adducere, sed eos infames reddere & exosos. Primos Christi sectatores & discipulos, in familiare ejus consortium adscitos, gravibus erroribus de Messiæ regno, morte & resurrectione, imbutos fuisse constat; & eos tamen omniscius Soter æquo animo tulit,

lit,

lit, exſpectans tempus, quo depoſita ignorantia, poſt novam gratiæ œconomiam, per aſcenſionem in cœlos inchoandam, accuratius cuncta edocerentur. Apoſtoli pariter in ſuis ad ſingulares eccleſias datis epiſtolis, errores quidem craſſiores Judæorum & Gentilium, qui ſalutari doctrinæ Jeſu Chriſti oppoſiti erant, graviter reprehendebant, variiſque rationibus ex animis evellere adnitebantur. Interim haud ignorabant, Judæos & Gentiles non omnibus ſtatim avitis opinionibus, quibus antequam nomen dederant religioni chriſtianæ, imbuti erant, valedixiſſe. Hinc errantes, & in fide infirmos adhuc ferendos eſſe monuerunt gnaviter. Vide loca a τῷ μακροθύμῳ cl. *Turretino* collecta in *nube teſtium*. Et profecto ſi propter omnes minutas opiniones, quæ adhuc novorum Proſelytorum animis inhærebant, graviter eos inſectari voluiſſent Apoſtoli, exiguus profecto prima hac ætate Chriſtianorum futurus fuiſſet numerus. Quis fieri potuiſſe credat, ut omnis ſexus, ætatis & conditionis homines, ſtatim veluti *per miraculum* cum lacte quaſi materno hauſtis opinionibus, quas longa dies & conſuetudo publice recepta confirmaverant, renuntiarint? Ubi inprimis obſervandum, longe fuiſſe alias circumſtantias cum errantium tum docentium, quam quales hodie ſunt. Apoſtoli erant Doctores infallibiles; noſtræ vero ætatis controverſiarum tractatores ſunt æque fallibiles ac ipſi diſſentientes, imo ſæpius gravius errant, quam ipſi, quos in hæreticorum catalogum referre geſtiunt. Apoſtoli non tantum variis argumentis graviter errantes in viam veritatis reducere ſolebant, ſed & variis *editis miraculis* veritati pondus addere poterant, quibus non plane cæci & pervicaces de religionis chriſtianæ divina origine perſuaderi poterant: noſtræ vero ætatis Doctores, qualicunque eruditionis apparatu inſtructi, hoc privilegio deſtitutos eſſe quis negat? Alia erat etiam ratio errantium, qui temporibus Apoſtolorum vixerant, quam eorum, qui noſtra ætate vivunt. Aut enim erant, qui abſolutam neceſſitatem legis cæremonialis urgebant, & puræ ſimplicique Chriſti doctrinæ eam adjungendam putabant; vel erant, qui capitalia chriſtianæ religionis capita v. gr. de crucifixione Jeſu Chriſti, vel de certitudine reſurrectionis in dubium vocabant; vel tales tandem, qui fanaticiſmo occæcati, variis philoſophiæ tum temporis florentis partibus chriſtianam diſciplinam adulterare volebant. Hodie vero Chriſtiani

revela-

revelationem contentam in V. & N. Testamento admittunt omnes, & in sola interpretatione Oraculorum divinorum inter se dissentiunt. Quantacunque autem Apostoli superfusi fuerunt luce præ cæteris Doctoribus, qui secuturis ætatibus vixerant; manifestum tamen est ex eorum scriptis, eos singulos errantes non vehementer taxasse, nedum illos omnibus exosos reddere voluisse, sed potius eorum misertos leniissime tractasse, manifestissimo exemplo, quid hodie V. D. Ministris & Theologis adversus *dissentientes*, & forte in quibusdam errantes, præstandum & omittendum sit.

VII.

Septimum repræsentatur remedium.

Plurimum etiam ad hoc malum reprimendum conferre possunt *rerumpublicarum prudentes moderatores*, *Imperantes vel eorum consiliarii*, *juris naturæ & religionis puræ castæque cognitione probe imbuti*, *dogmatumque inter Christianos controversorum plane ignari*. Cum enim pulchre sciant, *hæretificationibus* nonsolum inter cives lites, contentiones, turbas, sed & sæpe cædes oriri & excitari, & innocentissimos sæpe mirum in modum divexari, mature satis insultus *zelotarum* reprimere debent, & impedire, quantum possunt, ne *temerariæ accusationes* & *hæretificationes* in vulgus, quod controversias plane non intelligit, aut leve a momentoso distinguere non potest, spargantur. Inprimis tales rerumpublicarum moderatores debent severe inculcare V. D. Ministris, ne in *pulpitis sacris* motarum inter dissentientes litium memores sint, aut viros errorum accusatos *digito quasi monstrent*. Pœna certe publica notandi sunt, qui animorum suorum impotentiam loco minime conveniente produnt. Quid Imperantibus hoc in casu præstandum sit, ante aliquot annos exemplo suo ostendit *sapientissimus & potentissimus Rex Borussiæ*, *Fridericus III.* In novellis enim publicis ad annum 1750. legimus, *eum* quosdam V. D. Ministros *Stargardienses*, qui in concionibus sacris cives quosdam, sua opinione errantes, acerbe perstrinxerunt, aliisque modis iis insultarunt, severe increpasse, & ut in posterum a talibus censuris abstinerent, publico edicto injunxisse. Quod si vero principes rerumpublicarum existiment, rem, quæ in controversiam venit, attentione publica dignam esse, negotium hoc *viris judicio omnium doctissimis*, *rerum controversa-*

rum peritis, & a ſtudio partium, quatenus *illud cognoſci poteſt*, *alienis*, committendum, eo fine ut in ſummam controverſiæ, vel erroris alicui imputati, diligenter inquirant, res & verba probe expendant, accuſatorem pariter & accuſatum placide audiant, collatisque demum omnibus diligentiſſime, ſententiam veram accuſati in quaſdam theſes reſolvant, accuſationisque capita repræſentent. Quod ſi accurato examine inſtituto manifeſtum ſit, accuſatum vel plane innocentem eſſe, vel leviter erraſſe, *hæretifex* publicæ cenſuræ ſubjiciendus, & pœna calumniæ adficiendus. Profecto, ſi hoc ſuperiore & noſtro ſeculo in *Belgio*, *Germania* & alibi factum fuiſſet, tot litibus, contentionibus & hæretificationibus locus non fuiſſet relictus. Quod ſi vero doctiſſimorum virorum judicio pro valde gravi haberetur error, omnia ſecundum leges civilis & eccleſiaſticæ tolerantiæ exigenda ſunt. Et ſane mirum eſt Imperantes, Proteſtantium partibus addictos, *de jure ſuo epiſcopali* identidem ſermociuari, & tamen cujuſvis importuni hominis auctoritate ſæpe regi atque pati, ut viri de eruditione & religione meritiſſimi acerbiſſime ab imperitis hominibus & veræ eruditionis theologicæ ignaris perſtringantur. (*) Conferantur cum hiſce quæ diſſertatione *quinta* de hoc argumento a nobis dicta ſunt.

VIII. Ne-

(*) Imo inter Remonſtrantes fuerunt, qui extra partes poſiti hoc conſilium probarunt. Doctiſſimus Parrhaſianorum author, J. Clericus, Tom. II. pag. 251. ſeq. ita de hoc argumento loquitur: *Si dans toutes les academies, où l'on va étudier la théologie, on avoit ſoin de mettre des Profeſſeurs moderez & pacifiques; on pourroit voir dans peu d'années toutes aigreurs ceſſer, & la charité & la paix prendre par tout la place de l'eſprit de diviſion & de diſcorde. Ce ſeroit là un conſeil à donner à un grand Prince, dont les états ſont partagés en deux partis, qui ſe querellent depuis leur établiſſement, ſans que rien puiſſe appaiſer l'aigreur reciproque qui eſt entre eux. S'il n'appelloit dans ſes academies que des Profeſſeurs moderez, & propres à accommoder par la douceur les partis irritez, on en verroit bientôt des fruits, où par une réunion ſi long tems deſirée, où au moins par une tolerance mutuelle, qui ſeroit un grand acheminement à une entière paix, ſans faire aucune violence à perſonne, & ſans employer*

VIII.

Octavum in medium affertur, ad impediendam hæretificationem auxilium.

Neque parum ad hoc vitium evitandum & impediendum faceret, *si theologiæ cultores, missa operosa libellorum ad theologiam polemicam spectantium lectione, totis viribus excolendæ philologiæ sacræ, arti criticæ, evolvendis commentariis virorum doctorum, qui Biblia S. eruditis adnotationibus illustrarunt, incumberent.* Quam necessarium sit hoc studium futuro V. D. Ministro ad veram theologiæ notitiam comparandam, opus non est, ut multis probem argumentis, cum nemo sanæ mentis de hoc dubitare possit. Quæritur duntaxat, utrum istud studium ita comparatum sit, ut ad impediendum & reprimendum turpissimum vitium *hæretificationis* aliquid conferre possit, quod nos existimamus. Ratio potissima hæc est; quod examen hoc tot partibus constet, tantumque deposcat laborem, ut tempus omne legendis tot minutis controversiis *surripiat.* Accuratior enim notitia artis grammaticæ, linguarum, artis criticæ, antiquitatum hebraicarum &c. non sine indefesso labore, lectione jugi, & multorum annorum spatio comparari potest. Hoc ipsum vero prudentem S. Literarum cultorem impedit, quo minus animum convertat ad singulares hypotheses theologicas, quæ singulis fere annis hinc inde exoriuntur, legendas & examinandas. Et profecto longe felicior esset academiarum & ecclesiarum Protestantium partibus addictarum status, in quibus pleno gutture exclamatur: *Sacras Literas unicam esse credendorum normam, omnia dogmata ad eam esse revocanda*; si Doctores publici missis tot minutis quæstionibus, e metaphysica & aliunde petitis, interpretandis duntaxat S. Literis per omnem vitam vacarent. Haud diffiteor, pudore me aliquo suffusum fuisse, quoties in P. D. *Huetii*, viri illustris,

l'authorité dans une occasion, où les seules raisons doivent avoir lieu, mais seulement en soutenant & en favorisant les esprits pacifiques, on deracineroit dans peu de tems la plus grande partie des animosités. Mais pendant qu'on n'a aucun égard à cela, & que l'on choisit indifferemment des boutefeux & des gens d'une humeur plus douce, ou même que l'on préfére des Théologiens querelleux & opiniâtres aux pacifiques, on ne verra jamais de paix entre ces deux partis.

ſtris, biographia legi, eum, pontificiæ religioni addictum, toties totieſque hebraicum codicem cum ſanctiſſimorum virorum commentariis evolviſſe; a me vero hoc neglectum, tot autem eriſticos libellos ad veram ſolidamque eruditionem & pietatis ſtudium parum facientes ſtudioſe lectos fuiſſe. In gratiam ſtudioſorum S. theologiæ ipſiſſima verba *Huetii* adſcribam, ſperans quoſdam eorum, ad imitationem tanti viri excitatum iri. Ita autem loquitur illuſtris vir, in *commentario de rebus ad ſe ipſum ſpectantibus*, pag. 146. Edit. Lipſienſis. *Cum primum autem ad commentationem hanc (loquitur de libello ſuo, ſcripto de commercio & navigatione veterum) animum appuli, jam dudum moliebar grandius quiddam, quo præ cæteris ſtudia omnia mea, meditationes omnes referrem: ad interpretandam nimirum, illuſtrandam & exornandam Scripturam Sacram. A prima quippe mea adoleſcentia, tanta mihi inſidebat libri hujus, vel propter divinitatem reverentia, vel propter dignitatem & meritum exiſtimatio, ut quamvis in mathematicis artibus, vel humanioribus diſciplinis, alacriter exultaret juvenilis meus animus & laſciviret, haud cunctanter tamen recurreret ad divinos codices, quaſi peregrinaretur in aliis, domicilium in his poſuiſſet. Nec ulla tamen tum mihi erat hebraicæ linguæ notitia, nec ultra vulgatæ interpretationis anguſtias diligentiam meam proferebam. Quos poſtquam cancellos tranſilui & acceſſi ad fontes ſacros, jam alius ſe prodidit ori meo divinorum hauſtuum ſapor, cæleſtiaque myſteria ſine velamine mihi intueri viſus ſum, proque eo, quem aſſidue laborare aſſecutus ſum librorum uſu, deprehendi hæc volumina ſacra, etſi eis non ineſſet ea divinitas, quam his contineri certa credimus fide, & ipſo pene ſenſu cognoſcimus, tamen vel propter antiquitatem, vel propter ingentem ſingularium magnarum & mirabilium rerum copiam, quæ ex immenſo hoc penu, nec aliunde peti poſſunt, digniſſima eſſe, in quibus condiſcendis & cognoſcendis omnem curam, ſtudium, meditationem & vigilias conſumerem.*

Et paucis interjectis ait: *Poſtquam compedibus aulicis fueram exolutus, liberiorque ſtudiis meis patuerat campus, ad repetendas literas ebraicas, longo jam tempore intermiſſas, mentis impetum converteram, adjunctis etiam ſyriacis & arabicis, quibus juvenis dederam operam non indiligenter, nullo magiſtro adhibito; cumque ſcirem, nonniſi diuturno & frequenti uſu condiſci poſſe linguas, ab*

anno

anno seculi præteriti primo & octogesimo, ad seculi hujus annum duodecimum, per unius & triginta annorum decursum, nullum omnino abire passus sum diem, cujus duas tresve horas literaturæ huic non tribuerim; neque negotiis ullis, neque itineribus, ac ne morbis quidem institutum retardantibus. Cumque linguam ebraicam fontem esse intelligerem linguarum illarum quas dixi, atque aliarum etiam quarundam, quæ per Orientem sunt disseminatæ, nec aliud quicquam tantum conferre ad sacrorum Librorum intelligentiam, in quorum cognitione elaborare decreveram, quam exquisitam sanctæ hujus linguæ peritiam, quæ ex horum ipsorum codicum ebraicorum assidua tractatione hauritur, continuam & fidelem iis versandis operam impendere institui; tamque pertinaci constantia, ut quater & vigesies totos a capite ad calcem hactenus pervolutaverim. Qua Paginæ sacræ lectione uti nulla alia ad percipiendam rerum sacrarum notitiam, mores informandos utilior est, ita ad capessendas humaniores disciplinas nulla conducibilior, nulla certe mihi jucundior. Hactenus *Huetius.* Neque verendum est, S. Literarum cultores ita agendo impeditum iri, quo minus aliis disciplinis rite intelligendis animos adjiciant. Contrarium docet ipsum exemplum *Huetii*, qui matheseos & humaniorum literarum studium magno animi ardore excoluit. Idem de J. *Clerico* dictum volo, aliisque eruditis viris. Neque etiam, dum hunc laborem Theologis & V. D. Ministris commendo, intercedere volo, quo minus negligant aut abjiciant plane notitiam controversiarum, quæ adversus *Atheos*, *Deistas*, *Pontificios* &c. agitari solent. Hoc tantum volumus, studium philologiæ sacræ rite excultum animos virorum doctorum abstrahere posse a minutis controversiis vel scribendis vel legendis, inprimis vero a *vitio hæretificationis.*

IX.

Inprimis autem omnium optime huic malo occurri posset, *si Imperantes & Præsides rerumpublicarum academiis & scholis præficerent Doctores theologiæ, non solum eruditos & sapientes, sed & omnium judicio pacificos & moderati animi studio incensos.* Illi qui theologiam in scholis & academiis publice tradere tenentur, ante omnia iis disciplinis probe exculti esse debent, quæ ad rite

Nonum affertur argumentum.

defungendam hanc provinciam requiruntur. Defectus veræ eruditionis parit contemtum, qui ubi semel animos auditorum occupavit, exiguus institutionis publicæ fructus sperari poterit. Sed eruditionis, cumprimis theologicæ, *individuus comes* esse debet *sapientia*, cujus auxilio Theologus momentosum a levi, necessarium a non necessario probe distinguere, & magis vel minus religionis articulos urgere vel non urgere novit. Sine hac qualiscunque eruditio vana est, insipida & parum valitura. At multi dantur Theologi, eruditione non destituti nec sapientia, qui tamen vitio voluntatis ad superbiam proni valde sunt, & rixandi cupiditate abrepti: cum hac sapientia qualicunque conjungi debet *pacis alendæ* cum dissentientibus amor, & studium moderati animi. Ubi hæ virtutes desunt, ne ipsa quidem salus academias & scholas salvare poterit, sed rixarum & contentionum omnia plena semper erunt. Sane cum multis aliis persuasus sum, si his virtutibus exornati Doctores Theologiæ academiis & scholis præfecti semper fuissent, *triste* istud & *infelix schisma*, quod inter Protestantes adhuc gliscit, jam dudum compositum & sepultum fuisset. Agnoverunt hoc dudum præstantissimi utriusque cœtus viri. Sed cum in oratione mea *inaugurali*, & aliis in locis pluribus, de hoc argumento egerim, resque ipsa meridiana luce clarior sit, plura non addam.

X.

Decimum affertur medium adversus hæretificationem

Neque dubito quin multum ad averruncandum hoc malum collaturum esset, si S. theologiæ cultores, nullo habito respectu academiarum vel *Lutheri* vel *Calvini* partibus addictarum, eas frequentarent optimarum artium & disciplinarum officinas, in quibus nonsolum reperiuntur Doctores eruditi, sed & sapientes & pacifici, quique ea duntaxat publice auditoribus inculcarent, quæ futuris V. D. Ministris insignem utilitatem afferre possent. Tales vero promiscue inter *Reformatos* & *Lutheranos* reperias. Qui *medicinæ*, *jurisprudentiæ* vel *mathematicis disciplinis excolendis* intenti sunt, eas frequentare solent academias, in quibus celeberrimi & in his disciplinis versatissimi Doctores publice docere solent. Quænam igitur causa esset, cur studiosi theologiæ, gravissima religionis Protestantium capita percepturi, non æque pari libertate

vel

vel Doctorum Lutheranorum, vel Reformatorum adirent & frequentarent scholas & academias? Nullus ego dubito, quin theologiæ studiosi justæ ætatis emenso cursu scholastico probe sciant, in quibus potissimum capitibus utriusque partis cœtus inter se dissentiant, atque etiam cognoscant, dissensum in his articulis non ita esse comparatum, ut non promiscue vel has vel illas Musarum sedes frequentare possint, multaque majoris momenti capita melius in hac quam in alia schola vel academia edisci posse, lectis vel commendatis libris, qui ab utriusque partis Doctoribus in lucem editi sunt. Accedit quod sæpe domi audiverunt, suæ sectæ Theologos vel dissensum in majus extollentes, suppressis gravissimis argumentis, quæ ab altera parte in medium proferri solent. Audita vero præstantissimorum virorum candida & sincera systematis controversi repræsentatione, adductisque argumentis & incentivis ad pacem inter utriusque cœtus partem alendam, & schisma hoc tandem abrumpendum, moderatiores sæpe & sapientiores facti in patriam redeunt, & duriora consilia & præjudicia deponunt. Tempore certe *emendationis Sacrorum* viri inter Helveticos cordati non dubitabant filios suos ad academias Lutheri sententiis addictas mittere. Ita M. *Bullingeri* filius Wittenbergæ *Melanchtonem* præceptorem habuit in audiendis rebus theologicis. Extat etiamnum testimonium academicum præstantis hujus viri, quod Bullingeri filio reduci in patriam dederat Melanchton. Adduxit illud ὁ μακαρίτης cl. *Huldricus*, in Miscellaneis Tigurinis. Joh. *Wolfius*, Theologus itidem Tigurinus, vir de ecclesia meritissimus, juvenis *Tubingæ*, *Lipsiæ* & *Wittembergæ* sanctioribus literis operam dedit. Vide biographiam ipsius.

Sequenti ætate non dubitabant præsides utriusque ordinis, cultores theologiæ mittere ad academias *Salmurienses* & *Sedanenses*, licet haud ignorarent quas hypotheses defenderent *Capellus*, *Amyraldus* & *Placeus*. Disjectis autem illis bonarum artium officinis, Helvetiæ studiosi adibant *Belgii* academias, licet ignotum haud erat, Doctores horum locorum aliquos typomania laborare; obscuriores prophetias ad novissima tempora quosdam trahere; nescio quam analyticam sacram tanquam cœlestem artem auditoribus suis commendare. &c. Factum id ad nostram usque ætatem sine solicito illo metu, utrum cultores S. Literarum in patriam reduces ejusmodi opiniones approbarint nec ne. Et profecto non fuerat, quod de

eo

eo maximopere soliciti essent Præsides utriusque ordinis. Domi enim libellos ab his viris scriptos legere sine itinere, & venenum illud, si tale est, imbibere potuissent. Denique hodie omnes Reformati clamant, dissensum inter Lutheranos & Reformatos non esse fundamentalem, & posse fratrem Lutheranum salva conscientia Reformatorum sententiæ de *S. Cœna*; Reformatum vero Lutheranæ de *decretorum ordine* &c. accedere. Quid ergo tandem impedit, quo minus S. Ministerii Candidati vel Lutheranorum vel ita dictorum Reformatorum academias promiscue frequentent, atque nullo habito opinionum controversarum discrimine utriusque partis Doctores eruditos audiant, cum auditis etiam articulis, in quibus dissentiunt, cuilibet permissum sit, album calculum iis adjicere vel non. Ego saltem persuasus sum, promiscuam illam frequentationem academiarum multum collaturam ad animorum consociationem, & ad reprimendum pestilens illud *hæretificationis* vitium.

XI.

Aliud remedium contra crimen hæretificationis (quod undecimum) est: si Doctores publici adolescentes opinione inani eruditionis inflatos & disputaces, per sapientem ironiam & laudem ἐποχῆς a crimine hoc mature retrahere studeant.

Antequam ad commendationem ipsam hujus theseos, & utilitatem ipsius demonstrandam pervenio, quædam in antecessum sunt monenda. Et I. quidem monendum, theologiæ dogmata S. Literarum studiosis perspicuo stylo, argumentisque paucis sed solidis, quantum natura rei patitur, probanda, & contra dissentientes vindicanda; necessariis quammaxime inhærendum; infirmis rationibus & testimoniis, centies licet ab his vel illis systematum auctoribus adhibitis, non utendum; ad problematicas quæstiones excutiendas tum demum deveniendum, si auditores accuratiorem notitiam habent eorum, quæ necessaria sunt cognitu, tum ad cognitionem veritatum salutarium, tum ad officia veræ pietatis rite præstanda. II. Ingeniorum, quibus præditi sunt auditores, accurata, quantum fieri potest, habenda ratio. Sunt adolescentes excellenti instructi ingenio, sed qui propterea cristas tollunt, inani superbia tument, alios debiliori ingenio præditos contemnunt, ad rixandum vero proni. Cum vero nullus morbus magis fatalis sit muneri ad quod destinati sunt, & cum christiana humilitate & amore proximi magis pugnet, Doctores publici mature satis omnia adhibere media debent, quæ ad reprimendum hoc malum facere possunt.

Nullum

Nullum autem efficacius est *Ironia Socratica*, cujus ope Doctores publici juvenes superbos quæstionibus quibusdam, quas isti pro satis notis & demonstratis habent, perpetuis injectis dubitationibus & quæstionibus ita urgent, & in arctum cogunt, ut tandem pudore suffusi suam cogantur fateri ignorantiam. Monstrandum insuper, quam arctis limitibus circumscripta sit humana scientia in universum; inprimis vero universæ partes eruditionis theologicæ percurrendo ostendendum est, quam multa nos lateant; ubi tamen sermo ita temperandus, ne præstantis ingenii discipuli ad *Pyrrhonismum* inclinent; quod evitari etiam potest, si ediscendis disciplinis mathematicis admoveantur, in quibus exiguus est vel nullus perpetuis disputationibus relictus locus. Inter veteres in hac disciplina excelluit *Socrates*; inter recentiores Theologos ὁ μακαρίτης cl. *Werenfelsius*: comprobat hoc nonsolum dissertatio ipsius de *Atomis*, sed & *symbolum*, quod albis amicorum inscribere solebat, quod ita sonat: *Illi demum sibi plurima scire videntur, qui nesciunt quid sit scire.* Idem faciendum, quando viri docti vident Doctorem publicum in supervacuis desudare, & argumenta urgere, quæ captum auditorum superant, vel facile pejorem in partem rapi possunt. Hoc denuo præstitit ὁ μακαρίτης cel. *Werenfelsius*. Nimirum fuerat Basileæ Pastor quidam, qui in concionibus sacris frequentissime de *absoluto decreto* & *gratia efficaci* peroravit. Videbatur autem cl. *Werenfelsio* hæc agendi ratio populo christiano multas ob rationes parum commoda, imo ita comparata, ut nonsolum eum in dubia nulla arte solvenda conjicere, sed & homines irregenitos & parum de sua salute promovenda solicitos in suis erroneis opinionibus & pigritia confirmare posset. Eum in finem conscripsit brevem libellum cujus titulus: *Scrupulus de prædestinatione. Scrupulus hominis irregeniti, aut saltem de regeneratione sua nondum certi, qui nasci potest ex doctrina de prædestinatione.* Hunc scrupulum, quasi ab ignoto ad se transmissum, legendum communicavit reverendo illi Pastori. Hæc lectio effecit, ut ad incitas reduceretur laudator systematis prædestinationis, & in posterum parce satis de hoc argumento pro rostris verba faceret. Rem ita narrat vir cl. Petrus *Rybinerus*, novæ editionis operum *Werenfelsii editor*, in præfatione scrupulo huic præmissa. Verba ita sonant: *Cum hoc vernacula lingua scriberet auctor, non eum in*

finem hoc fecit, ut ſcriptum publicaretur, multo minus, ut receptam Reformatorum ſententiam oppugnaret. Compoſuit hoc in gratiam amici, ut illum hoc pacto adduceret, ad doctrinam hanc de prædeſtinatione parcius & cautius in concionibus ſuis tractandam; cum auditores habeat, maximam partem non homines jam converſos, qui monendi ſint, ut gloriam ſuæ converſionis ſoli Deo tribuant, quo potiſſimum tendit Reformatorum de prædeſtinatione ſententia; ſed pleroſque quos habeat auditores eſſe homines a vera converſione valde etiamnum alienos, qui in concionibus non tam docendi ſint, cui converſionem ſuam adſcribere debeant, quam adhortandi, ut converſionis mediis ſtrenue utantur. In talibus vero, quos ſcrupulos doctrina, quam amicus in concionibus ſuis toties tractat, excitare poſſit, auctor hoc ſpecimine demonſtrare voluit. Videantur verſiculi hac ipſa occaſione ab auctore compoſiti ſub hoc lemmate, ſuo quæque loco veritas dicenda; ſonant autem ita:

Virtutibus cœlum mereri neminem;
Hoc uſque & uſque eccleſiæ inculcas tuæ.
Quid? Audientum conſpiciſne plurimos,
Cœlum mereri qui velint virtutibus?

Aliud:

Hoc eſſe dogma ſacrilegum,
Converſionis gloriam
Suo labori adſcribere,
Doces in anno centies:
Converſa jam (quis ambigat?)
Cœtus tui eſt pars maxima.
Id unicum nunc quæritur;
Converſionis gloriam
Cui debeant adſcribere?

Profecto optandum eſſet, ut viri perſpicacis ingenii prudenti hac *ironia* uterentur: ſpes enim ita eſſet, plures Theologorum lites de rebus nullius momenti aut mitigatum aut penitus ſepultum iri; tot conciones nullis argumentorum nervis & ſale omni ſacro deſtitu-

destitutas, nullorum sapientum applausum consecuturas; ineptam illam & nullis fundamentis superstructam quorundam commentatorum & oratorum ita dictam *Analyticam sacram* tandem ab omnibus, aut saltem plerisque (nam dum stabit illa, nunquam deerunt *Doctores umbratici*) repudiatum iri; denique spes esset, ethicam illam tot *metaphoricis*, *sesquipedalibus* & *inintelligibilibus* vocibus & phrasibus plenam, quæ unctionis nomine apud *Phantasiastas* quosdam venit, tandem contemtui omnium vere sapientum & sinceræ pietatis studiosorum expositum iri. At dices periculosam esse hanc argumentandi methodum. At ego nego esse periculosam, si prudens & circumspecta sit, nec in personalem desinat *satyram*, vel censuram. De *Ironia* verum est illud *Horatii*: *Ridiculum acri fortius & melius plerumque secat res.* Sed pone quosdam Doctores umbraticos inter Theologos & Oratores sacros irarum fluctibus æstuaturos, & contra præstantissimos viros insurrecturos, num ideo sequitur: ergo methodum hanc esse abjiciendam? Num veritatis & libertatis studium vituperandum? Num omnes *fabulæ*, *comœdiæ* & *satyræ* e mundo sunt proscribendæ? Non putarim. Vide quæ de hoc argumento ex libro *rev. Episcopi Jerem. Taylor*, cujus titulus: *Theologia elenchtica*, excerpsit cl. *Chauffepié* in Lexico suo Tom. IV. titulo *Taylor*.

XII.

Duodecimum commendatur medium.

Neque parum etiam ad evitandum hæretificationis crimen conferre potest *familiare epistolarum cum viris eruditis diversarum sectarum commercium.* Non animus est ostendere in genere, quem usum & voluptatem adferat lectio epistolarum mutuarum a viris doctis conscripta, de quo inter alios agit cl. *Muretus*, in prima sua epistolarum ad eruditos data, editionis *Kappii* Professoris Lipsiensis pag. 445. Hoc unum ostendere volo, quod & ad scopum meum facit, nimirum epistolarum commercium theologicum non parum conferre ad animos diversarum partium in religionis negotio consociandos, & a *crimine hæretificationis* revocandos. In genere notum satis est, solere viros doctos in mutuis epistolis, ut de aliis rebus, sic in primis etiam de religione animi cogitata libere & candide in amicorum sinum deponere; qua ratione successu

temporis sæpe in scholis traditas duras opiniones deponere solent amici, & ἀτερ παθων de articulis religionis controversis judicare incipiunt. Ita percipis sæpe, Theologum *Lutheri* partibus addictum non magis dogma illud, quod *consubstantiationem* appellant Theologi, credere quam Reformatum. *Calvini* sectator fatebitur, se quinque articulis *Synodi Dordracenæ* non magis ex animo subscribere, quam decretis *Concilii Tridentini*. Pontificiæ denique religioni addictus non minus ridebit tot superstitiosos in ecclesia romana ritus, ineptias, miracula &c. quam Theologus Protestantium partibus addictus. Et sic etiam de aliis religionis articulis libere sua animorum cogitata communicabunt. Qua re fit, ut nonsolum sensim sensimque deponant inimicitias, quæ cum lacte materno quasi haustæ sunt, & animis infeliciter impressæ; sed & discipulos suos & auditores meliora edoceant, ad pacis & mutuæ tolerantiæ studium quavis data occasione hortentur; & a crimine hæretificationis gravibus exemplis & argumentis revocent. Ad me quod attinet, inter præcipuam felicitatis meæ, quæ in vita hac fragili & ærumnosa mihi obtigit, partem refero, quod mihi familiare cum eruditis diversa de religione sentientibus mature intercesserit epistolarum commercium. Confirmavit me in opinione, quam juvenis valde tenui, nihil ad tranquillitatem ecclesiarum & imperiorum magis conferre, quam mutuam illam in religionis negotio tolerantiam, sincerumque pacis studium. Ita si quis ἀτερ παθων evolvat epistolas *præstantium virorum* a cl. *Limborchio* editas, sentiet, quam præpostera & calida nimis fuerint multorum Theologorum de *Arminii* doctrina judicia; quam prudentia vero M. *Grotii*, *Utenbogardi* & aliorum, de dissensu hoc ferendo judicia; quam sint articuli ejus naturæ, ut facile tolerari potuissent, & quam parum discussiones illæ plebis ingenio fuerint attemperatæ; quam facile tandem triste hoc schisma componi potuisset, & adhuc posset, si mens non læva esset eorum, qui religionis articulos controversos cum cura expendere deberent. &c. &c. Vide cl. *Chauffepié* articulo *Utenbogardus*, in quo inter alia reperitur prudens & libera simul sermocinatio *Utenbogardi* ad quosdam F. *Belgii Proceres*, cum de synodo quadam convocanda, occasione litium inter *Gomarum* & *Arminium* componendarum, ageretur.

XIII. In

XIII.

In antecedentibus ad pruritum disputandi de quibusvis rebus, theologicis præsertim, reprimendum, & infaustum hæretificationis crimen evitandum, commendavimus publicis S. Theologiæ Doctoribus methodum per *ironiam* studiosos S. Literarum ad sui cognitionem perducendi, eosque a superbiæ & δεκνσισοφιας morbo retrahendi. Cum hac methodo conjunctum est proxime *studium prudens & circumspectum*, *imperfectionem cognitionis theologicæ*, *iis præsertim auditorum nostrorum*, *quos aliquo quidem eruditionis juvenilis apparatu instructos*, *sed & vano jam ambitionis vento in præceps actos videmus*, *repræsentandi*. Ita enim fieri potest, ut mature de suis viribus & qualicunque profectu theologico discant *minus magnifice* sentire, alios non despicere, neque eos alto supercilio contemnere, aut dissentientes infaustis calamis infestare. Erunt fortasse non pauci, qui clamabunt hanc viam *periculosam* esse, & provocabunt ad ea, quæ ipsemet expertus sim edita oratione *de præcellentia eruditionis theologicæ*, *qua instructæ erunt mentes cœlo receptæ*, *collatæ cum imperfecta & umbratili*, *quæ in terris locum habet*, *rerum divinarum cognitione*; insurrexisse enim contra me non paucos in urbe & agro V. D. Ministros; saltem hanc methodum multos studiosorum ad *scepticismum*, teterrimum malum invitare posse &c. &c. Per partes, sed *strictim* tamen, ad hanc tritam objectionem respondebo. Et (I.) quidem dixi, hanc imperfectæ nostræ cognitionis repræsentationem oportere esse *prudentem & circumspectam*. Talis autem erit, si *incertum* plane ab eo, quod *certis* tantum *probabilitatis* gradibus absolvitur, probe distinguamus, eumque in finem singulas eruditionis partes percurrendo hanc regulam probe observemus. Inprimis auditoribus suis, quænam requirantur ad *evidentiam mathematicam* obtinendam, & quam *raro* hæc in disciplinis theologicis obtineri possit, inculcare debent divinarum disciplinarum Doctores. (II.) Metus ille *scepticismi vanus* plane est. Inter mille sacræ disciplinæ alumnos vix *unus* est, qui ad ἐποχην non dicam *universalem*, sed ad *particularem* duntaxat, respectu disciplinarum quarundam theologicarum inclinet. Malunt jurare in verba Magistrorum suorum, cum propter ingeniorum defectum, tum propterea quod cottidie observent credulitatem & pertinaciam in semel arreptis hypothesibus defen-

dendis cum spe remunerationis esse conjunctam, libertatem vero cuncta examinandi suspectam esse multis sacri ordinis viris, ac sæpissimeque erectiora ingenia post carecta latere debere. (*) (III.) Si omnia rite perpendamus, manifestum erit, *plus periculi* semper exortum in ecclesiis christianis a *fastu Dogmaticorum*, hominumque qui magno ardore minutas hypotheses defenderunt, quam ab iis, qui in decidendis controversiis ad ἐποχην, tanquam ad sacram quandam anchoram, recurrendum esse ingeminarunt. Percurre ecclesiarum annales, & hæresium origines pervestiga, & verum esse quod dico patebit. (IV.) Quod si essentialia capita, in symbolo apostolico potissimum contenta, urgeantur, gravissimis argumentis probentur, & a præcipuis adversariorum objectionibus vindicentur, periculum non esse crediderim, multos studiosos theologiæ *scepticismo* patrocinaturos esse. Imo vero e contra contendo, eos ad morbum hunc valde proclives futuros, si animadvertant præceptores suos & publicos Doctores leves & parum profuturas quæstiones in cœlum laudibus tollere; earum momentum exaggerare; & pro iis tanquam pro aris & focis pugnare; re vero probe trutinata, & auditis & expensis utramque in partem allatis rationibus probe perspiciant, controversias illas tanto animorum æstu agitatas non magni esse momenti, neque ad veritatis evangelicæ & veræ pietatis incrementum quicquam conferre: hoc facto inquam, non solum solent præceptores suos in numerum umbraticorum Doctorum referre, sed & controversias omnes ejusdem, id est nullius pretii esse existimabunt, quo ipso a *scepticismo* fovendo non parum remoti erunt.

(V.) Quæ de oratione mea in medium proferuntur, malo silentio transire quam non satis de ea re dicere. Quicquid tandem sit, num sequitur; quidam orationem illam de *docta in theologia ignoran-*

(*) Pauci in universum loquendo S. disciplinæ cultores ita animati sunt in veræ religionis natura cognoscenda, quemadmodum id de se profitetur auctor consultationis de optima Christianorum secta, quæ, ut titulus præ se fert, 1688. Patavii edita est. Initio libelli enim ita de se pronuntiat: „ id unum semper datum mihi negotium putavi, ut adolescens viribusque animi auctior tandem dispicerem, num religio, vernacula illa & patria, qua inde a teneris imbui cœpi, vera esset, iisque regulis & argumentis constaret, quibus opus esse humilis quidam „ & pius animi sensus declararet. “

ignorantia impugnarunt, & auctorem defensitati *scepticismi* reum arguerunt. Ergo auctor scepticismum *vere* defendit? Num asserendum, nunquam veritatem in lucem esse proferendam & cordate tuendam, nisi quando certissimis indiciis constat, eam a nemine impugnatum iri? Hæc ratiocinatio si valet, actum est cum *veritate religionis christianæ*; actum cum *superstitionis omnibus impugnatoribus*; actum tandem cum non satis unquam laudato B. *Reformatorum* instituto.

XIV.

Denique ut multa alia silentio transeam, certum est proximi etiam errantis, imo hostis nostri *amorem*, esse *obligationem universalem*, veri *Christianismi notam characteristicam*, qui etiam cum *evidentissimis rationis præceptis* amice conspirat. Christus & Apostoli, Johannes cumprimis, amorem hunc frequentissime tanquam absolute necessarium officium hominibus inculcarunt; unde necessario sequitur, inanes & frivolas esse oportere omnes hæreticum ratiunculas, quibus pessimo crimini colorem aliquem conciliare voluerunt; ubi enim *expressa revelatio* clarissimis verbis prolata, ratioque solidissimis rationibus superstrata concinunt, fieri non potest, ut res per se *fœda*, & religioni ac societati civili detrimentosa, qualis est *hæreticatio*, ulla cum specie veri defendi possit. Rem hanc in aperta luce collocarunt viri docti, qui data opera de *libertate conscientiæ* & *mutua tolerantia* scripserunt; inter quos eminent P. *Baylius*, *Lokius* & alii multi; quibus adjungimus merito *Anonymum* Gallum, qui anno hujus seculi labentis 1753. libellum edidit lectu dignissimum, cujus titulus est: *L'accord parfait de la nature de la Raison, de la Revelation & de la Politique, ou Traité dans lequel on établit, que les voyes de rigueur, en matière de religion, blessent les droits de l'humanité, & sont également contraires aux lumieres de la raison, à la morale evangelique & au véritble intérêt de l'Etat. Par un Gentilhomme de Normandie, ancien Capitaine de Cavallerie au service de S. M. A Cologne chez Pierre Marteau. MDCCLIII.* Optandum esset, ut, quemadmodum in *Anglia* singulis annis ex instituto nobilissimi *Boyle* aliquot contra *Atheos* & *Deistas* a viris doctissimis *publicæ*

habentur

habentur *orationes*; ita pariter in omnibus Proteſtantium cœtibus addictis civitatibus *divinum* illud *dogma* de *libertate conſcientiæ & tolerantia* auditoribus in eccleſiis commendaretur. Perſuaſiſſimus ego ſum, *Atheos* & *Deiſtas* non tantum damni rebuspublicis & religioni chriſtianæ intuliſſe, quam execranda principia hæretificum, inprimis S. *Dominici* & J. *Lojolæ* diſcipulorum, Hæc vero Theologi inprimis auditoribus ſuis doctis & indoctis, imo civibus omnibus, frequentiſſime ob oculos ponere & inculcare debent. Certe hoc pluris ad publicam privatamque felicitatem promovendam conferret, quam ſterilis de novis typis & obſcuris Prophetarum oraculis repræſentatio, aut ethicæ chriſtianæ inintelligibilibus & hyperbolicis verbis delineata commendatio; ut de aliis articulis, qui ſine fine ita etiam ſine fructu populo chriſtiano propinantur, nihil dicam.

***

SECT. I.

MUlti ex iis, qui ſtudiis, præſertim humanioribus vacant, ſæpius hoc morbo laborare ſolent, ut opinionem quandam a ſe inventam, & vel leviſſima conjectura nixam, non laudent tantum & foveant, ſed impugnatam etiam tanto ardore defendant, ut non de opinione aut conjectura amplius agi putares, ſed de veritate vel certiſſimis argumentis ſuffulta: quæ agendi ratio innumeras rixas & logomachias peperit. Ne idem mihi accidat, ab initio aperte ſtatim dicam, me conjecturam, id eſt, opinionem quadam probabilitate inſtructam afferre; fumum ut non emere, ſic nec vendere ſoleo. Si cui hæc noſtra conjectura diſpliceat, ille meminerit nobis ipſis non ſatis certam de hac re ſententiam eſſe, ſed probabilem tantum. Si tamen omni probabilitate deſtituta eſt, cum cæteris opinionibus, quibus eruditionis campus horret, feratur. Hanc veniam petimusque damusque viciſſim: quod ſi enim omnes opiniones levi tibicine ſuffultæ è libris eliminarentur, quot quæſo opera ſalſamentariis tradenda eſſent. Sed ad rem veniam.

II.

Ante omnia moneo, me prolixe de voce *Segnirim*, ejuſque diverſa ſignificatione acturum non eſſe. Qui cuncta accurate & erudite hac de re dicta perlegere voluerit, is adeat omnium inſtar *Bochartum* & *Spencerum*, ſummos Philologos. Animus tantum eſt oſtendere, nullibi per *Segnirim* dæmones intelligi poſſe; locis autem Eſaj. XIII. & XXXIV. *Sacrificulos Sabæos*, quæ noſtra eſt conjectura, τὰς *Segnirim* denotare. Servabimus autem hunc ordinem, ut 1. opiniones virorum doctorum de *Segnirim* proponamus, & quid in iis deſideremus, adjungamus. 2. Noſtram conjecturam circa loca Eſajæ ſupra citata prolixius explicemus. 3. Quaſdam difficultates diluamus.

III.

Vocem *Sagnir* piloſum, hircum, & denique idolum ad hirci formam fabrefactum denotare, ab omnibus conceditur. Putamus autem

autem Levit. XVII. 7. & 2. Chron. XI. 15. per τυς *Segnirim* idola hircorum formam repræsentantia intelligi, cujus rei rationes infra dabimus, & primo loca Esaj. XIII. & XXXIV. considerabimus. Ibi per *Segnirim* οἱ LXX. Chaldæus, Syrus & Arabs, δαιμονια intelligunt, ipse quin etiam cl. *Bochartus*, *Spencerus* & alii magno numero, τυς LXX. secuti, intelligunt inconspicuas quasdam naturas, humana potentiores, generi humano inimicas, hircorumque specie sylvis inerrantes, miserisque mortalibus illudentes. Hanc autem opinionem propter sequentes rationes rejicio: 1. Quod hæc interpretatio a proprietate verborum sine causa recedat; primaria autem vocis origine hirsutum, inde hircum denotare palam est, hinc ipse Aquila vertit τυς τριχιωντας; inde, quod infra prolixe ostendetur, nulla probabilis causa dari potest cur *Segnirim* per δαιμονια LXX. interpretentur. 2. Maxime probabile est Alexandrinos ad opinionem, qua imbuti erant, interpretationem hanc accommodasse. Notum est exemplo Aristobuli Judæi, Peripatetici Philosophi, Scriptoris libri sapientiæ, Philonis Judæi, sectarumque judaicarum, philosophiam Græcorum, Platonis præcipue, tum temporis a Judæis deamatam fuisse, hinc factum ut οἱ LXX. aliquando videantur in interpretationibus suis opiniones tum temporis receptas sequi, quod aliquot exemplis ostendemus; v. gr. Ps. XCI. 6. verba hebraica per δαιμονιον μεσημβρινον reddidere, quæ versio opinioni Gentilium patrocinatur, putantium dæmones meridie quammaxime esse timendos: patet hoc ex hymno Callimachi in Lavacrum Palladis vers. 71. qui Deam describit cum Chariclone Nympha lavantem, hisce verbis:

Ἱππῳ ἐπι κρανᾳ ἑλικωνιδι καλα ῥεοισᾳ
Λωντο, μεσαμβρινα δ' εἰχ': ὀρος ἀσυχια
Ἀμφοτερας λωοντο, μεσαμβριναι δ'ἐσαν ὡραι
Πολλα δ' ἀσυχια τηνθ κατειχεν ὀρος

Hinc factum, ut Tiresias, per Heliconem tunc oberrans, Deæ conspecta oculorum usum amiserit. Locum jam adduxit cl. *Clericus* art. crit. p. 1. c. 1. Alius locus est apud *Theocritum Idyll. I. v.* 123. *seq.*

Ω Παν, Παν, εἴτ' ἐσσι κατ' ὄρεα μακρα λυκαιε,
Εἴτε τυ γ' ἀμφιπολεις μεγα μαιναλον.

O Pan, Pan, sive nunc es in monte alto lycæo,
Seu per magnum Mænalum obambulas.

Ita Exodi III. 14. *Ero qui ero*, ὁι LXX. reddiderunt per Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, probabili indicio, eos Platonicorum mentem secutos, qui solum Deum ita dici posse credebant; unde etiam Patres, *Justinus M. Cl. Alexand. Eusebius*, aliique putarunt, *Platonem* hæc è S. Literis surripuisse. Iidem LXX. Deut. XXXII. 8. verba hebraica *juxta numerum Angelorum Dei* transtulerunt sequentes veterum opiniones, nisi forsan, ut *Capellus* putat, pro *Ischrael* LXX. *El* legerint: (*) Pluribus testimoniis opus non est, cum in locis Esajæ Syrenes & Centauros invenerint, quod clarissime ostendit, eos hac in parte solas opiniones tum temporis receptas secutos esse. Quis autem hoc posito postulabit, ut hîc τυς LXX. sequamur? Chaldæos etiam Paraphrastas multis locis dæmones, ubi nulli sunt, paraphrasi suæ immiscuisse, multis iisque clarissimis exemplis ostendit cl. *van Dalen*, cap. 5. de *origine idololatriæ*. 3. Ideo LXX. versionem hîc rejicio, quod nihil causæ videam, cur in deserti *Idumeæ* locis dæmones hircorum formam induti inter bestias sylvestres saltarent, sibique invicem acclamarent. 4. Nullibi Deus per Prophetas Judæis cultum malorum spirituum objicit, sed cultum *Ælilim* sive *Chabolim*, id est vanitatum, idolorum arte fabricatorum, aures habentium, nec tamen audientium. 5. Jerem. X. 5. Esaj. XLI. 2. expresse ait Deus, idola nec bene, nec male facere posse: quod si autem ejusmodi mali dæmones sub forma animalium, quæ colebant, latebant; qua ratione dici posset, eos nocere non posse? Accedit quod Deus Ps. XCVI. 5. per Davidem dicat: *Omnes Dii populorum, Ælilim*, id est idola, & ut Paulus loquitur εἴδεν. 6. Tandem omnes interpretationis rationes, quas Judæi & Christiani afferunt, nullo niti videntur fundamento. *Aben-Ezra* ideo dæmones hircos

(*) Novam explicationem loci Genes XXXII. v. 8. dedit eruditus ANONYMUS: „ In denen vermischten Abhandlungen und Urtheilen yber das Neueste „ aus der Gelehrsamkeit, zweyten Theils pag. 364. seq Berolini 1756.

hircos dictos esse vult, quod maniaci eos videant in specie hircorum, vel ut *Kimchius*, quod sibi credentibus ita appareant, quam derivationis rationem ipse cl. *Bochartus* sequitur. Non nego dæmones existere, & potentiam habere in hæc inferiora, sed eos hominibus sub forma hirci visos esse, ex nullo loco S. Scripturæ probari poterit. Affert quidem cl. *Bochartus Hieroz.* T. 2. p. 828. locum *Philostrati* lib. 6. cap. 13. quo dicitur in vicum quendam veniisse σατυρα φαρμα, id est, Diabolum, ut *Bochartus* interpretatur; sed nullam causam video, cur hanc potestatem voci satyri subjiciat cl. vir. Constat præterea nugacissimum autorem esse *Philostratum*, quod olim pluribus probavit cl. *Moshemius*, in observationibus, quas in *Philostratum* promisit. Nec locus *Augustini* ab eodem *Bocharto* allatus quicquam probat; verbo nulla possunt hujus rei exempla dari, nisi hominum superstitione Gentilium imbutorum; nec dignum est refutatione exemplum boni *Antonii*, quod affert *Hieronymus*: vide tamen quid de hoc viso dicat cl. *Clericus* quæst. *Hieronym.* p. 272.

IV.

Transeamus ad loca Levit. XVII. 7. & 2. Chronic. XI. 15. Priori loco prohibentur Israelitæ sacrificare τοις *Seguirim*, & 2. Chronic. XI. de *Jeroboamo* dicitur, *quod fecerit sibi sacerdotes lebamoth ulsegnarim ulgnegalim i. e. pro excelsis, pro dæmonibus & pro vitulis.* Quas duas ultimas voces οι LXX. per τοις εἰδωλοις καὶ τοις μοσχοις reddidere, & quidem non multum refragante cl. *Bocharto*: nec aliter quam de idolis, hircorum formam repræsentantibus, intelligi potest, nisi statuamus & dæmones sub vitulorum forma apparuisse, unde tandem tot formas dæmonum statuere debebimus, quot sunt cultus idololatrici objecta: confirmant autem hanc explicationem multa loca a *Bocharto* & *Spencero* allata, ex quibus constat, Ægyptios idola formam hirci repræsentantia, certe statuas animalium in templis habuisse; quod docet *Mela* lib. 1. cap. 9. *Colunt effigies multorum animalium, atque ipsa magis animalia.* Confirmat *Strabo Lib XVIII.*

V.

Quemadmodum vero citata Levit. & Chronic. loca per *Segnirim*, idola ad formam hircorum fabrefacta intelligi debent; ita in utroque Esajæ loco aliam significationem necessario desiderant. Cum autem supra ostenderimus frustra hic dæmones intelligi, viri cl. *van Dalen*, *Bekkerus* & Jacobus *Basnage*, hircos sylvestres intelligunt, partim significatione vocis *Sagnir* nixi, partim quod illi *Segnirim* cum aliis animalibus jungantur. Sed nec huic sententiæ album calculum adjicere potui, quia 1. minus probabile, nec experientia confirmatum, hircos in locis arenosis, omnique pastu destitutis degere: jam autem è scopo Prophetæ satis patet, eum ostendere voluisse hæc loca fore summe desolata & deserta. 2. Illa saltatio & mutua acclamatio in locis desertis certas circumstantias significare videtur, quæ ad ritum quendam idololatricum tendunt, quod ex infra dicendis patebit. 3. Non video quare *ὁι* LXX. prorsus hic deserendi sint; quamvis enim in eo errent, quod dæmones hic inveniant, nihilominus tamen per traditionem eos sciviſse puto, idololatricum quendam cultum non satis iis cognitum in locis desertis locum habuisse, præsertim cum loca Levit. XVII. & 2. Chron. XI. huc manifeste tendant. Cum autem de idolis hircorum formam habentibus dici haud possit ea saltare, sibique invicem acclamare, tentandum est, utrum sensus quidam & proprietati linguæ & rei naturæ conveniens inveniri possit, quo hæc illustrentur. Et mea quidem opinione hoc fieri posset commode, si per *Segnirim* sacrificulos Sabæos intelligeremus; quo nomine, ne quis mihi de antiquitate hujus gentis controversiam moveat, antiquissimos orientis idololatras intelligo. Videamus autem quo fundamento hæc conjectura nitatur; per gradus autem & probabilium concursum hujus conjecturæ vim ostendemus. Quiescat interim paululum præjudicium novitatis & auctoritatis.

VI.

Observamus autem (a) vocem *Sagnir* primaria significatione notare hirsutum, pilosum; ita Genes. XXVII. 11. *Esavus* dicitur *Isch Saguir*; idem de *Elia* dicitur 2. Reg. I. 8. 1. Reg. XIII. 19.

(b) Pro-

(b) Prophetas Vet. Testamenti ejusmodi vestitu hirsuto sæpius indutos fuisse constat ex Hebr. XI. 37. ubi dicitur, quod περιηλθον εν μηλωταις, εν αιγειοις δερμασιν. Ita *Esajas* juxta LXX. σακκω indutus esse dicitur, per quam vocem vestem intelligi debere probabile est. Ita & Joannes Baptista in deserto ejusmodi veste indutus erat, σακκον ἠμπιχέλο ταπεινοφροσυνης ἐνδυμα, ut loquitur *Clemens Alexand. op. Potteri T. I. p.* 237. Hunc morem aliis ex principiis secuti sunt falsi Prophetæ, ut rigidi satellites virtutis esse viderentur; nam teste *Juvenale:*

Hispida membra quidem, & duræ per brachia setæ
Promittunt atrocem animum. - - - -

Ita & accipio (verba sunt cl. J. *Hasæi*, nuper magno politioris literaturæ damno nobis erepti, in *diss. Bibl. huj. class. I. p.* 704.) quod Christus dicit de pseudoprophetis, Matth. VII. eos incedere εν ἐνδυματι προβατων, nonsolum allegorice, sed & literaliter allusione facta ad mores eorum, qui se prophetas tum temporis jactabant, eaque propter se ovium velleribus & caprarum circumvestire consueverant, ex veteris verorum prophetarum vestitus imitatione. Ita Zach. XIII. 4. ex κακοζηλια falsi prophetæ induti erant *addæreth sagnir*, i. e. toga villosa, δερρην τριχινην, & notatu digna sunt verba ultima: *ne mentiantur.* Fortassis ut putat cl. Theologus Ultrajectinus, F. A. *Lampe*, in *dissert. de Esaja nudo*, respexit Propheta ad morem vatum Gentilium, qui aut pelle induti incedebant, aut in pelle strati oracula fundebant. Sic de Pythagora refert *Porphyrius* ed. *Kusteri pag.* 20. eum, postquam ad Idæos Dactylos Cretam perveniisset, sacris initiatum, fuisse noctu παρα ποταμω ἀργειω μελανος μαλλοις ἐστεφανωμενον, & additur εἰς δε το ἱδαιον καλουμενον ἀντρον καταβαν ἱρια ἐχων μελανα, unde constat Sacerdotes hoc vestitu indutos plebi illusisse. Hinc Bacchi comitibus Satyris, qui nostri *Segnirim* sunt, teste *Polluce Lib. IV. cap.* 18. Erat ἐθνις νεβρις, ἀιγη ἡν καὶ ἰζανην (vel ut *Casaubonus* ἰσαλην) vel τραγην vocant, & *Dionysius Halicarnass. Lib. VII.* de indumentis Satyrorum præter alia refert δορας τραγων, de qua re vide plura apud *Cuperum, observat. Lib. II. c.* 12. & comment. *Pollucis.* Imo omnis ævi historia tradit, Sacerdotes veri castique Dei cultus ignaros,

externo

externo corporis habitu ad austeritatem compositio, singularis pietatis splendorem & famam affectasse. Jure igitur ejusmodi Sacerdotes villosis vestibus induti *Segnirim* dici possunt.

VII.

In citatis (c) Esajæ locis de *Segnirim* dicitur, eos in desertis locis degere & ibi saltare: utrumque quammaxime convenit sacrificulis; constat ex 2. Chron. XI. 15. iis constitutos fuisse sacerdotes; confirmat id *Diod. Sic. Lib.* 2. dicens, opportuisse τους Ἱερεις τους παραλαβοντας πατρικας ἱερωσυνας καὶ Αἰγυπτον τυτω τῶ Θεῶ (τον τραγον intelligit) πρωτον μυεισθαι. In sylvis præterea erant simulacra & aræ, quibus sacrificia offerebantur; quod omnis ævi testatur antiquitas. *Herodotus* in *Euterpe cap.* 138. sic nobis Dianæ templum depingit: Ἐστὶ δὲ ἐσωθεν ἀλσος δενδρεων μεγιστων πεφυτευμενων περι νηον μεγαν εν τω δὴ τὠγαλμα ἐνι. *Interius autem lucus est ingens maximarum arborum plantatarum circa templum, in quo simulacrum est.* Inibi jam multa sacrificia offerebantur; quis autem credat ab hircis vel dæmonibus hæc comesta fuisse? Sane dubitandum non est, quin sacrificuli illi dæmones fuerint, hinc quod *Porphyrius* apud *Eusebium præp. evang. Lib* 4. sub finem de dæmonibus dixit, nos summo jure de sacrificulis dicere possumus, ὑτοι οι χαιροντες λοιβῃ τε κνισσῃ τε δι ὠν αὐτων πνευματικον πιαινεται *Illi sunt qui nidore & libatione delectantur; quibus spirituale ipsorum corpus pinguescit.* Historia sane sacerdotum Beli, sacrificiorum apud oracula oblatorum commessatio, & nota per omnia secula sacrificulorum idololatrarum fraus satis ostendunt, non dæmones, sed sacerdotes oblata sacrificia avidis dentibus rapta tartareo specu condidisse, ut elegantissimis *Phædri* verbis utar. Nihilominus tamen multi ex antiquis ecclesiæ Patribus credidere, malos dæmones nidore sacrificiorum pasci. *Athenag. Leg. pag. m.* 109. Οἱ περι την ὑλην δαιμονες λιχνοι περι τας κνισσας καὶ το των Ἱερειων αἱμα ὀντες, dæmones *illi materiis dediti, nidoris & sanguinis victimarum avidi sunt.* Similiter *Min. Felix, pag.* 160. *ed. Davisii, nidore altarium & hostiis pecudum saginari*, ait, quos *Origenes* & *Tertullianus* sequuntur. Mirum autem est eosdem risisse Gentiles, quod his cibis Deos vesci crederent. *Arnob. Lib.* 7. „ Date igitur quæso immortalibus Diis,

„ bibant.

„ bibant, scyphos, brias, pateras, sympiviaque depromite: & quo-
„ niam tauris, pinguibusque dapibus se reficiunt, ne quod in stoma-
„ chi tramite male transvoratum subsititerit viscus, succurrite, prope-
„ rate; Jovi O. M. merum, ne præfocetur, date: cupit eructare,
„ nec potis est; ac ni illa labatur & solvatur obstructio, periculum
„ maximum est, neoblisus interrumpatur spiritus, & viduatum re-
„ maneat, sine suis administratoribus cœlum. "

VIII.

(d) Accedit, quod Levit XVII. 7. prohibeantur sacrificare τοις *Segnirim*, addita causa, *quos sectantur ipsi scortando*, quæ nonsolum de idololatria, sed proprie intelligenda sunt; notum enim est abominandas lubidines in locis illis sacris commissas fuisse. Confirmat id historicus sacer, 1. Reg. XIV. 23. 24. & alibi pluribus locis; imo, quod maxime notandum, erant scorta ejusmodi idolo sacra, quæ *Kedeschot* & *Kedaschim* vocabantur: jam autem sacrificuli in parum castis his lucis abominandis criminibus se contaminasse multis exemplis, si necesse esset, ostenderem. Vide, si placet, *Herodotum*, *lib.* 1. *cap.* 199. de more Babyloniorum; *Strabonem*, *lib.* 12. de Comana Cappadociæ, & templo illic Deæ Lunæ sacro; epistolam *Jeremiæ Baruco* subnexam, nec mireris in lucis ejusmodi fraudes commissas esse: Hujus generis detestandus ritus vel hodiernos Indiæ Orientalis idololatras invasit, & ortum debet sacrificulorum fraudibus. Vide cl. *la Croze*, *histoire du Christianisme des Indes*, *Lib.* 6. *p.* 488. Imo quod magis horum hominum audaciam ostendit, in locis, ubi oracula reddebantur, nequissimi nebulones fœminas accedentes vitiarunt. Vide *Herodot. lib.* 1. de turri in templo Babylonico Beli; *Joseph. Antiq. lib.* 18. *pag.* 622. de Paulina ope sacerdotum Isidis a juvene vitiata; *Russini hist. eccles. lib.* 2. *cap.* 25. Quid ergo mirum, si *Segnirim* illi sylvis degant? Hinc puto etiam rationem petendam, cur minus viri, sed solæ fœminæ in quibusdam templis pernoctare potuerint. Vide *Macrob. lib.* 1. *Saturnal. cap.* 12. & *Lipsium de Vesta cap.* 3. Adde citatis testimoniis locum *Luciani* de *amoribus*, & *Eusebii* de vita *Constantini Magni* lib. 3. cap. 55. *Clericum* ad vers. 7. capitis XVII Levitici, & ad v. 15. cap. XXXIV. Exodi. Sed pergendum.

IX.

Dicuntur (e) nostri *Segnirim* saltare. Plurimis in locis saltatio illa de sacrificulis adhibetur; ita Hos. X. 5. & de Israelitis, Exod. XXXII. 6. dicitur: *Et surrexerunt ad ludendum*, *Lezachek*, quod nonsolum de commessationibus, sed tripudiis etiam intelligendum esse consentiunt interpretes. Et notum est, in festis præcipue Bacchi miras fuisse gesticulationes & saltationes: hinc *Lucianus tom.* 1. *p.* 794. *ed. Græv.*, vocat institutum θειον καὶ μυστικον. Ita Thyades, atticæ mulieres, quotannis ad Bacchi sacra Delphos proficiscentes, per viam solitæ erant saltare, maxime ad Panopeum, quam ideo καλλιχορον *Homerus* vocavit, *Odyss.* 11. ut notat *Pausanias* in Photicis; atque adeo antiquiores Græcos in honorem Deorum choreas, maxime celebritatibus publicis, agitare solitos fuisse ex infinitis auctoribus probatur: verba sunt cl. *Feithii antiq. Hom. lib.* 4. *cap.* 5. hinc Satyri saltabundi finguntur, & ut verbo dicam, tota de Satyris fabula ex antiquissimo των *Segnirim* cultu derivata esse videtur, quæ paululum considerabimus, & inde conjecturæ nostræ robur addemus.

X.

Equidem 1. respectu derivationis non est consensus inter eruditos. Satyrum *Heinsius* a hebræa voce *Satar* latere, *Perizonius* a Chald. *Satar* latus, *Clericus* ab arabico *Satar molestiam inferre* derivat. Alii tamen non minus eruditi Philologi a *Sagnir* derivant, inter quos, ut alios taceam, referendus est cl. *Vitringa* in commentario ad Esaj. XIII. pag. 414. ita dicens: *Ne longus sim, certissime intelliguntur Satyri, Gentilibus sic dicti, estque nomen satyr vel satyrus ipsissimum nomen Hebræorum Sagnir vel* Sa-ir, *litera t hebræa guain interposita, & adspirationem naturalem, quæ est in litera compensante, ut adeo necesse non sit comparare vocem cum hebraica minus recepta Sotera, ut Buxtorfius apud Bochartum*; hactenus *Vitringa*. 2. Constat Bacchi cultum in Ægypto ortum habuisse; vide *Herodot. lib.* 2. *cap.* 49. *Plutarchum* de *Iside & Osiride*, *p.* 355. *seq.* & multis *Bochartum* in *Phaleg.* & *Hieroz.* 3. Bacchus apud *Euripidem* & multis locis aliis ταυρομορφος describitur:

Ἀλλ ἠ ποτ' ἠσθα Θηρ, τεταυρωσαι γαρ ὀν.
Nunc fera factus, tauri enim speciem geris.

Alium locum *Bochartus* ex Plutarcho adducit, de mulieribus in Elide hunc hymnum Baccho canentibus: Ἐλθειν Ἡρω Διονυσε ἁλιον ἐς ναον ἁγνον, συν χαριτεσσιν ἐς ναον, τῳ βοεῳ ποδι θυων, ἀξιε Θαυρε, ἀξιε Θαυρε. *Veni heros Bacche in sacrum fanum maritimum, cum Gratiis in templum bubulo pede ruens, digne Taure, digne Taure.* 4. Satyri erant saltantes & salaces, hircus animal salacissimum. 5. Hujus Bacchi comites erant Satyri, Sileni, Fauni, hi sine dubio primi illi erant, qui Bacchum rerum gestarum magnitudine celebrem post mortem in Deorum numerum retulerunt, cultumque ei instituerunt; homines autem fuisse Satyros illos testatur *Lucianus, op. tom. 2. p.* 710. Amst. 1687. cujus verba prolixiora latine tantum dabo: *Generosissimus ille Bacchus semihomo, nec materna stirpe græcus, sed mercatoris cujusdam Syrophœnicis, nempe Cadmi ex filia nepos, posteaquam immortalitate donatus est, qualis quidem ipse sit non dico, neque mitram, neque ebrietatem, neque incestum. Videtis enim opinor omnes, quam mollis sit & effœminatus natura, semi insanus, statim a summo mane merum spirans. Hic sodalitium universum nobis adscivit & adducto choro adest, Deosque fecit Pana, Silenum & Satyros,* NB. *agrestes quospiam & caprarios multos, saltatores homines, & forma horribiles: quorum hic quidem cornutus, dimidiaque corporis inferioris parte capram referens, barbaque promissa parum a hirco differt &c.* Confer elegantissimam gemmam hæc illustrantem, quam in libello de poësi satyr. attulit, ὁ πανυ *Casaubonus*, & junge celeberrimi Theodori *Hasæi dissertationem, tom.* 15. *historiæ criticæ Massonii* insertam, in qua multa erudite congesta observabis. Cum autem constet antiquissimas gentes ejusmodi Satyros credidisse, originem vel ex eo quammaxime repetendam esse puto, quod Satyri illi primitus fuerint homines plebi illudentes, & sacrificiorum oblatione quæstum facientes; nec enim vel hircos solos, vel dæmones fuisse credi par est. Hinc *Lucianus tom.* 1. *pag.* 369. postquam narrasset Sophistas & Sacrificulos narrare, Deos quosdam metu hostium in Ægyptum venisse, & inibi quasdam arietis, quasdam hirci formas induisse, ad finem colloquii hæc

addit; hæc, quæ ita a vulgo creduntur, mihi postulare videntur, τὰ μὴ ἐπιτιμήσοντος, ὑδενὸς, Ἡρακλείτῳ δέ τινος ἢ Δημοκρίτῳ.

XI.

Hinc viri docti, qui *Segnirim* aut hircos aut dæmones esse putant, nullam veri similem causam reddere possunt, qua ratione factum sit, ut tot diffitæ gentes fabulæ de Satyris fidem habuerint: qui enim dicunt, dæmones hircorum forma apparuisse, prudentioribus nunquam satisfacient, nec meliores sunt conjecturæ cl. *Causauboni* & *Vitringæ*. Ille de *satyr. poësi lib.* 1. *cap.* 2. originem hujus rei ita pandit: *Mera sunt delirantium Poëtarum, deinde Pictorum figmenta, in quibus nulla esse potest constantia; absit enim ut putemus extare ullos, aut extitisse unquam in rerum natura Satyros Silenosque, sed cum errans aut ludens natura, sicut ait Plinius, hominem aliquando produxisset in lucem cum cornibus aut alia deformitate contra consuetas ipsi leges notabilem, paulatim sibi persuasere mortales rerum imperiti, & naturali quadam inclinatione generis humani ad τερατολογιαν & rerum mirabilium fictionem justa proni, nasci in sylvis & abruptis montium tale animalium genus; quod commentum pari levitate a posteris acceptum & varie concinnatum est, atque a prioribus fuit excogitatum.* Ita *Casaubonus*. Cl. vero *Vitringa* putat homines vidisse in sylvis animalia, αἰγοπιθήκους, similis caprinæ speciei similia, hinc putasse ea esse dæmonum speciem homini illudentem. Sed quis non videt longe petitas & parum verisimiles esse has conjecturas: quis enim credat totam antiquitatem & Ægyptios sapientissimam gentem, vel ex hoc solo ad cultum Satyrorum motos fuisse, quod aliquando hominem cornutum quis viderit, aut simias in sylvis saltantes? Cur non toties totiesque observare potuissent, in locis, ubi magna horum copia erat, animalia tantum esse? Sane qui cultum idololatrarum omnium paulo penitius considerabit, maximam partem cuncta ad fraudem composita fuisse perspiciet, inibique sacrificulos maximam fabulæ partem egisse.

XII.

(f) Putamus autem nos, ſtante hypotheſi noſtra, rationem hujus rei longe probabiliorem, reique naturæ convenientiorem dare poſſe, quod denuo noſtræ conjecturæ pondus aliquod adjicere poſſet. Ego rem ita concipio. (1.) Credebant antiquiſſimi idololatræ duo eſſe contraria æterna rerum principia, *bonum* & *malum*, quod ingenti teſtimoniorum farragine probare poſſem, niſi hic mihi otia feciſſet cl. Chriſtoph. *Wolfius*, in erudito libello de *Manichæiſmo ante Manichæos*. (2.) Credebant malum principium variis ſub formis hominibus illudere, & præcipue in locis teſquis & deſertis errare. (3.) Ad augendam & fovendam hanc ſuperſtitionem quammaxime accommodatæ erant ſylvæ & luci. In lucis enim cultui profano conſecratis inuſitatæ proceritatis & vetuſtatis arbores, profunda ſilentia, ſancta quædam & nativa ruditas, arborum denſitate fugata dies, horrida ſpectacula, arbores Deorum imagines referentes, credulos homines ad ſuperſtitionem commoverunt, iiſque procul dubio Numinis ibidem latentis fidem fecerunt, ſummamque reverentiam incuſſerunt. Ita *Seneca epiſtola XLI. Si tibi occurrit vetuſtis arboribus & ſolitam altitudinem egreſſis frequens lucus, & conſpectum cœli denſitate ramorum aliorum alios protegentium ſubmovens, illa proceritas ſylvæ & admiratio umbræ, in aperto tam denſæ & continuæ fidem tibi Numinis facit.* Vide eruditum *Spencerum lib. 3. cap. 6.* (4.) Ut igitur ſacerdotes hanc ſuperſtitionem confirmarent, & in ſuos uſus converterent, ſine dubio fraude & malitia uſi ſunt, nempe hirſutis veſtibus induti, aut hircorum tergis contecti, promiſſa barba, voce tetra & lugubri, geſticulationibus variis per ſylvas hinc inde errarunt, inibique plebem credulam & præjudiciis de malo principio captam confirmarunt, dari nempe in ſylvis malos dæmones hircorum ſpecie apparentes, quantocius igitur ſacrificia offerenda, eorumque iram placandam; aras igitur & idola, tetros hos dæmones repræſentantia, aſtuti confecerunt. Nec res hæc tum temporis difficulter ita componi potuit. Finge tibi hominem ſuperſtitioſum & timore dæmonum perculſum noctu per ſylvas euntem: is ſi viderit Eremicolam quendam, aut lunæ lucem arborum foliis & ramis varie reflexam, ſtatim dæmonis imaginem ſibi præſentem ſiſtet, & credulæ turbæ domum rediens, magna vocis titu-

batione, fronte mire ad metum compoſita, viſum narrabit, quo facto certe integra familia in opinione confirmabitur. (5.) Tandem, cum ſacrificuli ſacrificiorum allatorum copia laute ſaginarentur & niterent, cæremonias multiplicarunt, myſtas inſtituerunt, & inde fabulam hanc longe lateque propagarunt, præprimis cum magnam plebs fidem habuerit ſemper ſacerdotibus. Si quis objiciat multum me conjecturis hîc tribuere, non abnuam. Sed nil hîc fingo, quod non facillime fieri potuerit. Qui deteſtabilem fraudem ſacerdotum in oraculis procudendis bene perpenderit, is, quam facile hæc fieri poterint, videbit. Et bone Deus! quot fictas hiſtorias & ridenda miracula Romanenſes ſacrificuli plebi perſuaſerunt, quæ nec hodienum e multorum mentibus eradicari poſſunt. Si quis jam omnia argumenta, quæ pro noſtra conjectura attulimus, ſimul jungat, is, ni fallor, fatebitur probabile eſſe, noſtros *Segnirim* ſacrificulos fuiſſe.

XIII.

Sed ut nihil omiſiſſe videar, diſſentientium objectiones audiendæ ſunt. Prodeat 1. cl. *Vitringa* in *commentar. ad Eſaj. T.* 1. *pag.* 414. ita, de iis qui hic dæmones videre non poſſunt, dicens: „ Qui hoc ſeculo noſtro præ cæteris videri volunt ſapere, has & ſi„ miles ſententias adſcribunt imbecillitati judicii ſuperſtitioſorum „ & meticuloſorum hominum, & ego illos facile ſibi & ſuis ſapere „ patior, dum ita perſuaſus ſum, vulgares illas ſententias ita ex„ plicari & defendi poſſe, ut nihil habeant abſurdi, ſed veri plu„ rimum: media quædam via eſt inter ſuperſtitionem & δυσπιστο„ φιαν illorum hominum, qui quarum rerum aut φαινομενων cau„ ſas non vident, eas ipſi res aut φαινομενα fidenter negant, quod „ meo ingenio alienum eſt. Ignorantia noſtra & judicii imbecillitas „ modum non ponunt divinæ providentiæ ejus, quæ mirabilis eſt „ ad hanc normam exigere. „ Hoc cl. Theologi judicium in genere conſideratum prudentiſſimum & modeſtiſſimum eſſe quis neget? Inconſulti illi ſunt, qui omnes veterum opiniones a noſtris hypotheſibus abhorrentes damnant, easque ad noſtros conceptus formari volunt; ſane bene ageretur cum religione chriſtiana, ſi illi qui S. Scripturam interpretantur, ſimplicem ejus ſenſum ſequerentur, nec hypotheſes philoſophicas incertas ſæpe pro norma multarum interpreta-

pretationum haberent. In specie imprudentes sunt, qui ea negant, quorum inadæquatos minimeque perspicuos conceptus habent: hinc nunquam cl. *Bekeri* opinonem, ex natura spirituum maxime de eorum operationibus ratiocinantem, amplecti potui, partim, quod tota nostra de regno spirituum cognitio obscura & debilis sit, partim, quod sæpius contra bonæ interpretationis leges S. Scripturam interpretetur. Interim tamen prudens veritatis indagator non postulabit, ut insolita fingamus, ubi nulla sunt, aut, ut veterum opiniones sine examine admittamus quascunque, vel ideo tantum, quod olim multi insolita fieri potuerint. Non hoc quæritur inter me & dissentientes, utrum existant substantiæ quædam humana potentiores, generique humano inimicæ, nec utrum aliquam in hæc inferiora potestatem habeant; sed utrum in explicatione quorundam locorum S. Scripturæ versio τῶν LXX. nulla auctoritate subnixa sequenda sit, vel potius sensus hebraico idiomati, & rei naturæ conformis quærendus: nec sequitur, hic vel ille in quibusdam locis dæmones non videt; ergo prorsus eos negat. Scimus cl. Theologum F. *Junium* per *Segnirim scopes* intellexisse, nec ideo tamen temeritatis aut δικησισοφιας crimen quisquam ei jure impinget.

XIV.

Transeo ergo ad alia. Amicus, cui hanc meam conjecturam communicavi, quædam contra eam monebat: ait ille, Levit. XVII. 7. expresse dici Ægyptios sacrificasse τοις *Segnirim*, jam autem sacrificia non offerri sacerdotibus, sed Diis, imo 2. Chronic. XI. aperte sacerdotes a τοις *Segnirim* distingui. Sed hæc cum sententia mea pugnare non videntur; non nego duobus citatis locis de idolis agi, & sacrificulos ab iis distingui, sed cum consentientibus omnibus, diversa, voce *Sagnir*, significentur, ego argumentis adductus primariam vocis originem, qua hirsutum denotat, servavi, ideo quia Jesaiæ locis quammaxime convenire videtur. Dubium non est, quin sacrificuli illi plebi persuaserint, varias illas figuras & εἰδωλα, hirsutorum animalium specie repræsentata, inconspicuarum quarundam sed malignarum & generi humano inimicarum substantiarum formas designare. Unde Scriptor Sacer dicere potuit, miseros

ros homines τοις *Segnirim* sacrificasse. Pergit ille, Ægyptii multæ animalia, feles, bovem, canem &c. coluerunt, jam cultus hircorum similem originem habet; ergo sacerdotes esse non possunt, cum idem respectu aliorum animalium dici deberet, quod absonum. Sed si vel maxime rationem reddere non possem, qua ratione omnis hic Ægyptiorum cultus superstitiosus ortus sit, non inde sequeretur, ergo cultus των *Segnirim* non ea, qua dixi, ratione sciri potuit. In genere a Paulo discimus, quod δοξαν τε Θεε ἀφθαρτε mutarint εν ὁμοιωματι φθαρτε ἀνθρωπε καὶ πετεινων, καὶ τετραποδων καὶ ἑρπετων: hoc nobis sufficit; rationes autem singulares omnium hujus rei circumstantiarum nos latent; interim cum fraudes sacerdotum gentilium perspectæ sint, nihilque absurdi in mea sententia inveniatur, ferenda est, usque dum certiora hic habeamus. Contra loca Esaj. XIII. & XXXIV. excipit ille. Cur sacerdotes horrendis bestiis in sylvis degentibus jungantur? Sed hanc ipsam objectionem jam contra eos, qui dæmones esse statuunt, retorsi: ut autem directe respondeam, dico hic ad scopum solummodo Prophetæ respiciendum esse, qui id tantum dicere vult, loca hæc fore summe desolata, hominibusque incussura horrorem, quod ipse cl. *Vitringa* agnoscit; nec ultra igitur extendenda verba. Cum autem aliunde constet, sacrificulos solitos sylvis inerrare, inibique varia idololatriæ instrumenta fuisse, mirum non est, si hic cum bestiis in sylvis degentibus jungantur.

XV.

Postquam hæc jam in chartam conjeci, video cl. *Clericum Biblioth. selectæ tom.* 3. quædam contra explicationem locorum Levit. XVII. & 2. Chron. XI. monuisse. In explicatione locorum Jesaj. XIII. & XXXIV. mecum consentit, nullos hic dæmones intelligi debere. *En effet*, ait ille, *Sagnir signifie proprement vélu, & se prend communement pour un bouc. Ce n'est qu'en suivant les idées des Payens, qui croyoient, que dans les deserts, il y avoit des Pans & des Satyres, que les Interprêtes grecs ont traduit ici des démons; en quoi néanmoins ils ont été suivis de plusieurs autres Interprêtes. Ces mêmes idées grecques leur ont fait trouver là des Syrenes & des Onocentaures, qui sont des animaux fabuleux.* Ad locum autem

autem 2. Chron. XI. quem nos cum *van Dalen* de idolis hircorum formam habentibus explicuimus, objicit cl. vir, quod cultus vitulorum expresse in S. Scriptura nominetur, de statua autem hirci a Jeroboamo posita altum esse silentium; jam autem minus probabile esse, Deum hircorum cultum Jeroboamo non exprobraturum fuisse, cum id fecerit respectu vitulorum. Sed præterquam, quod ex silentio Scripturæ hic non satis certo argumentari possimus, hæc objectio ipsum ferit cl. *Clericum*: si enim Jeroboamus dæmones quosdam malos æque sub forma hircorum ac vitulorum coluit, quæ ratio esset, ut Deus unum exprobraret, de altero sileret? Deinde haud improbabile est, vel ideo cultum vituli toties Jeroboamo objectum fuisse, quod Deus singulari quadam ratione crimen Israëlitarum olim commissum & iram contra intentatam in memoriam ei revocare voluerit. Instat tamen cl. vir, dicendo: Zabios sub forma hircorum inconspicuas quasdam naturas coluisse, hinc Judæos recte dicere posse, eos dæmonibus malis sacrificasse: sed vellem 1. ut cl. vir expressum locum ex antiquitate petitum attulisset, quo constaret, Ægyptios sub imagine hirci inconspicuas quasdam naturas coluisse; nec enim testimonia *Maimonidis* de Zabiis allata ipse cl. vir amplectitur, quod ex indice philologico ad *Stanleji* historiam philosophiæ orientalis patet. 2. Si vel maxime inconspicuas quasdam naturas coluissent Zabii, non inde tamen sequeretur, eos eam de iis ideam habuisse, ac nos de spiritibus malis, quod ipse alicubi in arte critica monet: hinc cum ipse supra moneat opinionem LXX. Interpretum de dæmonibus malis Satyrorum instar in sylvis degentibus confictam esse ad opiniones Græcorum, nescio qua ratione Esajæ hanc mentem tribuere possit, præsertim cum, quid Judæi tum temporis de dæmonibus malis senserint, non adeo apertum sit. Tandem quemadmodum vox *Gnegel* semper aut vitulum aut idolum hujus formæ, non inconspicuam quandam naturam notat, ita simili ego ratione puto, vocem *Sagnir* hac in parte præter hircum hirsutum, vel idolum hirci, nil significare. Certe hic exacte ratiocinari non licet, dum multa nobis incognita sint. Interim quicquid sit, hæc non impediunt, quo minus conjecturis hic locus sit. Nec tamen cum quoquam hac de re litigare velim. In omnibus modeste dissentientes ferre possum. Contentiosos, quique omnem novam opinionem eamque innocuam de-

teſtantur, & invidioſo conſequentiarum συρματι urgere ſolent, indignos puto, quibuſcum conferatur. Non agitur hic de articulis religionis cum ſalute connexis, ſed de vocabuli hebraici ſignificatione. Per me ergo perinde eſt utrum per *Segnirim* hircos, dæmones, ſcopes aut aliud quid intelligas, modo mihi permittas in citatis Eſajæ locis Zabios ſacrificulos intelligere, uſque dum me deceptum fuiſſe videam.



DE FATO STOICORUM.

DISSERTATIO PRIOR.

ARGUMENTUM.

§. I. *Occasio & scopus auctoris.* §. II. *Status quæstionis proponitur.* §. III. *Postulata præmittuntur.* §. IV. *Probatur Stoicos veritatem de existentia Numinis pro juris omnisque felicitatis principio habuisse, Deumque summa intelligendi vi præditum asseruisse.* §. V. *Iidem Deum a Mundo distinxerunt, Deumque rebus omnibus prospicere statuerunt.* §. VI. *Hanc providam Dei curam ad omnia extendunt, mentes & corpora, singulari autem ratione Deum homini prospexisse, atque quammaxime beneficum esse professi, quam ipsam beneficentiam laudibus extollendam esse dixerunt, unde simul patet eos necessitatem non statuisse, dum Deum in hisce omnibus sapientissimum finem habuisse asserunt.* §. VII. *Probatur eos necessitatem fatalem non statuminasse, ex doctrina eorum de libertate. Consensus cum Pharisæis.* §. VIII. *Probatur Stoicos asseruisse omnem rerum efficiendarum nexum in præscientia Dei fundari, mala moralia a Deo non esse, Deumque scripsisse fata.* §. IX. *Probatur porro, eos asseruisse, Deum velle, ut omnes homines felices sint, atque adeo in sapientissima ejus voluntate præsidium quærendum, mala physica in bonum finem a Deo permissa, omnesque ad virtutem amandam hortatos fuisse.* §. X. *Doctrina de fato Stoicorum examinatur: proponuntur difficultates Jacobi Thomasii, & diluuntur.* §. XI. *Consensus Chrysippi cum sententia illustr. Leibnizii ostenditur.* §. XII. *P. Baylii objectiones contra Chrysippum examinantur.* §. XIII. *Reliquæ*

liquæ objectiones J. Thomasii sub incudem vocantur. §. XIV. *Monita de summa circumspectione in difficili negotio observanda, una cum voto.*

VIRO PLURIMUM REVERENDO ac DOCTISSIMO,

DANIELI GERDESIO,

SS. Theologiæ Doctori & Professori in Academia *Duisburgensi*, jam quidem *Gröningensi*, Clarissimo.

S. P. D.

JACOBUS ZIMMERMANNUS, Tigurinus.*

SECT. I.

IN ultimis, quas ad Te, amicissime GERDESI, dedi literis, inter alia significabam, me favente Deo conscripturum apologiam integrarum gentium, sectarum, virorumque illustrium, falso atheismi suspectorum: eandem variis digressionibus, quæ ad illustrationem historiæ philosophicæ faciunt, distincturum; tandemque operi isti amplissima prolegomena, quæ introductionis loco in totum opus haberi possint, præmissurum esse. Cum autem, uti vides, res hæc sit magni laboris, rogavi Te, ut pro tuo in me affectu, mihi auxilio tuo adesses, & rariora quædam opuscula huc facientia transmitteres, vel saltem summam rerum in iis contentarum significares; verbo ut ex instructissima, quam possides, Bibliotheca, paupertati meæ subvenires; ita demum fieri posse credo, ut amicorum opera adjutus, aliquid, quod legi dignum sit, præstare possim, præsertim cum in Helvetia rariorum libellorum, quorum copiam ex literato Belgio habetis, exiguus proventus sit. Eum in finem constitui ipse unum aut alterum specimen Diariis literariis inserere, ut

(*) Hæc dissertatio tomo primo Musæi Bremensis fuit inserta.

ut eruditorum virorum adnotationibus aut refutationibus admonitus, denuo cogitata mea examini subjicere possem; præstare enim credo nihil plane in lucem emittere, quam impolite & festinanter vel centies dicta effundere. Initium feci a defensione *Evemeri Messenii* & *Diagoræ*, quam cl. *Hasæo*, communi nostrum fautori, transmisi, serena fronte auditurus, quid amici de ea judicent. In præsentiarum specimen dissertationum operi inserendarum Tibi præcipue dijudicandum transmitto, quod agit de *Fato Stoicorum*. Hoc autem præcipue thema mihi illustrandum sumsi, partim quod ab adolescentia Stoicorum scripta magni fecerim, & exceptis Socraticis, nihil in antiquitate excellentius legi crediderim *Epicteti*, *Anton. Philosophi* & *Senecæ* operibus; partim quod centies audiverim, non Jesuitarum tantum catilinarium concilium, sed eos ipsos, quos fratres vocamus, & in æternum vocabimus, non obstante leviſſimo illo & perpetuo silentio tandem involvendo dissensu, nobis *Reformatis* objicere *fatum aliquod Stoicum*, quo omnis religio, omnia bene agendi instrumenta tollantur. Hæc, inquam, me commoverunt, ut materiam hanc diligentius examinarem, & denuo omnia Stoicorum scripta, omnes veterum & recentiorum, quos consulere potui, Philosophiæ Stoicæ oppugnatores aut defensores lectitarem, ut tandem quid hac de re judicandum sit, probe perspicerem. Nec putes me forte amore sectæ in præceps rituruum, & ab utili tantum, ut sæpius fieri solet, argumentaturum; nosti enim me quam longissime ab iis remotum, qui religioni, per necessitatem quandam fatalem, insidias struere volunt: simul nolo hic lites serere, & veterem renovare dolorem; vellem ut subtiliores illæ disputationes de actionibus hominum liberis, cum providentia divina per omnia conciliandis, penitus sepultæ essent; optarem ut homines potius divinam illam & captum nostrum longissime superantem summi & optimi hujus mundi Rectoris providam curam adorarent, quam curiosius rimarentur; denique existimo facile hæc inter eos, qui ab ecclesia romana non sine sanguine secessionem fecerunt, componi posse, & tandem debere: quod adeo a cl. Theologis, *Turretino*, *Pfaffio*, *Werenfelsio*, aliisque demonstratum est, ut nihil, quod alicujus momenti sit, regerere possint rigidi quidam orthodoxiæ, ut putant, defensores. Nullas

igitur hic obſervabis diſputationes theologicas: non inquiram utrum ulla ſit Reformatorum cum Stoicorum decretis harmonia: faciant hoc illi, qui in hiſce deliciari ſolent. Noſti inter argumenta ab invidia petita & hoc eſſe, ut ſententia adverſarii noſtri cum inviſorum hominum dogmatibus conferatur, quam methodum argumentandi, centies ab antiquis pariter & modernis orthodoxis non minus ac heterodoxis adhibitam, indignam ſemper habui, quæ ab erudito & ſapiente (nam hæc ſemper conjungenda eſſe puto) adhibeatur, quod veritatem non tantum non producat, ſed affectuum potius æſtum excitet. Quid enim quæſo roboris eſt in hac argumentatione: tu idem ſentis ac Stoici, ergo erras? Num igitur erramus, cum dicimus bis duo efficere quatuor, quod & Stoici fatentur? At, inquis: Stoici errant in materia de providentia Dei; Reformati autem idem ſentiunt: Ergo Stoici ſunt, & per conſequentiam errant. Proba quæſo, ego inquam, Reformatos hac in parte errare, & mihi perinde erit, utrum Stoici ſimul cum Reformatis errent, nec ne. Libere igitur hanc materiam examinabo: Theologis Reformatorum ſyſtema defendendum relinquo; amore, ira, cæteriſque vehementioribus animi affectionibus, quæ peſſimi conſultores eſſe ſolent, vacuus ſum. Ita agam, quaſi nulli Reformati, quibus graviſſimus error objicitur, in mundo eſſent, ſaltem illis conſenſus ille cum Stoicis objectus nunquam fuiſſet. Hoc unicum quæram, quid Stoici ſenſerint, cætera mittam. Lubens autem a viris eruditis & modeſtis, Te præcipue, edoceri cupio, qua in parte erraverim; quod ſi factum eſt, non minus candide fatebor, quam certo me hactenus non errare exiſtimo. Tu interim, præſtantiſſime GERDESI, candore noto reddas judicium peto. Ut autem ordinem quendam in hac epiſtola obſervem, *primo* ſtatum quæſtionis præmittam: *ſecundo* quædam poſtulata proponam, quæ ad illuſtrationem hujus materiæ facere videntur: *tertio* ſententiam meam argumentis ex ipſis Stoicorum principiis tuebor: & *tandem* modeſte ad diſſentientium objectiones reſpondebo.

II.

Status quæſtionis inter me & diſſentientes hic eſt: *Utrum Stoici Philoſophi profeſſi fuerint Fatum, id eſt, cæcum aliquem & inevitabilem*

evitabilem Dei & creaturæ nexum, quo omnia necessario, Deus & materia, mentes & corpora, inexorabili vinculo ita agantur, ut omnis pœna & præmium, omnis cultus Dei & legum reverentia tollantur? Vel *utrum nomine Fati intellexerint providam Dei curam in gubernandis & conservandis rebus omnibus, convenienter voluntati humanæ & rebus creatis agentem?* Prius dogma communiter *Stoicis* adscribitur, posterius autem eosdem statuisse defendam. Ut vero hoc præstem, ostendendum mihi erit, nihil *Stoicos* de Deo & mente nostra asserere, quod inexorabilem ejusmodi necessitatem inferat. Summa igitur ratiocinationis meæ hæc est: *Qui asserunt, nonsolum existere Ens sapientissimum & optimum, idque a mundo & omni materia distinguunt, sed & mundi creationem voluntati ejus liberrimæ tribuunt, providentiam & præscientiam rerum omnium eidem adscribunt, earumque eventus non materiæ necessitati, sed voluntati attribuunt, menti inesse facultatem liberrimam pœnæ & præmii capacem asserunt, malum morale longissime ab eo removent, & physicum ad bonum finem ab eo permissum tuentur, illi inexorabile aliquod & cæcum fatum non profitentur.* At *Stoici* hæc omnia tuentur. Ergo, &c. Majoris propositionis partem nemo credo negabit, qui harum controversiarum peritus est: restat igitur tandem, ut omnia hæc *Stoicos* tueri probem.

III.

Antequam autem id fiat, quædam præmonenda sunt. *Primum est, oportere nos de systematis alicujus bonitate non judicare, ex consequentiis hinc inde arreptis, aut per longas ambages detortis, sed principia illius, nexum, & totam harmoniam considerandam.* Sane æquissimum mihi videtur hoc postulatum, sine quo de systemate aliquo accurate ratiocinari non possumus; quo neglecto tot inutiles disputationes, tot linguæ prælia, tot hæretificationes (liceat rem barbaram barbaro vocabulo exprimere) enata, imo quo neglecto sæpe innocentissimi viri patriam, dulcissima amoris pignora deserere, vitamque ipsam profundere debuerunt. Quod si in omni systemate examinando hoc faciendum est, de *Stoicis* eorumque dogmatibus similiter judicandum. *Secundum est, in difficili materia errores quosdam non supra modum esse multiplicandos & exagge-*

aggerandos. Qui veterum & recentiorum scripta de providentia Dei circa creaturas liberas, bonum & malum, haud perfunctorie inspexit, ille neutiquam negare poterit, nihil esse in theologia & philosophia difficilius hac ipsa materia; hinc prudenter omnes, citius aut serius, ad το βαθος Paulinum tanquam ad sacram anchoram confugiunt; omnes ingeminant, nos naturam Dei ejusque agendi rationes, causarum nexum, non satis scire, in exiguo nos Universi punctulo habitare, fragmento operis *Musivi* a toto non abstrahendi; & sicut in dramatibus, quæcunque intricata & perplexa sunt, in ultimo actu explicantur, pariter quicquid in orbis administratione negotium nobis facessit, ultimi diei lucem expecturam. Hæc profecto sapienter ingeminantur; recte *Augustinus de Civ. Dei Lib.* 11. *cap.* 22. *Divina*, inquit, *nos admonet providentia, non res insipienter vituperare, sed utilitatem rerum diligenter inquirere, & ubi nostrum ingenium vel infirmitas nos decipit, credere occulta, sicut alia quæ vix potuimus invenire; atque hæc ipsa vel humilitatis exercitatio aut elationis attritio.* Et sane qui controversias hoc ævo inter P. *Baylium* & *Clericum*, *Jaquelot*, *Leibnizium*, *Clarkium*, *Kingium*, *Wolfium* agitatas sine studio partium considerabit, fatebitur postulatum hoc nostrum justissimum esse: nemo est qui omnibus difficultatibus sese evolvat, optimus est qui minimis urgetur. Eruditissimus Rhætus, Paganinus *Gaudentius*, quem his diebus summa cum voluptate legi, pag. 338. operis de philosophia Romanorum, postquam Deo futurorum contingentium præscientiam adscripsisset, & Epicuri fortuitum casum rejecisset, ita inquit: *Homunciones enim vero sumus res perpusilla, jocus & ludus providentiæ, pila in manibus Dei, qui nos pro lubitu huc illuc impellere consuevit, ut tamen nostro arbitrio, nostræque voluntati vis non inferatur. Sic igitur asserendum est arbitrium hominum, ut adstruatur providentia & imperium Numinis; sic affirmemus contingenter multa evenire in vita humana, ne tamen otiosum dicamus esse spectatorem Deum. Ita asserimus eundem Deum scire futura, ut illis non imponat necessitatem, nec tamen eandem prorsus exulare ex orbe jubeat: admirabili enim ratione in permisto mundo permiscerentur causæ, quam mistionem nosse & enarrare Divinitatis potius est, quam humanæ imbecillitatis, cui plurima caligo adhæret individua comes.* Hæc *Gaudentius*, qui, ut notum est, ecclesiæ romanæ subscripsit. Hæc cum ita sint &

Stoicis

Stoicis hic aliquid concedendum est, si in hisce, dubia mentis luce dicam, an impenetrabili rei difficultate pressi, non exacte ratiocinati sunt; præprimis cum divina luce revelationis destituti fuerint, nec recte ratiocinandi methodi adeo peritus esset orbis; saltem eorum conscientiæ convenienter sententia de Fato explicanda est. *Tertium, quod præmonendum esse putamus, hoc est, nos minime asserere, Stoicos in hac ipsa materia per omnia recte sensisse, aut non aliquando incautius quam par erat locutos esse.* Lubentes fatemur, modernos hac in parte accuratius de his ratiocinatos esse; interim tamen asserimus, eos plerumque in operibus, dogmata, quæ in hac dissertatione ipsis adscribimus, professos fuisse. Ita constanter docent, Deum solam causam efficientem dici posse, materiam esse rem per se inertem, & ad quidvis paratam: Deum jus habere in materiam, eundem prospicere huic Universo: summam esse hominis libertatem &c. quæ dogmata constanter urgent; unde si vel maxime aliquando his ipsis contraria dicere videntur, asserendum tamen non est, eos principalia hæc systematis dogmata negare, aut subvertere, sed hoc tantum, *Stoicos* omnem nexum systematis non satis perspexisse & conciliare potuisse; quod ipsum quidem *Stoicos* non absolveret, minime tamen significaret, eos Fatum aliquod inexorabile statuisse. *Tandem quarto notari velim, antiquissimos & celeberrimos in universum Philosophos materiæ æternitatem statuisse; unde summæ difficultates circa actiones hominum liberas oriuntur; qui error cum omnibus Philosophis communis sit, nescio cur Stoicis solis tantopere exprobrandus sit.* Scio quidem eruditos sententias veterum circa hanc materiam ita proponere, ut haud leve discrimen inter eos atque *Stoicos* intercedere videatur; sed si omnium consequentiarum apices urgendi sint, sane aut parum vel nihil inter se hac in parte differunt, exceptis *Epicuro* ejusque discipulis. Saltem gravissimus historicus *Tacitus* veterum philosophorum sententias circa eventus rerum in mundo ad duo capita refert, *Epicuri* nempe, qui omnia fortuito fieri statuit, cæterorumque, qui *Fato* rerum eventus adscribant. Ita enim Annal. Lib. 6. cap. 22. pag. 605. ed. *Walchii* loquitur: *Sed mihi hæc ac talia audienti, in incerto judicium est, Fatone res mortalium & necessitate immutabili, an sorte volvantur. Quippe sapientissimos veterum, quique sectam eorum æmulantur, diversos reperies; ac multis insitam opinionem,*

non initia noſtri, non finem, non denique homines Diis curæ. Ideo creberrima & triſtia in bonos, læta apud deteriores eſſe. Contra alii, fatum quidem congruere rebus putant, ſed non e vagis ſtellis, verum apud principia & nexus naturalium cauſarum: ac tamen electionem vitæ nobis relinquunt; quam ubi elegeris, certum imminentium ordinem. Neque mala vel bona, quæ vulgus putet; multos qui conflictari adverſis videantur, beatos; ac pleroſque quanquam magnas per opes, miſerrimos: ſi illi gravem fortunam conſtanter tolerent, hi proſpera inconſulte utantur. Hactenus *Tacitus*, qui minime *Epicuri* partibus addictus fuit, quod quidam exiſtimabant; ex quibus denuo concludimus, mitius cum *Stoicis* hac in parte agendum. Jam ad rem.

IV.

Stoicos in univerſum omnes ſtatuiſſe, exiſtere Numen ſapientiſſimum, Rectorem Univerſi, jam non probabo, alibi id præſtiti, & nuper eleganter idem demonſtraſſe vidi virum eruditum *Brugmannum*, Profeſſorem in Academia Wittembergenſi. Hoc tantum jam aſſerimus, *Stoicos perſuaſionem de Numine pro ſocietatis humanæ vinculo, omniſque juris fundamento habuiſſe.* Prius *Epictetus*, Stoicorum celeberrimus, poſterius ipſe *Plutarchus*, hoſtis eorum acerrimus, exſerte teſtatur. Verba eorum brevitatis cauſa latine tantum dabo. *Epictetus* apud *Arrianum*, lib. 2. cap. 20. contra Academicos diſputat, ex verſione H. *Wolfii*. *Quid ais Philoſophe, de pietate & ſanctitate quid tibi videtur? Si voles oſtendam res eſſe bonas. Utique oſtendito, ut noſtri cives ad cultum Numinis convertantur, & maximarum rerum neglectum abjiciant, habes ergo probationes? Habeo; & ego tibi gratiam habeo. Quando ergo iſta tibi placent ſume contraria, Deos neque eſſe, neque ſi ſint, curare homines, neque ullam nobis ſocietatem cum iis intercedere, ſed pietatem illam & ſanctitatem vulgo hominum celebratam, commentum eſſe inſolentium hominum & Sophiſtarum, atque adeo legumlatorum ad terrendos & coërcendos injurios. Recte, Philoſophe, juviſti noſtros cives, adoleſcentiam univerſam ad rerum divinarum contemtum revocaſti. Quid ergo non iſta tibi placent? Accipe nunc juſtitiam nihil eſſe, verecundiam eſſe ſtultitiam, patrem nihil eſſe, filium nihil eſſe.*

Euge

Euge Philosophe, persuade ista adolescentibus, ut plures habeamus qui idem sentiant, & auctæ nobis erunt hisce sermonibus bene constitutæ respublicæ. Lacedæmon hujusmodi sermone informata est. Lycurgus suis legibus & institutis has persuasiones introduxit, neque servire turpe est potius quam honestum, neque libertatem honestam potius esse quam turpem. Hæc eleganter *Epictetus*. Posterius asserit *Plutarchus* de *Stoicorum* repug. p. 593. & 597. edit. Bas. ubi ita mentem Chrysippi acerrimi *Stoicorum* hostis pandit: *Non enim potest inveniri aliud justitiæ principium, alia origo, quam a Jove & communi Natura petitum. Inde enim necesse est, nos omnia ista exordiri, si volumus aliquid de bonis & malis dicere. Rursum in naturalibus propositionibus; non enim licet vel aliter vel magis proprie pervenire ad explicationem bonorum & malorum, virtutum, felicitatis; quam si initium ducatur a communi Natura & mundi gubernatione; ab his enim suspendenda erit de bonis & malis disputatio, cum non sit ullum aliud melius principium aut relatio, neque aliam ob rem Naturæ consideratio adhibetur quam ad discrimen bonorum & malorum constituendum.* Idem asserit *Anton. Philosoph. Lib: V. Deum autem summa intelligendi vi præditum esse*, tam constanter profitentur *Stoici*, ut nihil supra. *Laërtius* in vita *Zenonis* ait: Θεον ειναι ζωον ἀθανατον, λογικον, τελειον, ἡ νοερον ἐν εὐδαιμονια κακὺ παντος ἀνεπιδεκτον, προνοητικον κοσμυ τε καὶ των ἐν τω κοσμω. Μη ειναι μεν ἀνθρωπομορφον, ειναι δε τον Δημιυργον των ὁλων καὶ ὡσπερ πατερα παντων. Consentiunt *Seneca*, *Antoninus*, *Epictetus:* probant hæc omnia illa argumenta quibus utuntur, ad probandam existentiam Dei ab *ordine Universi & finibus creaturarum petita.* Adducam unicam argumentationem *Chrysippi*, quæ extat apud *Ciceronem* de Nat. D. l. 1. *Si quid est*, inquit, *quod homo, licet ratione sit præditus, facere non posset, id profecto est majus, fortius & sapientius homine; homo autem non potest facere cœlestia, ergo illud quod hæc efficit vel effecerit, superat certe hominem consilio, prudentia, potestate: quis igitur potest esse nisi Deus?* Nec obstat quod *Stoici*, ut ex *Plutarcho lib.* 1. *cap.* 7. de placit. philosoph. constat, Deum inter alia dixerint esse πυρ τεχνικον: symbolica enim hac locutione usi sunt, quemadmodum Chaldæi; cum enim ignis sit materia rapidissima & fluidissima, adumbrare voluere Dei in rebus efficiendis vim & celeritatem; satis hoc patet dum Deum esse ajunt *ignem artificiosum*, id est, qui

ratione, numero, mensura omnia agat. Idem confirmat Cicero de N. D. *Zeno igitur*, ait, *Naturam ita definit, ut eam dicat esse ignem artificiosum ad gignendum progredientem via, censet enim artis maxime proprium esse creare & gignere.* Quod si autem vel maxime *Stoici* putassent, Numen sapientissimum nil nisi rationem esse, ut alicubi *Seneca* loquitur, sed tamen purissima quadam luce ceu majestatis suæ vehiculo præditum, nihil esset quod magnopere culparetur. Fuit enim hæc ipsa mens Orientalium, & ni fallor ipsorum etiam *Hebræorum*, qui hac in parte non dissensisse videntur a *Chaldæis*. Horum autem sententiam ita profert *Jamblichus* de *myst. Ægypt. sect.* 2. *cap.* 4. Το μεν των θεων πυρ ατομον, αφθεγκτον εκλαμπει, και πληροι τα ολα βαθη του κοσμου. Το δε των Αρχαγγελων, αμεριστον μεν, εχον τε περι εαυτο, η προ εαυτου προπυμενον, η μετ' εαυτο συνεπομενον πολυ πληθος θεωρειται. Το των Αγγελων διηρημενον πυρ πλην εν ταις γε τελειοταταις ιδεαις διαφαινεται, *Deorum ignis individuus ineffabilisque emicat, impletque totum cælum profundum, Archangelorum vero ignis etiam individuus habens circa se, aut ante se præeuntem, vel post se sequentem magnam multitudinem cernitur. At Angelorum ignis indivisus est, attamen in perfectissima specie apparet.*

V.

Deum autem perfectissimum Stoicos sollicite a mundo distinxisse, pluribus non probabo: abunde enim id a *Gatakero*, *Menagio* aliisque præstitum; probat hoc, ut brevis sim, *Laërtius* in vita *Zenonis*, *lib.* 7. Δοκει δ' αυτοις αρχας των ολων ειναι δυω, το ποιουν και το πασχον, το μεν ουν πασχον ειναι την απροιαν ουσιαν την υλην, το δε ποιουν τον εν αυλη λογον του Θεον; probant hoc omnes argumentandi rationes, quas ad existentiam & providentiam Dei probandam adhibent; probat idem sententia eorum de conflagratione mundi, a qua solum Deum immunem fore asseruere. Ita *Epictet.* apud *Arrian. lib.* 3. *cap.* 13. ex vers. *Wolfii* inter alia loquitur: „ Si solitudo satis est ad id ut sis desertus, etiam Jupiter in „ conflagratione mundi desertus dici potest, seque ipsum misereri. „ Me miserum! neque Junonem habeo, neque Minervam, neque „ Apollinem, denique neque fratrem, neque filium, neque ne-

„ potem,

„ potem, neque cognatum. *Et paulo infra* „ Sicut Jupiter secum „ vivit, & in se ipso adquiescit, & gubernationem suam qualis sit „ intelligit, eaque cogitat quæ se deceant, eodem modo & nos de- „ cet nobiscum posse colloqui, non requirere alios, non animis „ æstuare. „ Quod si hæc vel maxime non de annihilatione mundi intelligantur, patet tamen *Stoicos* Deum a mundo distinxisse, quod dicis tantum causa Spinoza asseruit. *Providentiam autem divinam esse, tam certo credebant Stoici ut nihil supra.* Audi tantum *Senecam* de providentia ab initio ita dicentem: „ Supervacuum est „ ostendere, non sine aliquo custode tantum opus stare, nec hunc „ siderum certum discursum fortuiti impetus esse, & quæ casus „ incitat, sæpe turbari & cito arietare: hanc inoffensam velocita- „ tem procedere æternæ legis imperio, tantum rerum terra marique „ gestantem, tantum clarissimorum luminum & ex dispositione lu- „ centium: non esse materiæ errantis hunc ordinem; neque quæ „ temere coierunt tanta arte pendere, ut terrarum gravissimum „ pondus sedeat immotum, & circa se properantis cœli fugam „ spectet; ut infusa vallibus maria molliant terras, nec ullum in- „ crementum fluminum sentiant, ut ex minimis seminibus nascan- „ tur ingentia. Ne illa quidem quæ videntur confusa & incerta, „ pluvias dico nubesque & elisorum fulminum jactus, & incendia „ ruptis montium verticibus effusa, tremores labantis soli, & alia „ quæ tumultuosa pars rerum circa terras movet, sine ratione, „ quamvis subita sint, accidunt; sed suas & illa causas habent, „ non minus, quam quæ alienis locis conspecta miracula sunt &c. „ Idem *Epictetus*, *Cicero* & *Plutarchus* ipse de Isid. & Osirid. confirmant.

VI.

Hanc autem Dei providam curam ad omnia extendunt Stoici, mentes & corpora; singulari autem ratione Deum homini prospexisse, & sese beneficum exhibere ajunt. Selectissima tantum loca quæ hæc probant, afferam. *Epictetus* apud *Arrian. lib.* 1. *cap.* 14. ita ex versione H. *Wolfii* ait: „ Percontante quodam, quo pacto alicui „ persuaderi posset, singula sua facta a Deo conspici? Non credis, „ (*inquit*) hæc omnia inter se cohærere? Credo, inquit; quid vero

„ terrena corpora non affici credis a cœleſtibus? Credo, inquit, „ ni enim ita eſſet, quo pacto tanto ordine tanquam ex divino „ mandato, cum ille plantas florere jubet, florerent? Cum ger- „ minare, germinarent? Cum proferre fructum, proferrent? Cum „ matureſcere, matureſcerent? Cum rurſus decidere flores & de- „ fluere folia, & ipſas in ſeſe quaſi involutas quieſcere ac refocil- „ lari, quieſcerent ac refocillarentur? Unde porro ad incremen- „ tum lunæ & ſolis acceſſum & receſſum tanta diverſitas, & in „ contrarium mutatio terrenarum rerum cerneretur? Cum ergo „ folia & corpora noſtra ſic univerſitati devincta ſint Deo, ut „ particulæ ſint ejus, non omnem motum eorum & proprium ac „ cohærentem animadvertit? „ Adde locum elegantem Ant. Philoſ. lib. 12. cap. 2. *Circa mentes ita verſari Dei providam curam aſſerebant, ut ipſas hominum cogitationes noſcat & dirigat.* Ita *Seneca epiſt.* 83. „ Sic certe vivendum eſt, tanquam in conſpectu ejus viva- „ mus, ſic cogitandum, tanquam in pectus intimum inſpicere poſ- „ ſit; & poteſt. Quid enim prodeſt ab homine aliquid eſſe ſecre- „ tum? Nihil Deo clauſum eſt. Intereſt animis noſtris, & cogi- „ tationibus mediis intervenit. Sic intervenit dico, tanquam ali- „ quando diſcedat. „ *Deus autem porro juxta Stoicos homini proſpexit & erga eum quammaxime beneficus eſt.* Ita *Seneca* de benef. *lib.* 4. *cap.* 5. „ Non dat Deus beneficia. Unde ergo iſta quæ poſ- „ ſides? Quæ das? Quæ negas? Quæ ſervas? Quæ rapis? Unde „ hæc innumerabilia, oculos, aureis, animum mulcentia? Unde „ illa luxuriam quoque inſtruens copia? Neque enim neceſſitatibus „ noſtris ſolum proviſum eſt: uſque in delicias amamur. Tot ar- „ buſta, non uno modo frugifera, tot herbæ ſalutares, tot varie- „ tates ciborum, per totum annum digeſtæ, ut inerti quoque „ fortuita terræ alimenta præberent. Jam animalia omnis generis, „ alia in ſicco ſolidoque, alia in humido naſcentia, alia per ſub- „ lime demiſſa, ut omnis rerum Naturæ pars tributum aliquod „ nobis conferret. „ Lege & ſeq. & cap. 7. ubi dicenti cuidam, Natura hæc omnia fecit, reſpondet. „ Non intelligis te, cum hoc „ dicis, mutare nomen Deo? Quid enim eſt aliud Natura quam „ Deus, & divina ratio toti mundo & partibus ejus inſerta. „ Idem de *Stoicis* aſſerit *Cic. de off. & nat. D.* Adde *Epictetum* apud *Arrian. lib.* 1. *cap.* 12. *Beneficentiam ejus erga homines iidem ubique deprædicant;*

dicant; v. Lipſ. phyſ. Stoic. diſſ. X. Adde *Epictet.* apud *Arrian. lib. 1. cap. 6. Anton. Philoſ. lib. 7. ſect. 7.* Unicum adduco locum *Senecæ* de ira lib. 2. cap. 27. „ Quædam ſunt, *inquit*, quæ nocere non „ poſſunt, nullamque vim niſi beneficam & ſalutarem habent: ut „ Dii immortales, qui nec volunt obeſſe, nec poſſunt: natura enim „ illis mitis & placida eſt, tam longe remota ab aliena injuria „ quam a ſua. „ Hæc aliaque loca ſupra adducta probant clariſſime, Deum juxta *Stoicorum* mentem fines habuiſſe ſapientiſſimos in creandis Univerſo & hominibus. Hæc autem finium conſideratio omnem neceſſitatem excludit. Rectiſſime cl. *Wolfius*, Philoſophus oculatiſſimus, de differentia nexus rerum ſapientis, & fatalis neceſſitatis, pag. 13. ait: *Si mundus abſolutam habeat neceſſitatem, nullus in Univerſo erit contingentiæ locus; arcebitur ex eadem ſapientia, arcebuntur fines, arcebitur a rebus creatis perfectio, quam ipſis tribuit vulgatum illud Metaphyſicorum*, omne Ens eſt bonum ſeu perfectum. *Quod ſi vero nexus rerum a neceſſitate abſoluta fuerit exemtus, Univerſum contingenter exiſtit: Si nihil in eo fuerit ſine ratione, arcebitur* NB. *fatum, & ſapientiæ fores panduntur, locumque habere poteſt in rebus perfectio.* Poſterius autem de finibus aperte agnoſcunt *Stoici*, quod ex ſupra adductis & ulterius adducendis locis patet: nexum autem rerum juxta eos neceſſarium non eſſe, vel ex iis patet quæ de poſſibilibus differunt, quæ infra adducemus, unde longiſſime abſunt a mente *Spinozæ*, qui cum fines omnes ex Univerſo proſcripſerit, cæcum fatum induxit; audi ipſiſſima ejus verba in appendice ad prop. XXXVI. Eth. *Natura nullum finem ſibi præfixum habet, & omnes cauſæ finales nil niſi humana ſunt figmenta.* Negat ibidem oculos ad videndum, dentes ad maſticandum, herbas & animantia ad alimentum, ſolem ad illuminandum, mare ad alendum piſces, facta eſſe. In præfat. ad partem 4. Ethic. p. 16. negat rebus ineſſe perfectionem, *perfectionem & imperfectionem revera modos ſolum cogitandi eſſe, nempe notiones quas fingere ſolemus ex eo, quod ejuſdem ſpeciei aut generis individua ad invicem comparamus.* Quam ſunt autem hæc a *Stoicorum* mente aliena? Patet autem hoc clariſſime inter alia, *quod Deo perpetuas, ob præſtitam beneficentiam, gratias agendas eſſe dicant.* Audi & obſtupeſce, cum *Epictetum* ita ratiocinantem audis apud *Arrian. lib. 1. cap. 16.* „ Si ſani eſſemus, quid nobis aliud agen-

„ dum

„ dum erat, & publice & privatim, quam Numen celebrandum & „ laudandum, & grates persolvendæ? Nonne & inter fodiendum & „ arandum & edendum hic hymnus Deo canendus erat: Magnus „ est Deus, qui nobis instrumenta præbuerat? Hæc, quibus terram „ excolamus: Magnus est Deus qui manus dederit, qui deglutien- „ di vim, qui ventrem, qui effecerit ut latenter crescamus, ut „ dormientes respiremus: hæc singulis in rebus cantanda erant, „ & hymnus maximus ac divinissimus resonandus, quod facultа- „ tem dederit harum rerum intelligentem, & utendi ratione in- „ structam. Quid ergo cum vulgo excæcati sitis? Nonne opor- „ tebit esse aliquem, qui hoc munere fungeretur, & loco omnium „ hymnum de Deo publicaret? Quid enim possum senex claudus, „ nisi celebrare Deum? Quod si luscinia essem, (audiant hæc „ Christiani) luscinіæ officio fungerer, si olor oloris? Nunc ra- „ tionis cum particeps sim, Deus mihi celebrandus est, non „ meum munus est, hoc exsequor, neque stationem hanc deseram „ quoad licuerit, & vos ad eandem hanc cantilenam adhortor. „ Adde si placet cap. 5. lib. 1.

VII.

Haud displicent hactenus *Stoicorum* decreta, inquies, sed forte speciosis verbis nobis imponunt, forte hæc ipsa decantata providentia Dei nonnisi inexorabili necessitate innititur; sed præterquam quod absonum esset Deum laudare, qui non posset non agere quæ ageret, statim jam contrarium ulterius probabo. Et primo quidem attendamus, quid *Stoici* de libertate mentis nostræ senserint, postea fundamenta modumque providentiæ divinæ clarius explicaturi. De libertate mentis humanæ sentiunt *Stoici* magnifice. (*) Juvat eorum sententiam non meis, sed literatissimi viri D. *Heinsii* verbis oppido elegantibus enarrasse; is in oratione de *philosophia Stoica* pag. m. 277. ita loquitur: „ Ad intelligendam hujus ut „ oportet rationem providentiæ, duo in homine requirunt. Primo „ ut res singulas, in quibus maxime versatur, diligenter & cum „ cura

(*) Stoicos libertatem mentis humanæ strenue defendisse, probatur ex epist. præstantissimorum virorum a Limborchio editis, pag. 940. seq.

„ cura intueatur: tum ut gratum memoremque animum ad eam „ afferat, quia nihil frustra, pleraque autem causa hominis & fe- „ cit & disponit. Patriam sapientis non unius civitatis mœnibus „ aut muris, sed totius cœli ambitu describunt, ne tam magnæ „ urbis incola ac civis, tum ipsius Dei filius ac popularis, quic- „ quam humile aut abjectum cogitet: relegationes autem, exilia „ atque alia id genus, non naturæ, sed opinionis mala esse sciat: „ & ad cœlum usque, supra vulgum, magno animo assurgat. „ Eum ipsum ab eodem rerum omnium Parente liberum, ab omni „ perturbatione immunem factum, atque huic corpori infusum. „ Instrumentum ejus esse corpus; longe ab eo cujus instrumentum „ est, diversum. Ipsum autem hominem id esse, quod est, „ ratio ac animus; quæ illius bona sunt aut mala, bona hominis „ aut mala esse; de cætero autem extra eum esse & ad hominis „ felicitatem, nisi velit aut non recte opinetur, pondus ac mo- „ mentum non adferre. Ut recte autem opinetur maximum illius „ bonum esse: quemadmodum ut contra, omnium miseriarum ac „ calamitatum esse fontem, quæ tranquillitatem mentis nostræ ac „ felicitatem perturbare possent. Jam cum omnibus sit innatum „ bonum ut sequamur, malum fugiamus, quoties eorum alterum „ offertur, duos nasci motus, qui & ipsi sint in potestate nostra. „ Appetitum nempe & declinandi studium, seu voluntatem. Quod „ si purus atque simplex, si nulla corporis contagione vel corru- „ ptus vel pollutus, ac suæ spontis sit animus, bona sua petere, „ mala autem declinare. Sua autem esse, quæ in potestate sua „ habet, ut vel consequatur, si velit, vel declinet, si non velit. „ Rursus autem quæ in potestate non habet, neque appetere, si „ bona videantur, quia aliena sunt: ut fortunæ quæ dicuntur, „ quæ corporis, & alia id genus: extra mentem enim sunt & ra- „ tionem, ideoque nihil ad naturam ac perfectionem nostram, „ quæ in his consistit. „ Hactenus *Heinsius*. Sed mavis sine dubio de hisce ipsos *Stoicos* ratiocinantes audire. Nota est omnibus celebris eorum distinctio in ea quæ sunt ἐφ' ἡμιν, & ea quæ οὐκ ἐφ ἡμιν. In nostra potestate esse dicunt ὑπολιψην, ὁρμην, ὀρεξιν, ἐκκλησιν, atque hæc bona esse φυσει ἐλευθερα, ἀκωλυτα, ἀπερεμποδιστα, quæ *totius ethicæ Stoicorum fundamenta sunt*; hanc libertatem eo usque extendunt, ut ne Deus quidem decreta mentis mutare possit.

Epictet. apud *Arrian. lib.* 1. Το σκελος μου δησεις, την προαιρεσιν δε ου δ' ὁ Ζευς νικησαι δυναται; *pedem meum vincies, inſtitutum autem meum ne quidem Jupiter ſuperabit.* In eodem capite *Jupiter* introducitur, *Epictetum* ita alloquens: „ Si fieri potuiſſet etiam corpuſculum tuum & reculam libera & ab omni impedimento remota „ feciſſem, nunc autem te latere non debet, iſtud non eſſe tuum, „ ſed lutum belle maceratum (in græco eleganter πηλος κομψως πεφυραμενος) quoniam autem iſtud non potui, dedi tibi quandam noſtri partem, vim iſtam appetendi & averſandi, & perſequendi & „ declinandi, denique eam quæ viſis uti poſſet, quam ſi excolueris, in eaque omnia tua collocaris, nunquam prohibebere, nunquam impedieris, non gemes, non quereris, non adulaberis cuiquam. „ Idem repetit lib. 1. cap. 12. Ingentem præterea idem teſtantium farraginem adduxit cl. *Gatakerus*, ad lib. 2. Anton. Phil. ſect. 9. Addam unicum locum ex eodem *Epicteto*, qui omnibus *Stoicis* palmam furripuiſſe videtur: extat ille lib. cap. 23. *Quid ergo? nihil ne habetis liberum? fortaſſe nihil, quis autem vos cogere poteſt, ut quod falſum videtur, approbetis, quis ut non approbetis quod videtur verum? Nemo. Ibi ergo videtis aliquid in vobis eſſe liberum ſuapte natura. Appetere autem aut averſari, propendere aut abhorrere, aut parare ſeſe, aut conſtituere aliquid veſtrum quis poteſt, niſi opinione utilitatis atque officii adactus? Nemo. Habetis ergo in his aliquid liberum & immune. Id miſeri excolite, id curate, id quærite bonum.* Notandum autem eſt hæc *conſtanter* a *Stoicis* defendi, & inter philoſophiæ moralis primaria capita referri. Quod ſi autem libertas hominis tanta eſt, ut bona mentis a ſe ſolo repetere poſſit, & liberrime ſeſe ad bonum amandum determinare, ita quidem, ut ne Deus quidem decreta mentis mutare poſſit, quis non aperte videt, tantum abeſſe, ut *Stoici* omnia inexorabili neceſſitati ſubjiciant, ut potius rem pulcherrimam Dei detrahant imperio? Præſertim obſervandum, hanc libertatem ad ea ſpectare, quæ actionum noſtrarum fundamenta ſunt, & ſine quibus religio nulla, cultus nullus, nulla præmia, pœnæque locum habere poſſunt. Nullibi præterea *Stoici* hiſce contraria docent, niſi quis huc trahere velit ea ipſa, quæ de providentia ad omnia maxima minima ſeſe extendente differunt. Sed hæc nihil aliud inferrent, quam hoc: *Stoicos* nempe & providentiam dari, & ſummam eſſe mentis

liber-

libertatem professos fuisse, nescivisse autem qua ratione hæc duo inter se concilianda sint, quod facile concedimus; sed inde tamen minime sequitur, *Stoicis* tanquam commune & ab omnibus receptum dogma adscribi posse, *omnia* nimirum *inexorabili* & *cæca necessitate* decurrere: quod nobis hactenus sufficit, qui demonstrare nolumus, *Stoicos* hac in parte per omnia recte sensisse, sed in quibusdam lapsos, inevitabile fatum non statuisse. Atque hinc factum esse putamus, ut cl. Theologi statuant, *Stoicos* hac in parte *Pelagio* præivisse. Cl. & post fata etiam deprædicandus *Vitringa* observ. sac. tom. I. de concupiscentia vitiosa & damnabili, observat, *Stoicos* viribus arbitrii humani plus æquo tribuisse, temperamentum tamen aliquod quæsivisse in doctrina de providentia, eosdem secutos esse Pharisæos, quorum mentem Josephus ita explicat: Πραττεσθαι τε εἱμαρμενη τα παντα ἀξιωντες, καὶ τὸ ἀνθρωπειον το βουλομενον της ἐπ' αὐτοις ὁρμης ἀφαιρουντες, δοκησαν, τῳ Θεῳ κρασιν γενεσθαι καὶ το ἐκεινα βουλεσθαι καὶ των ἀνθρωπων τω θελησαντι προσεχειν μεθ' ἁγνειας ἢ κακιας. *Fato quæcunque geruntur tribuunt, nec tamen homini voluntatis assensum adimunt, hoc temperamento Deum uti dicentes, ut cum omnia fiant ex ipsius consilio, in homine tamen sit voluntas accedendi ad virtutem, aut ad vitium.* Alibi ait eos affirmare, agere, quæ justa sunt, vel negligere, maximam partem esse in hominibus, adjuvare tamen in singulis & Fatum. Ex eo ita concludit *beatus vir; hæc certissima est illorum professio, homini liberum esse, & plane in ipsius arbitrio positum, se inclinare quo velit, sive ad bonum sive ad malum, sed ubi quis voluntatem suam declinavit, Deum illi auxilium præstare. Suboluit dudum doctissimis viris, ipsos ejusmodi admittere temperamentum, quo scilicet aliquid Deo, aliquid homini detur, ex oratione Domini apud Lucam cap. 18. ubi Pharisæi persona imponitur hæc verba fundentis:* Deus gratias tibi ago, quod non sim ut cæteri homines, rapaces, injusti. *Erat in hoc homine magnus fastus, nihilominus dicit, gratias Domine tibi ago: unde hoc, nisi quod uti jam dictum, Pharisæi sibi adscribebant aliquid, aliquid Deo; sibi quidem inclinationem voluntatis, Deo vero auxilium gratiæ, quo benevolentes promovet.* Idem, uti dixi, cl. Theologus hanc opinionem a Pythagoricis, Stoicisve repetit, dum Deum in auxilium vocandum esse dixerunt. *Epictetus* apud *Arrian. lib.* 2. cap. 18. de hac re ita loquitur: Τῳ Θεῳ μεμνησο, ἐκεινον ἐπικαλει βοηθον καὶ

παραςατην ὡς τȣς δοςκȣρȣς ἐν χειμωνι οἱ πλεοντες. Legantur ſimul antecedentia & conſequentia hujus capitis. *Pelagium Stoicos* etiam hac in parte ſecutum eſſe, conqueritur rev. *Buddæus ſelect. J. N. p.* 147. Jam autem quis adeo eſt hiſtoriæ eccleſiaſticæ imperitus, ut neſciat, *Pelagium* libertati humanæ plus æquo conceſſiſſe? Patet etiam inde quid ſentiendum ſit de judicio cl. viri H. *Dodvvelli*, quod in diſquiſitionibus de *libertate* adducit *Collinus p.* 298. „ Le ſavant Monſieur Dodwell croit que St. Paul, qui étoit Phariſéen & fils de Phariſéen, avoit pris ſa doctrine du fatum des „ maitres de cette ſecte, comme ils l'avoient eux mêmes reçu „ des Stoiciens. Et il rémarque, que la philoſophie ſtoicienne eſt „ neceſſaire pour expliquer la theologie chrêtienne, qu'il y a des „ endroits dans l'Ecriture, ou le Saint Eſprit parle ſelon l'opinion „ des Stoiciens, & qu'en particulier ce que St. Paul dit touchant „ la prédeſtination & la réprobation, doit être expliqué ſuivant „ l'opinion que les Stoiciens avoient du fatum. „ De quo judicent alii; nos controverſias Theologorum hic tangere nolumus. Pergamus potius ad cætera. Videndum jam eſt, utrum *Stoici* hanc ipſam libertatem aliorum dogmatum defenſione ſubvertant, quod negamus.

VIII.

Eum in finem ulterius probabimus Stoicos aſſeruiſſe, omnem rerum efficiendarum nexum in præſcientia Dei fundatum eſſe, mala moralia a Deo non eſſe. Eundem ſcripſiſſe fata, atque adeo in ſapientiſſima ejus voluntate unicum præſidium in rebus adverſis quærendum: mala phyſica in bonum finem Deum permiſiſſe; eoſdem denique cunctos ad virtutem deamandam hortatos fuiſſe. Si hæc a *Stoicis* clariſſime aſſerta ſunt, nullus dubito, quin æqui rerum arbitri judicaturi ſint, falſo illis cæcum aliquod & irrevocabile Fatum adſcribi. Age per partes hæc probemus. Aſſerunt, *omnem rerum efficiendarum nexum in Dei præſcientia fundari.* Hic in memoriam revocandum, quod ſupra diximus, *Stoicos* duo principia, ex quibus omnia facta ſunt, ſtatuiſſe, cauſam nempe & materiam: materiam jacecere inertem, rem ad omnia paratam, ceſſaturam ſi nemo moveat; quæ recte ab iis intelligi docent verba *Senecæ*, epiſt. 65. ita dicentis:

Univerſa

Universa ex materia & Deo constant; Deus ista temperat, quæ circumfusa Rectorem sequuntur & ducem: potentius autem est quod facit, qui est Deus, quam materia patiens Dei. Unde constat *Stoicos* non-solum Deo imperium in materiam adscripsisse, sed & professos esse, eundem ad certas regulas, rationi perfectissimæ ante conditum mundum obversantes, omnia examinasse: clarius adhuc mentem suam explicat in eadem epistola: „ Exemplaria omnium rerum, *inquit*, „ Deus intra se habet, numerosque universorum quæ agenda „ sunt, & modos mente complectitur: plenus his figuris est, quas „ Plato ideas vocat, immortales, immutabiles, infatigabiles. „ Hæc ex mente Platonis dicuntur; unde cl. J. *Thomasius* de *exust. mundi stoica*, *dissert.* 14. *sect.* 6. ait: „ Plato sic vocabat, non enim „ Stoici, cum haberent nullas, neque ex horum officina Deus quic-„ quam petere poterat quam rationes seminales. „ Unde forte quis suspicari poterit, hæc nihil facere ad probandum, *Stoicos* rerum efficiendarum modum in Dei præscientia quæsivisse: igitur distincte ad hæc respondendum est, & *primo* quidem dico, me nomine ideæ intelligere immediatum contemplationis nostræ objectum, quicquid tandem illud sit, quod nos ignorare, dialogo Socratico opusculo meo inserto, probavi; (*) Dico igitur *Stoicos* asseruisse, intellectui divino ante rerum omnium creationem ideas obversatas fuisse, licet voce ideæ non idem ac Platonici intellexerint: *Secundo* non negat plane *Seneca*, quod asserit *Thomasius*, in Deo rerum efficiendarum ideas esse, sed tantum illas inter causas referri non posse, sed solum Deum, quod ex verbis sequentibus patet, ubi ita ait: „ Hæc quæ ab Aristotele & Platone ponitur „ turba causarum, aut nimium multa, aut nimium pauca comprehendit. *Et paulo infra:* Sed nos nunc primam & generalem causam quærimus: hæc simplex esse debet, nam & materia simplex „ est: quærimus quid sit causa, ratio faciens, id est, Deus. „ Ita enim quæ nunc retuli non sunt multæ & singulæ causæ, „ sed ex una pendent, ex ea quæ facit. „ *Tertio*, liquidum hoc vel ex eo esse patet, quod Deum sapientem esse ajunt, quod summa prudentia mundum formaverit: quæ omnia, nisi me omnia fallunt, nihil aliud significant, quam Deum rerum ideas habere; hinc in

(*) Dialogus iste extat volumine primo opusculorum meorum pag. 604 seq.

eadem epistola ait: „ Ego non quæram quæ sint initia universorum, „ quis rerum formator, quis omnia in una massa & materia inerti „ convoluta discreverit? Non quæram quis sit artifex hujus mun- „ di &c. „ *Quarto*, *Plutarchus* clarissime id quod intendo docet, dicendo de *Plac. Ph. lib.* 1. *cap.* 9. Οἱ ἀπο ζηνωνος Στοικοι, ἐννοηματα ἡμετερα τας ἰδεας ἐφασαν, quæ quin Deo etiam adscribantur nullus dubito, & hac in parte non dissentirent a *Cartesii* discipulis, qui ideam nonnisi modum cogitandi esse ajunt. Sed ne de verbis litigemus, audi *Senecam* eandem rem aliis verbis deprædicantem, de *Benef. lib.* 4. *cap.* 32. *Deos videre est, ut alios indulgentius tractent propter parentes avosque, alios propter futurum nepotum pronepotumque ac longe sequentium posterorum indolem: nota enim est illis operis sui series, omniumque illis rerum per manus suas iturarum scientia in aperto semper est: nobis ex abdito subit, & quæ repentina putamus, illis provisa veniunt ac familiaria.* *Marc. Anton. lib.* 6. *sect.* 4. Ο διοικων λογος οἰδε πως διακειμενος, καὶ τι ποιει καὶ ἐπι τινος ὑλης. Seneca de benef. lib. 6. cap. 23. *Dii in prima illa constitutione, cum universa disponerent, etiam nostra viderunt, rationemque hominis habuerunt; in nostras utilitates a principio rerum præmissa mens est, & is ordo mundo datus, ut appareat curam nostri non inter ultima habitam.* Ex locis hactenus adductis constat, *Stoicos* clarissime professos, nonsolum Deum libere ad hunc mundum condendum sapientissimis rationibus motum esse, sed & nexum omnium rerum perspexisse. Materia secundum eos erat res iners, Deus tanquam sola ratio in se adquiescebat, & tandem ex hac materia ad certos fines mundum hunc condere, saltem materiam jam præexistentem ita voluit adornare, ut quælibet finibus suis responderent: ubi autem est præscientia rerum a nobis solis pendentium, ubi fines intenduntur, ibi fatalis necessitas exulet oportet. *Præterea asseruerunt malum morale sive peccatum minime a Deo originem habere, sed partim ab hominibus, partim a materia repetendum.* Ant. Philosoph. initio libri 6. ait: Ἡ των ὁλων ὑσια ὑπειθης καὶ ὑποχειπης. Ο δε τουτην διοικων λογος ὐδεμιαν ἐν ἑαυτω ἐχει αἰτιαν του κακοποιειν. Κακιαν γαρ ὐκ ἐχει, ὐδε τι κακως ποιει; ὐδε βλαπτεται τι ὑπ' ἐκεινου. Παντα δε κατ' ἐκεινον γινεται καὶ περαινεται. *Universi materia obsequens est & parere promta. Mens rectrix ejusdem*

nullam

nullam in se maleficii causam habet, cum malitiam in se nullam habeat, neque malefacit cuiquam, nec a quoquam læditur. Secundum hanc vero fiunt & perficiuntur omnia. Cum hoc loco confert doctissimus *Gatakerus* locum Jacobi Apostoli dicentis: Θεος ἀπειραστος ἐστι κακων; adducam ego simul elegantem locum *Homeri* Odyss. a. v. 32. ubi Jupiter ita loquitur:

Ὢ ποποι, ἐιον δη νυ Θεους βροτοι αἰτιοωνται
Ἐξ ἡμεων γαρ φασι κακ' ἐμμεναι; οἱ δε καὶ αὐτοι
Σφησιν ἀτασθαλιησιν ὑπερ μορον ἀλγε ἐχουσιν.

Vah! quam nunc homines injuste Numina culpant,
Ex nobis namque esse mala ajunt; at sibi ipsi,
Nequitia propria, præter Fatum mala gignunt.

Vide de hac re cap. 14. & 15. Phys. Stoicæ *Lipsii*, quem compilare nolo: nec huic sententiæ contrarius est locus *Senecæ*, ut putat *Gatakerus*, in libello de providentia cap. 5. dicentis: *Quare Deus tam iniquus in distributione Fati fuit, ut bonis viris paupertatem & acerba vulnera adscriberet? Non potest artifex mutare materiam, hæc passa est: quædam separari a quibusdam non possunt, cohærent, individua sunt:* hic enim proprie sermo est de malo physico, cujus originem *Stoici* in materia quæsiverunt omnes. Hinc miror eruditissimum virum P. *Baylium* hoc negasse. Tom. 3. dict. crit. p. 2330. ita ait: „ Pour dire ceci en passant, per„ sonne ne doit s'étonner que Ciceron & Plutarque ayent attaqué „ de la sorte les Stoiciens; car encore que cette secte des Phi„ losophes admit deux principes, Dieu & la matiere, Dieu comme „ l'agent, & la matiére comme le patient, ils ne croyoient pas, que „ la matiere fut un principe mauvais. „ Sed errat vir eruditus quammaxime; minime enim vel *Plutarchus* vel *Cicero* negant, *Stoicos* originem mali in materia quærere, sed hoc tantum volunt, eos hac ratione minime difficultatibus satisfacere, statuendo materiam ad agendum ineptam, quæ adeo causa mali esse non possit; sequi enim vel iis nolentibus, aut Deum esse auctorem peccati, aut non Ens: hæc jam dudum post J. *Thomasium* diss. 112. observavit cl. *Wolfius Manich. ante Manich. p.* 153. Neque enim negandum est,

est, hunc vel illum eruditum, hanc vel illam Theologorum aut Philsophorum familiam, sententiam tueri, quæ non conveniat cum cæteris eorum placitis: multi enim, quæ cum lacte materno imbiberunt dogmata, sine ulteriori examine tuentur; multi arreptis temere opinionibus, ad quas tempestate delati sunt, veluti saxo adhærent; multi denique systematis nexum & idearum concatenationem non perspiciunt, unde fit, ut principia e diametro sibi opposita eodem fervore defendant, ac veritates longe certissimas, inprimis si accedant partium studium commodaque inde enatura. Sed hoc ipsum, inquies, facit ut *Stoicis* Fatum jure objici possit, quod mali originem in materia, re quammaxime necessaria quærant; provocatur inprimis ad celebrem locum A. *Gellii*, *lib. 6.* ubi acerrimi ingenii vir *Chrysippus* inquirit, utrum providentia homines morbis affecerit nec ne; quem locum tamen postea vel ideo diligentius excutiemus, quod cl. J. *Thomasius* vel ex eo maxime *Fati Stoici malignitatem* ostendere voluerit.

IX.

Pergamus potius & demonstremus, *Stoicos statuisse*, *Deum velle*, *ut omnes homines felices sint*, *& in voluntate ejus sapientissima præsidium quærendum.* Utemur ad id probandum paucis tantum sed clarissimis locis. *Deum velle ut omnes homines felices sint*, *Epictetus* apud *Arrian. lib. 3. cap. 24.* hisce verbis profitetur: *Si quis*, inquit, *calamitosus est*, *memento sua culpa esse calamitosum. Deus enim omnes homines ad felicitatem*, *ad constantiam condidit*, *earumque rerum instrumenta dedit*, *quarum alia cujusque propria*, *alia vero aliena essent*; & paulo infra pag. 331. *Quis autem vir bonus & fortis infelix est? Omnino rerum universitas male gubernatur*, *nisi cives suos curat Jupiter*, *ut similes sint ipsi ac beati. Seneca epist. 95.* „ Non quærit ministros Deus. Quid ni? Ipse humano generi „ ministrat, ubique & omnibus præsto est. Audiat licet, quemad„ modum se in sacrificiis gerere debeat, quam procul resilire a „ molestiis & superstitionibus: nunquam satis profectum erit, nisi „ qualem debet Deum, mente conceperit omnia habentem, omnia tri„ buentem, beneficia gratis dantem. Quæ causa est Diis benefacien„ di? natura. Errat, si quis putat illos nocere velle: non possunt:

nec

„ nec accipere injuriam queunt, nec facere: lædere enim lædique „ conjunctum est: summa illa ac pulcherrima omnium Natura, „ quos periculo exemit, ne periculosos quidem fecit. Primus est „ Deorum cultus, Deos credere: deinde reddere illis majestatem „ suam, reddere bonitatem, sine qua nulla majestas est: scire il- „ los esse qui præsident mundo, qui universa vi sua temperant, „ qui humani generis tutelam gerunt, interdum curiosi singulorum. „ Hi nec dant malum, nec habent; cæterum castigant quosdam & „ coërcent, & irrogant pœnas, & aliquando specie boni puniunt. „ Quæ ultima *Senecæ* verba nihil aliud significant, quam Deum bona, uti vocant, externa animo equidem iis benefaciendi dare, sed quibus homines abutantur, & ita specie boni a Deo concessi puniantur. *Hæc cum credebant Stoici, simul in sapientissima Dei voluntate, in vita & morte, præsidium quærendum esse ajebant, adversaque constanti animo ferenda.* Audi oppido eleganter loquentem *Epictetum* apud *Arrian. lib.* 3. *cap.* 24. „ Vir bonus & sapiens me- „ mor qui sit & unde venerit, & a quo factus sit, in eo solo ela- „ borat, quo pacto suam stationem rite tueatur, Deoque suam „ probet obedientiam. Vis me diutius esse? Ero ut liber genero- „ sus, ut voluisti; tu enim me ita condidisti, ut prohiberi non „ possim in rebus meis. At me non amplius eges? Bene tibi sit, „ etiam ad hoc tempus propter te mansi, propter alium neminem, „ & nunc ut tibi paream discedo. Quomodo discedis? Quemad- „ modum tu voluisti, ut liber, ut minister tuus, ut mandatorum „ tuorum intelligens & interdictorum; dum vero in tuis negotiis „ versor, quem me esse vis? Principem an privatum? Senatorem, „ an plebejum, militem, ducem, ludimagistrum, an patrem fami- „ milias? Quem mihi locum ac stationem mandaris, ut ait Socra- „ tes, millies potius mortem oppetam, quam eam ut relinquam. „ Hæc noctu, hæc interdiu in promtu esse debent, hæc scribenda, „ hæc legenda, de his verba facienda sunt cuique & secum & „ apud alios. „ Similiter *Seneca* de provid. cap. 5. laudat Demetrium, quem ita inducit loquentem: „ Hoc unum, Dii immortales, „ de vobis queri possum, quod non ante mihi voluntatem vestram „ notam feciſtis. Prior enim ad ista veniſſem, ad quæ nunc vocatus „ sum. Vultis liberos sumere? illos vobis sustuli. Vultis aliquam „ partem corporis? Sumite. Non magnam rem promitto: cito to-

„ tam relinquam. Vultis ſpiritum? Quid ni? nullam moram fa-
„ ciam, quo minus recipiatis, quod dediſtis. A volente feretis,
„ quicquid petieritis? Quid ergo eſt? maluiſſem offerre, quam tra-
„ dere. Quid opus fuit auferre? accipere potuiſtis. Sed ne nunc
„ quidem auferetis; quia nihil eripitur, niſi retinenti. Nihil co-
„ gor, nihil patior invitus, nec ſervio Deo, ſed aſſentio.„ Idem aſſerit Antoninus Philoſ., qui librum ſuum ita claudit: Ἀνθρωπε ἐπολίτευσω ἐν τη μεγαλη ταυτη πολει: Τι σοι διαφερει ἐι πεντε ἐτεσι; το γαρ κατα τας νομους ἰσον ἑκαστῳ. Τι ὐν δεινον ἐι της πολεως ἀποπεμπει σε Τυραννος, ἠδε δικαστης ἀδικος; ἀλλ' ἡ φυσις (qua voce Deum denotari hîc ex ſect. 20. lib. 8. conſtat aperte) ἰσαγαγουσα, ὁιον ἐι κωμωδον ἀπολυοι της σκηνης ὁ παραλαβων ὑρατηγος. Ἀλλ' ὐκ ἐιπον τα πεντε μερη, ἀλλα τα τρια. Καλως ἐιπας. Εν μεν τῳ βιῳ ὅλον το δραμα ἐστι. Το γαρ τελειον ἐκεινος ὁριζει. Ὁ τοτε μεν της συγκρισεως, νυν δε της διαλυσεως αἰτιος; συ δε ἀναιτιος ἀμφοτερων. Ἀπιθι ὐν ἱλεως! καὶ γαρ ὁ Απολυων ἱλεως. Exſerte *Epictetus lib.* 4. *cap.* 7. Κρειτον ἡγεμαι. Ὁ Θεος θελει, ἡ ὁ ἐγω Ut alia loca taceam quæ idem probant, adducta ab eruditiſſimo *Catakero* in præfatione commentariis ſuis præmiſſa: hinc durius credo eſſe judicium, quod hac in parte de *Stoicis* tulit illuſtris *Leibnizius*, qui quinta reſponſione ad objectiones cl. *Clarkii* ita ait: *Le deſtin Stoicien veut qu'on ſoit tranquille; parce qu'il faut avoir patience par force, puis qu'on ne ſauroit regimber contra la ſuite des choſes. Mais on convient qu'il y a fatum chriſtianum, une deſtinée certaine de toutes choſes, reglée par la preſcience & par la providence de Dieu. Fatum eſt derivé de fari, c'eſt-à-dire, prononcer, decerner, & dans le bon ſens il ſignifie; le decret de la providence. Et ceux qui s'y ſoumettent par la connoiſſance des perfections divines, dont l'amour de Dieu eſt une ſuite (puis qu'il conſiſte dans le plaiſir, que donne cette connoiſſance) ne prennent pas ſeulement patience, comme les Philoſophes payens, mais ils ſont même contents de ce que Dieu ordonne, ſachans qu'il fait tout pour le mieux; & non ſeulement pour le plus grand bien en général, mais encore pour le plus grand bien particulier de ceux qui l'aiment.* Hactenus illuſtris *Leibnizius*. Ego quidem non adſeruerim, *Stoicos* eodem animo, iisdemque principiis munitos, adverſantis fortunæ impetus mortemque ſuſtinuiſſe, ac id fecerunt Chriſtiani, divinæ revelationis & gratiæ luce colluſtrati. Simul tamen

men nego, *Stoicos* in subeundis & tolerandis adversis vel ideo constantes fuisse, quod crederent res aliter fieri non posse, & ferendum esse quod mutare nescias: reclamant his omnia loca *Stoicorum* supra allata, quibus ad sapientiam Dei & justitiam confugiunt: reclamat doctrina eorum de providentia, de finibus rerum, quibus omnibus inexorabilis necessitas subvertitur: ergo secundum principia Stoicorum potuerunt in sapienti dispositione rerum omnium a Deo constituta adquiescere. (*) Utrum autem hic vel ille stoicæ philosophiæ sectator principia hæc sequutus fuerit, alia est quæstio, quam nos hic examinaturi non sumus. Nec opponant mihi alii *Spinosam*, qui ad finem Ethicæ suæ ita ait: *Ex quibus apparet, quantum sapiens polleat, potiorque sit ignaro, qui sola libidine agitur. Ignarus enim præterquam a causis externis multis modis agitatur, nec unquam vera animi adquiescentia potitur, vivit præterea sui & Dei & rerum quasi inscius, & simul ac pati desinit, simul etiam esse desinit. Cum contra sapiens, quatenus ut talis consideratur, vix animo movetur, sed sui & Dei & rerum æterna quadam necessitate conscius, nunquam esse desinit, sed semper vera animi acquiescentia potitur.* Sed quis adeo systematis *Spinozæ* ignarus est, ut non statim observet splendidis verbis meram impietatem tegi? Qui enim asserit totum Universum Deum esse, omnia ex natura hujus Dei inevitabili necessitate decurrere, nulla dari possibilia, nullos fines in Universo, nos quoad corpus & mentem partes esse magni illius Dei, non libere sed necessario agentis; num ille in sapientissima voluntate Entis liberrimi & perfectissimi adquiescere poterit, cunctaque adversa æquo animo subire? Cum autem *Stoici* longe aliter hac in parte senserint, aliter etiam mens eorum interpretanda erit. Patebit autem hoc amplius si demonstremus: *Stoicos professos fuisse, nonsolum Deum scripsisse fata, sed & mala quæ vocant physica in bonum finem permisisse.* Fata a Deo ipso ejusque providentia *Stoicos* aliquando distinxisse, *Lipsius physiolog. stoic. lib. 1. cap. 12.* probat. Fata Deum scripsisse & constituisse exserte *Seneca* docet, cap. 5. lib. de providentia: *Ille ipse*, ait, *omnium conditor ac rector scripsit quidem*

(*) Forte non sine magno labore ex systemate illustris Leibnizii de optimo Mundo, cum quo malum morale & physicum connexum est, demonstrari posset, id iisdem difficultatibus obnoxium ac systema Stoicorum.

dem fata, sed sequitur. Semper paret, semel jussit; & paulo post: *Deum ipsum fata distribuisse* ait, quæ verba aut nihil plane significant, aut hoc: Deum sapientissimæ voluntati semel positæ convenienter agere. Quæ ita intelligi oportere patet *primo* ex constanti eorum sententia, qua docent, Deum solum causam omnium rerum efficiendarum dici posse. *Secundo*, quod aperte testentur voluntatem Dei æternam pro lege esse. *Tertio*, quod qui patienter ferat, quæ sibi accidunt, Deum sequatur, ut loquitur *Seneca* de vita beata cap. 15. *Quarto*, quod statuerint *Stoici*, dari possibilia, quod fatetur *Plutarchus* de repugnatione Stoicorum. Possibile dixerunt, quod contingere potest ut fiat, etiamsi futurum non sit, quod idem est ac si cum hodiernis Philosophis asseras, possibile id esse, quod nullam contradictionem involvit. *Sane Spinoza* (verba sunt cl. Philosophi Christ. *Wolfii* pag. 16. de nexu rerum) *& alii, qui necessitati absolutæ & fato patrocinantur, possibilium numerum valde restringunt, cum in eodem juxta ipsos non sit, nisi quod vel actu est, vel aliquando fuit, vel olim futurum: inde emanavit possibilium definitio, quæ legitur apud Spinozam*, Eth. p. 4. p. 165. *quod ita dicantur res singulares, quatenus, dum ad causas, ex quibus produci debent, attendimus, nescimus, an ipsæ determinatæ sint ad easdem producendum. Atque ita Spinozæ possibilitatis notionem tantum defectum cognitionis nostræ circa rei existentiam significare patet.* Et paulo infra: *Tenendum est, dudum agnovisse Philosophos etiam scholasticos, notionem possibilium, quam nos amplectimur (quæ etiam*, addo ego, *Stoicorum est) necessitati absolutæ contrariam esse; oppositam vero, qua possibilitas cum actu, iisdem limitibus coercet, cum necessitate absoluta adeo firmiter connexam esse, ut uno admisso alterum negari nequeat*; hactenus acutissimus *Wolfius*. Et sane si Deus est Ens, quod necessario agit, neque aliis existentiam dare potest, quam quæ existunt, nihil amplius fieri potest, & ea quæ existunt, necessario existunt, cum nulla ratio dari possit, cur id, quod quibusdam libere existentiam dedit, aliis jam dare porro non possit. Vidit harum consequentiarum absurditatem *Spinoza*, nec negavit: Propos. enim XVI. ait: *Ex necessitate divinæ naturæ infinita infinitis modis sequi debent.* Propos. XXXV. *Quicquid concipimus in potestate Dei esse, id necessario est*: & in Schol. ad Propos. XVII. *Ego me satis ostendisse puto, a summa Dei potentia omnia necessario effluxisse, vel semper eadem*

dem neceſſitate ſequi, eodem modo ac ex natura trianguli ab æterno & in æternum ſequitur, ejus tres angulos æquari duobus rectis. Cum autem *Stoicorum* definitio plane contraria ſit definitioni *Spinozæ*, ſequitur juxta *Stoicos* poſſibilia exiſtentiam ſuam habere ab Ente liberrimo & ſapientiſſimo, id eſt, Deum ſcripſiſſe fata. Sed non reticenda eſt objectio *Plutarchi*, quæ ex verſione *Xylandri* ita ſonat: „ Si poſſibile id non eſt, quod aut eſt aut erit verum, ut „ ſentit Diodorus; ſed omne cui contingere queat ut fiat, etiamſi „ futurum non ſit, poſſibile eſt; multa erunt poſſibilia eorum, „ quæ non fiunt fato inſuperabili & immobili & omnia vincente: „ & ſic fati ratio evertitur. Sin eſt fatum, ut vult Chryſippus, „ facultas contingendi ut aliquid fiat, ſæpe in impoſſibile incidet, „ & omne quidem verum neceſſarium erit, comprehenſum ea, „ quæ in omnia jus habet, neceſſitate: omne autem falſum, maxi„ ma cauſarum obſiſtente ne fiat verum. Cui enim fatale eſt in „ mari perire, quomodo fieri poteſt ut ei contingat mors in terra? „ Et quomodo Megaris Athenas venire queat qui a Fato impeditur? „ Sed quis non videt hic *Plutarchum* ratiocinari ex falſa hypotheſi? Supponit *Stoicos* & *Chryſippum* cæcum quoddam & inexorabile fatum, nexum aliquem cauſarum neceſſarium ſtatuere, & hinc concludit, omnia ſecundum eos neceſſario fieri, & nulla dari poſſibilia; hoc prius probandum erat *Plutarcho*, Deinde *certitudinem* cum *neceſſitate* confundit. Certum eſt, & ex *Stoicorum* opinione ſequitur, eum qui in mari periturus eſt, in terra perire non poſſe, cum Deus nexum rerum omnium præviderit & conſtituerit: quod ſi *Plucarchus* conceſſerit Deum prævidere certo futura contingentia, iisdem difficultatibus facile eum involverem: ſi enim Deus certo præſcit res, ego repoſuiſſem, ergo ſcivit hunc in mari, non terra periturum, & ſi hoc certo ſcit, certum eſt etiam hunc hominem in mari non aliter periturum. Scio quidem eſſe qui negent, Deum ea præſcire poſſe, quæ a libera hominis voluntate dependent. Sed hoc non quæritur: quæritur utrum ſequatur omnia neceſſario & inexorabili fato fieri, ſi concedatur, Deum eventus rerum certo præſcire; quod cum non ſit, patet argumentum *Plutarchi* nihil valere, & doctrinam *Stoicorum* de *poſſibilibus* cum doctrina de fato facile ſtare poſſe. Ipſe tamen *Plutarchus*, qui *Stoicos* hac in parte irretire vult, manifeſtiſſimæ contradictionis reus eſt. Lib. I. cap. 7. de placit.

Philosophorum aperte negat providentiam. Et Consolat. ad Apoll. ed. *Xylandri* ita loquitur: „ Non ea lege in hanc vitam ve„ nimus, ut ei leges ipsi præscribamus, sed ut iis obtempere„ mus quæ decreta sunt ab Universi gubernatoribus Diis, & „ constituta a fato & providentia. „ In libello de causis cur quidam sero a Numine puniantur, tertia ratio est, quod ita hominibus Deus pœnitendi tempus concedat, atque ait: „ Deum, cre„ dibile est, cum quamcunque vitio captam animam justo suo ju„ dicio aggreditur, ejus motus perspicere, sic, ubi ad pœnitentiam „ inflectuntur, tempus correctionis largiri iis, quorum non ex„ trema est & incurabilis malitia &c. „ Quam bene hæc conveniunt cum doctrina ejus qui providentiam negat? Sed ut mittam *Plutarchum*, patet vel maxime inde, *Stoicos* asseruisse Deum pro sua infinita sapientia omnia disposuisse, quod *malum physicum nonnisi bonum in finem ab eodem permissum esse* defendant; qui enim fatum quoddam inexorabile statuunt, causam nullam dare possunt, cur viri optimi in hac vita gravissimis difficultatibus morbisque premantur. Audi jam *Epictetum* eleganter de hac re differentem apud *Arrian. lib.* 3. *cap.* 24. „ Nunc cum cæteri in scholis loquantur ma„ gnifice, & admirabilia quædam dicere videantur, ea ego nunc „ ipsa re præsto, atque illi decentes virtutes meas explicant, & „ de me disputant & me celebrant, harumque rerum Jupiter illam „ a me petere probationem voluit, atque etiam ipse cognoscere, an „ legitimum habeat militem, an bonum civem, meque cæteris ho„ minibus exemplum proponere rerum externarum. His de causis „ me nunc huc ducit, nunc alio mittit, pauperem ostendit homi„ nibus, sine imperio ægrotantem, in gyara mittit, in carcerem „ conjicit. Non ex odio, absit! quis enim Ministrum suum opti„ mum oderit? Neque ex negligentia, quippe qui ne minutissima „ quidem negligat, sed exercendi mei causa, & per me testificandi „ cæteris. „ Idem testatur *Seneca* de providentia cap. 4. „ Ipsis „ Deus consulit, quos esse quam honestissimos cupit, quoties illis „ materiam præbet aliquid animose fortiterque faciendi; ad quam „ rem opus est aliqua rerum difficultate. Gubernatorem in tempe„ state, in acie militem intelligas. Unde possum scire, quantum ad„ versus pauperiatem tibi animi sit, si divitiis diffluis? Unde pos„ sum scire, quantum adversus ignominiam & infamiam odiumque

„ popu-

„ populare constantiæ habeas, si inter plausus senescis? Si te inex-
„ pugnabilis, & inclinatione quadam mentium pronus favor sequi-
„ tur? *Et paulo infra:* Nolite, obsecro vos, expavescere ista, quæ
„ Dii immortales veluti stimulos admovent animis. Calamitas vir-
„ tutis occasio est. „ Hactenus *Seneca*, cui cæteri *Stoici* assentiuntur in universum cuncti; & omnes, quod ultimum probandum esse dixi, *cunctos ad deamandam & colendam virtutem argumentis gravissimis* hortantur, quæ cum ubivis obvia sint, testimoniorum adductione supersedeo. Ex his quæ hactenus protuli simul junctis recte, ni fallor, concludo, *Stoicos* cæcum quoddam & inexorabile Fatum non credidisse.

X.

Sed audiendi jam sunt dissentientes. Inter eos, qui *Stoicis* Fatum aliquod inexorabile adscribunt, princeps est vir cl. J. *Thomasius*, vir historiæ philosophicæ sine controversia peritissimus. Is in erudito libello de *exust. mundi stoica*, *diss.* 13. de Fati Stoici malignitate agit satis diligenter; cæteri enim, ut *Buddeus* aliique eum sequuntur, quanquam non passibus æquis. Videamus autem primo, quomodo *Stoici* Fatum definiant; ubi fatendum est, eos hac in parte non sibi semper constare; interim nullam observavi definitionem, quæ inexorabilem quandam necessitatem involvat. Mox ipsum Deum Fatum esse dicunt. Ita *Seneca* quæst. nat. lib. 2. c. 45. *Vis illum Fatum vocare: non errabis: est enim ex quo suspensa sunt omnia, causa causarum.* *Cicero* omnia certa & in æternum dicta lege decurrere dixit, ex mente *Stoicorum*. *Laërtius* in *Zenone* definit εἱμαρμενην λογον καθ' ὁν κοσμος διεξαγεται, rationem secundum quam mundus administratur. Fusius apud *Stobæum*: Λογον καθ' ὁν τα μεν γεγονοτα γεγονε, τα δε γινομενα γινεται, τα δε γενησομενα γενησεται. Ipse *Plutarchus* lib. 1. de placitis Philosophorum cap. 28. & 29. ita explicat mentem *Stoicorum*: Χρυσιππος δυναμιν πνευματικην ταξει τε παντος διοικητικην. Et ibidem: Εἱμαρμενη δ' ἐστιν ὁ τε κοσμε λογος, ἡ νομος των Ὀντων ἐν τω κοσμω. Οἱ Στοικοι εἱρμον αἰτιων, τυτεστι ταξιν καὶ ἐπισυνδεσιν ἀπαραβατον statuunt, ex quibus definitionibus nullam inexorabilem necessitatem eruas; Deum enim ordinis illius & concatenationis causarum auctorem pleræque involvunt; adeo ut si nostro concipiendi modo Fatum *Stoicorum* sit definien-

finiendum, Fatum appelles legem sapientissimi Mundi Rectoris, libere ab æterno factam de rebus omnibus efficiendis, conservandis & dirigendis. Placet tamen quammaxime J. *Thomasio* definitio *Chrysippi*, quæ extat apud *Gellium*, *lib. 6. cap. 2.* nimirum ait ille: Ειμαρμενην εἰναι φυτικην συναξιν των ὁλων ἐξ ἀιδιυ των ἑτερων τοις ἑτεροις ἐπακολυθυντων, καὶ μετα πολυ μεν ὁυν ἀπαραβατυ ὑσης τοιαυτης της συμπλοκης. Variant parumper codices in verbis, sed quæ ad summam rei nihil faciunt; utemur ergo versione *Gellii*, qui ita interpretatur: *Fatum est sempiterna quædam & indeclinabilis series rerum & catena, volvens semetipsam & implicans per æternos consequentiæ ordines, ex quibus apta connexaque est*: hinc concludit cl. *Thomasius*, hanc συμπλοκην ἀπαραβλον, & libertati hominis & omnipotentiæ Dei contrariam esse: quod libertati hominis contraria sit, hoc vel inde patere, quod *Chrysippus* probare voluerit, esse aliquid in potestate nostra & tamen omnia fato fieri; sed teste *Cicerone* *Chrysippum* id non probasse, & fatente ipsomet *Lipsio* summo stoicæ philosophiæ admiratore, definitionem in affirmatione certam, in explicatione involutam esse, hoc est interprete *Thomasio*, perseverare in eo *Chrysippum*, ut asserat, *liberum esse, non Fati*; sed quomodo hoc cum illis suis de Fato hypothesibus cohæreat, non sic planum fecisse, ut liqueat lectori. Antequam ulterius progredior, quædam hic observanda. Et *primo* quidem miror cl. virum circa solam illam argumentationem *Chrysippi* versari, cum apud *Gellium* non tota ejus disputatio inveniatur, & responsio ipsa *Ciceronis* in libello de Fato mutila & manca sit; annon præstitisset veterum *Stoicorum* de fato opiniones ex *Seneca*, *Epicteto*, & *Laertio* repetiisse, eorumque definitiones examinasse? Ita puto æquitatis leges postulassent. *Secundo*, omnes quotquot artem recte ratiocinandi intelligunt, consentiunt, de obscura definitione certum judicium ferri non posse; cum omnes ideæ & propositiones, quæ in definitione adhibentur, perspicuæ esse debeant: jam autem cum teste *Thomasio* definitio *Chrysippi* talis sit, id est, obscura & involuta, de totius disputationis summa tuto argumentari non licet. Vel, quæ tandem est viri eruditi argumentandi ratio? *Chrysippus* liberum arbitrium & Fatum conciliare voluit, sed judice *Cicerone* id non præstitit, & *Lipsio* fatente definitio est involuta: Ergo *Chrysippus* omne liberum arbitrium sustulit? Saltem huc tendit ratiocinatio *Thomasii*:

mea

mea opinione, aut de obscura *Chrysippi* definitione plane tacendum erat, aut cum aliorum *Stoicorum* conferenda, examinandæ præterea Ciceronis responsiones, & tum demum quid recte inde concludi possit, patuisset; præsertim autem hoc faciendum, vel ideo, quod *Chrysippus* omnium *Stoicorum*, fatente viro docto, princeps fuerit. Ergo, inquam, vix mihi persuasero, *Chrysippum* in argumento hoc gravi non omnem ingenii aciem adhibiturum fuisse aliquid proponendi, quod speciem summam haberet. *Tertio*, si vel maxime *Chrysippus* fatum & libertatem non recte conciliasset, nullo tamen jure fatum aliquod inexorabile statuisse dicendus est. Constat *Chrysippum* aperte fassum esse, aliquid in nostra potestate esse, omnia tamen fato subjecta: ponamus autem *Ciceronem* (de quo mox plura) demonstrasse, recte hæc a *Chrysippo* conciliata non fuisse, num consequentiæ *Ciceronis* tanquam thesis aliqua a *Chrysippo* concessa spectandæ? Num omnibus *Stoicis* in universum mala *Chrysippi* ratiocinatio imputanda? Hic vel ille *Lutheri* & *Calvini* discipulus non recte hæc inter se conciliavit, & male argumentatus est: ergo omnes eorum sequaces errant. Apage hanc injustam argumentandi methodum. Sane *Arnobius* Lib. II. adversus Gentes, ut alios antiquos pariter & modernos taceam, fassus est se doctrinam hanc conciliare per omnia non posse; nemo tamen hactenus docuit, omnes primitivæ ecclesiæ Patres fatum aliquod inexorabile statuminasse. *Quarto* tandem negamus demonstrari posse, *Chrysippum* aut liberum arbitrium aut providentiam sustuliisse; nullum argumentum affert cl. *Thomasius* quo hæc probet, ut mox audiemus: omnes præterea definitiones fati supra allatæ innocentes sunt, quamvis non satis accuratæ: omnes docent, *Stoicos* aut Deum ipsum per Εἱμαρμένην intellexisse, aut λογον seu summam ejus sapientiam, aut denique ordinem & nexum rerum in Dei sapientia fundatum. Ita intellexere viri summi *Tertullianus* & *Lactantius*. Prior Apolog. cap. 21. pag. 201. Ed. Haverc. ait: *Apud vestros quoque sapientes*, λογον, *id est sermonem atque rationem, constat artificem videri necessitatis, hunc enim Zeno determinat factitatorem, qui cuncta in dispositione formaverit, eundem & Fatum vocari, ac Deum & animum Jovis, & necessitatem omnium rerum:* idem *Lactantius*, *lib.* 1. *cap.* 5. *p.* 37. *ed. Walchii* asserit. Ex infra autem dicendis patebit clarius, *Chrysippum* hac in parte innocentem esse. Videa-

mus jam qua ratione cl. *Thomasius* ostendat, *Stoicos* Deo omnem potentiam sustulisse: provocat denuo ad *Gell. lib. 6. cap.* 1. ubi *Gellius Chrysippi* mentem ita pandit: *Chrysippus in eodem libro* περι προνοιας *quarto dignum esse ait ut quæratur,* ει των ανθρωπων νοσοι κατα φυσιν γινονται, *id est, naturane ipsa rerum vel providentia, quæ compagem hanc mundi & genus hominum fecit, morbos quoque & debilitates & ægritudines corporum, quas patiuntur homines, fecerit. Existimat autem hoc non fuisse principale naturæ consilium, ut faceret homines morbis obnoxios; nunquam enim hoc conveniisse naturæ auctori, parentique rerum omnium bonarum. Sed cum multa,* inquit, *& magna gigneret, pareretque aptissima & utilissima, alia quoque agnata sunt incommoda, iis ipsis, quæ faciebat, cohærentia; eaque non per naturam, sed per sequelas quasdam necessarias facta dicit, quod ille vocat* παρακολουθησιν. *Sicut,* inquit, *cum corpora natura fingeret, ratio subtilior & utilitas ipsa operis postulavit, ut tenuissimis minutisque ossiculis caput compingeret. Sed hanc utilitatem rei majoris alia quædam incommoditas extrinsecus insecuta est, ut fieret caput tenuiter munitum, & ictibus offensionibusque parvis fragile; proinde morbi quoque & ægritudines ortæ sunt, dum salus paritur.* Hæc *Chrysippus.* Cl. *Thomasius* ratiocinationem ejus in summam contrahit & ita proponit: nimirum juxta Chrysippum gestiebat Deus hominem facere nulli obnoxium morbo. *Secundo*, interpellabat Fatum, negabatque hoc fieri posse. *Tertio*, Deus igitur fecit quantum potuit, fecit hominem; morbum, cum impedire non posset, permisit. *Vides*, inquit cl. *Thomasius*, *Chrysippi Deum tam invalidum, ut hominem nulli morbo pervium fingere non posset, materia nimirum voluntatem ejus eludente: sequitur ergo ut Deus hic sit servus necessitatis, hoc est* Fati. Ad hæc distincte responsuri sumus. Et *primo* quidem respondeo, hanc *Chrysippi* mali physici explicationem revera esse ingeniosam, nec forsan aliam convenientiorem, ab homine revelationis luce destituto, dari posse; hinc & acerrimi ingenii vir, & in hisce plus satis versatus P. *Baylius*, eam laudavit, licet existimaverit eam difficultatibus heic occurrentibus non satisfacere; & revera non multum ab illustris *Leibnizii* summi Philosophi mente abit, qui eandem etiam in eruditissimo *Theodiceæ* opere laudat, exemplis illustrat, sed & defectus ejus ostendere nititur, de quo mox plura. *Secundo*: ponamus autem & sequamur

ordinem

ordinem a *Thomasio* præscriptum. *Primo*, *gestiebat Deus hominem nulli morbo obnoxium facere*; hæc verba *primo* supponunt, *Chrysippum*, solum Deum rerum omnium efficiendarum causam esse & auctorem, professum, & nihil extra Deum esse, quod eum ad agendum necessario impellat. *Secundo*, eum cum omnibus aliis *Stoicis* statuisse, Deo, antequam quicquam produceret, omnium rerum ideas præsentes fuisse, eum has inter se contulisse, & ex multis aliis ei obversantibus quibusdam saltem convenienter acturum statuisse; id est, ut clarius loquar, voluisse hunc mundum & homines creare; dicit enim providentia hanc mundi compagem & genus hominum factum esse, & in iis producendis naturæ consilium fuisse. *Tertio* observandum, *Chrysippum* sine dubio, cum de homine loquitur, de hominum genere loqui, quale jam est. Alia enim quæstio esset, utrum Deus substantiam intelligentem, sed corpore quodam longe subtiliori præditam, formare potuisset, iis morbis plane non obnoxiam, quibus nos homines esse solemus, quod quin *Chrysippus* affirmasset nullus dubito, cum materiam rem ad omnia paratam esse dixisset. Hactenus ergo nihil, quod absonum sit, in priore hac *Chrysippi* propositione video. *Secunda Thomasii* propositio est: *Sed interpellabat Fatum, negabatque hoc fieri posse.* Sed ego hic nullum Fatum sensu *Thomasii* video, tota lis ex definitione dependet: *Thomasius* jam supponit, inexorabile aliquod principium & necessarium causarum nexum intelligi; sed hoc prius probandum esset. Quæ inde jure eruas hæc sunt: Deum voluisse hominem producere: inter res a Deo efficiendas nexum esse: prævidisse autem Deum, in nexu rerum hominisque natura, morbos simul cum homine orituros: ait enim, utilissimis & aptissimis rebus, quas Deus pararet, per παρακολουθησιν, quædam incommoda oritura, id est, ut moderni Philosophi loquuntur, per *concomitantiam* malum physicum oriturum. Antequam ergo homines produxit, liber erat Deus juxta *Chrysippum*, nulla necessitate compulsus, sed in ipsa hominis natura, quem condere constituit, videbat Deus possibilitatem morborum includi. Cum autem tanta sit hominis præstantia, minus malum permisit; id est hominem condidit, & permisit simul eum morbis obnoxium esse: num autem hoc idem est ac fati legibus constringi? Minime. Certe accuratissimi modernorum Philosophorum ajunt, essentias rerum esse æternas, Deum convenienter his

agere; libere tamen nec ulla necessitate compulsum. Illustrantur hæc alio simili, quod attulit *Chrysippus*, quod cur contra *Lipsium*, ad quod tamen provocat, non adduxerit cl. *Thomasius*, nihil causæ video, præsertim cum rem, de qua agitur, mire illustret. Extat partim apud Ciceronem de Fato, partim apud *Gellium*, *lib. 6. cap. 2.* Apud *Ciceronem Chrysippus*, originem mali explicaturus, distinguit inter causas *perfectas principales*, & inter *adjuvantes & proximas*. Secundum illas quidem principium motus & actionis dari, sed hanc vel illam determinationem in causis proximis, id est, voluntate nostra quærendam. His positis ita ratiocinatur acutissimus Stoicus: *Quanquam ita sit, ut ratione quadam principali necessario coacta & connexa Fato sint omnia, ingenia tamen ipsa mentium nostrarum perinde sunt Fato obnoxia, ut proprietas ipsarum est ipsa & qualitas; nam si sint per naturam primitus salubriter utiliterque ficta, omnem illam vim, quæ extrinsecus ingruit, inoffensius tractabiliusque transmittunt. Si vero sint aspera & insita & rudia, nullisque bonarum artium adminiculis fulta, etiamsi parvo, sive nullo fatalis incommodi conflictu urgeantur, sua tamen levitate & voluntario impetu in assidua delicta & errores ruunt, idque ipsum ut ea ratione fiat, naturalis illa & necessaria consequentia efficit, quæ Fatum vocatur; est enim genere ipso quasi fatale & consequens, ut mala ingenia peccatis & erroribus non vacent.* Hæc jam illustrat *Chrysippus exemplo cylindri: ut*, ait, *qui cylindrum protrusit, dedit ei principium motionis, volubilitatem non dedit; sic visum objectum imprimet in animo suam speciem, assensio autem erit in nostra potestate, eaque, quemadmodum in cylindro dictum est, extrinsecus pulsa, quod reliquum est sua vi & natura movebitur.* Tandem concludit, *non debere ferri audirique homines aut nequam aut ignavos & audaces, qui cum in culpa & maleficio revicti sint, perfugiunt ad Fati necessitatem, tanquam in aliquod asylum, &, quæ pessima fecerunt, ea non suæ temeritati, sed Fato attribuenda esse dicunt.* Hæc *Chrysippus*, quæ jam illustranda & vindicanda sunt. Et *primo* quidem fateor, non satis recte hæc a Chrysippo dici; sed hoc non quæritur. Quæstio est utrum *Chrysippus cæcum* aliquod & irrevocabile Fatum statuminaverit, quod negamus. *Secundo* patet inde *Chrysippum* fateri, Deum hominem condidisse, simul tamen per concomitantiam factum, ut malum simul in homine se exereret, licet liberrime, nulla necessitate compulso: in ipsa

enim

enim mentis natura includi quidem possibilitatem errandi, nullam autem absolutam necessitatem. *Tertio*, dari tamen ingentem mentium diversitatem; alias primigenia sua natura & indole, educatione insuper & institutione, aliis aptiores esse, quod ipsa experientia demonstrat. Videntur hic *Stoici Socratis* atque *Platonicorum* sententiam sequuti, qui idem asserebant. *Apulejus* de habitudine doctrinarum Platonis, lib. 2. non procul ab initio ait: Platonem „ ejusque sequaces asseruisse; hominem ab stirpe ipsa neque absolute bonum, nec malum nasci; sed ad utrumque proclive ejus „ ingenium esse, habere quidem semina utrarumque rerum cum „ nascendi origine copulata, quæ educationis disciplina in partem „ alteram debeant emicare. „ Idem testatur *Xenoph. Ἀπομνημ. lib.* 3. *cap.* 9. Simile autem quo utitur *Chrysippus* satis rem illustrat: principium motus extra cylindrum est, sed ut minus vel magis ad motum aptus sit, a materiæ natura petendum est; ita mentem ab externis quidem objectis ad volendum & agendum incitari, sed ipsam mentis determinationem ab ejus libertate originem habere, quæ vel ad bonum vel malum feratur, pro indole mentis aut naturæ insita, aut habitu crebraque exercitatione contracta.

XI.

Non multum abit hæc comparatio a mente illustris *Leibnizii*, *pag. m.* 340. Theodiceæ ita ait: „ Cette comparaison de Chrysippe „ n'est pas fort différente de la nôtre, qui étoit prise d'un bâteau „ chargé, que le coulant de la riviére fait aller, mais d'autant „ plus lentement, que la charge est plus grande. Ces comparaisons tendent au même but, & cela fait voir, que si nous étions „ assés informés des sentimens des anciens Philosophes, nous y „ trouverions plus de raison. „ Nihilominus existimat vir summus, *Chrysippum* non satisfeciisse difficultatibus heic occurrentibus, comparatione ista cum cylindro instituta, & tria adhuc ad solutionem postulat. „ Il faloit prémierement ajouter, que c'est par le „ choix libre de Dieu, que quelques-uns des possibles existent; „ & secondement, que les créatures raisonnables agissent librement „ aussi, suivant leur nature originelle, qui se trouvoit déja dans „ les idées éternelles: & enfin que le motif du bien incline la vo-

„ lonté ſans la néceſſiter. „ Aut fallor, aut maximam partem eorum, quæ *illuſtris vir* deſiderat, *Chryſippus* profeſſus eſt; fateor ea ſatis ex mente *Chryſippi* evolvi non poſſe, dum integrum ejus opus ad manus non eſt; ſed argumentemur ex conceſſis. Primum quod adjiciendum eſſe putat vir illuſtris hoc eſt, *quædam poſſibilia libera Dei voluntate extitiſſe*; atqui hæc profeſſus eſſe videtur *Chryſippus*, dum poſſibile dixit eſſe id, quod exiſtere poteſt, licet futurum nunquam ſit, hinc & iis illi cum *Diodoro* interceſſit. Audiatur *Cicero*, qui libro de Fato *Chryſippum* ita alloquitur: „ Tu & quæ non „ ſint futura, poſſe fieri dicis, ut frangi hanc gemmam, licet nun„ quam futurum ſit; neque neceſſe fuiſſe Cypſelum regnare Corin„ thi, quanquam id milleſimo ante anno Apollinis oraculo editum „ eſſet. „ Sane loquitur hic Chryſippus ad mentem accuratiſſimorum ævi noſtri Philoſophorum. Cl. Ch. *Wolfius*, qui illuſtrem *Leibnizium* in multis ducem habet, de nexu rerum ſap. pag. 16. „ Nos tanquam poſſibile admittimus, quicquid nihil con„ tradictionis involvit, ſive illud exiſtat ſive non. Actus ad poſ„ ſibilitatem nihil confert; poſſibile ſane eſt, ut menſæ quadratæ „ inducatur figura rotunda, etſi forſan nunquam futurum, ut ea„ dem figura eidem unquam inducatur. Similiter juxta noſtram „ notionem poſſibile fuit, ut ſurgerem cum ſederem: quod Spi„ noza & Fataliſtæ nunquam concedunt, nec ſalva ſua hypotheſi „ concedere poſſunt; „ Ita cl. *Wolfius*. Cum igitur juxta *Stoicos* Deus ſolus cauſa ſit, materia autem per ſe inepta & ad omnia parata, confeſſi ſunt ſimul, Deum rebus, quæ exiſtunt, exiſtentiam dediſſe. Sed inquiet forte quiſpiam, materiam juxta *Stoicos* fuiſſe æternam, ergo nullam poſſibilitatem dari poſſe; reſpondeo, *Stoicos* quidem cum omnibus in univerſum antiquis Philoſophis, materiæ æternitatem credidiſſe, ſimul tamen varias materiæ combinationes ſolius Dei voluntati & imperio adſcripſiſſe, unde prima rerum, ut ita dicam, ſtamina in ipſa materia præexiſtebant, ſed ut hoc non aliud corpus combinaretur, ab imperio & ſapientia Dei repetebant. Pone enim cum *Stoicis* præter Deum nihil eſſe, niſi ingentem quandam materiæ maſſam, rudem indigeſtamque molem, hactenus ergo juxta hypotheſin *Stoicorum* poſſibile non erit, ut homo, animal, planta, exiſtant, quod ſatis patet præter alia ex argumentis, quæ contra *Epicurum* afferunt. Quam primum autem

Deus

Deus causa illa causarum vult, efficitur aliquid, fit homo, planta, animal; ergo, fit id quod hactenus possibile tantum erat, & quidem libera Dei voluntate. *Secundum postulatum viri summi est: que les créatures raisonnables agissent librement, suivant leur nature originelle qui se trouvât deja dans les idées éternelles.* Hæc denuo aliqua ex parte asserit *Chrysippus*, dum, libertatem hominis propugnaturus, ait, ingenia ipsa mentium nostrarum perinde esse Fato obnoxia, ut *proprietas* eorum est & *qualitas*: omne visum mentem quidem ad hoc vel illud appetendum inclinare, sed in sola simul mente positam libertatem pro lubitu agendi. Exemplum etiam cylindri satis hoc probare videtur: hinc differentia inter *Chrysippi* & illustris viri sententiam non magna videtur. Cl. viri sententia est: in perfectissimo Dei intellectu ab æterno omnium rerum ideas contineri: ideas illas æternas & abstractas omnium rerum exemplaria esse: res per ideas repræsentatas per voluntatem Dei produci, adeoque naturam omnium rerum, etiam mali, in ipsis illis ideis æternis quærendam; Deum quidem his ipsis rebus per ideas repræsentatis ortum dedisse, sed convenienter naturæ rerum per ideas repræsentatarum: malum adeoque per concomitantiam simul cum optimo mundo, quem solum Deus condere salva sua sapientia potuerit, ortum esse. *Chrysippus* asserit Deum, antequam res produceret, vidisse quid ex nexu rerum consecuturum sit, adeoque ideas rerum efficiendarum Deo obversatas fuisse, quod eo ipso fatetur, dum asserit Deum, hominem facturum sciviſſe, hoc vel illo modo compactis ossibus capitis, ictibus eum & offensionibus obnoxium fore; porro Deum convenienter ideis quas habebat egisse, creasse hominem, saltem produxisse, & quidem convenienter naturæ hominis, quam in se contemplabatur, & hinc per concomitantiam malum ortum; liberam esse mentem & ad bonum malumve paratam, nec externis objectis necessario ad male agendum impelli: permisisse autem Deum malum ob majora & præstantiora, quod illustrat, teste *Plutarcho*, exemplo *comædiæ*, in qua sint actus nihil ad rem facientes, sed qui toti poëmati gratiam conciliare possint, quæ notio est illustris etiam *Leibnizii*, quam contra *Plutarchum* defendit. Alibi etiam locum elegantem apud Antoninum Philos. offendi, qui cum illustris viri mente conspirare videtur: extat is lib. 6. sect. 36. quem latine tantum dabo: *Asia, Europa, orbis sunt anguli; mare*

mare quodvis orbis guttula; Athos mons ejusdem glebula; tempus omne instans, punctum ævi; parva omnia, caduca, evanida; proveniunt indidem universa, a mente communi illa vel directe profecta, vel per consequentiam necessariam; etiam rictus leonis, & venena & noxium quidvis, sicut spina & lutum, NB. *quæ rerum illarum pulchrarum & speciosarum appendices sunt; noli ergo ista ab eo quem colis aliena opinari, sed rerum universarum originem tecum perpende. Qui præsentia videt, cuncta vidit, tum quæ ab æterno fuere, tum quæ in æternum futura sunt; cuncta enim cognata sunt & uniformia.* Hactenus *Antoninus*. Tota igitur differentia sententiæ illustr. *Leibnizii* & *Chrysippi* in eo posita esse videtur, quod illustris vir statuat ideas omnium rerum æternas & immutabiles tantum Dei sapientissimæ menti obversatas fuisse, atque mali originem in ipsis illisi ideis abstractis quærendam; *Chrysippus* vero asserit, Deum quidem ideas rerum omnium efficiendarum contemplatum, sed materiam, ex qua fabricandæ essent, jam præextitisse, & hujus adeo Deo etiam rationem habendam fuisse, in quo quidem errat *Chrysippus*; sed respectu necessitatis, quæ inde sequi videtur, non multum distant. Juxta *Leibnizium* ideæ illæ abstractæ a Dei voluntate non dependent originaliter, sed æternæ sunt, hinc necessitas quædam Deo imponitur convenienter naturæ rerum per ideas repræsentatarum agendi, inde & malum per concomitantiam oritur. Juxta *Chrysippum* pariter necessitas quædam in Deo est, dum materia non ad quidvis parata est, Deusque adeo ex ejus mente pro varietate materiæ agere debet. In Deo libertas est summa secundum *Leibnizium*, quod ex infinita illa rerum possibilium multitudine optima selegerit in lucem proferenda. Et liber est Deus juxta *Chrysippum*, dum ex ingenti illa massa ad motum inepta infinitas rerum combinationes effecit, & quidem sola voluntate optima & sapientissima commotus. Uno verbo, tolle materiæ æternitatem, & nisi me omnia fallunt, optime conspirabunt, circa necessitatem & libertatem, viri longe perspicacissimi. *Tertium tandem postulatum viri summi est, que le motif du bien incline la volonté, sans la néceſſiter.* Hæc sane denuo, si quid video, asseruit *Chrysippus* expressis verbis, supra a *Cicerone* prolatis, dicendo: *Ut qui cylindrum protrusit, dedit ei principium motionis, volubilitatem autem non dedit; sic visum objectum imprimet in animo speciem, assensio autem erit in*

nostra

noſtra poteſtate; eaque, quemadmodum de cylindro dictum eſt, extrinſecus pulſa, quod reliquum eſt, ſuapte vi & natura movebitur. Quæ verba ſane aperte ſignificant eum libertatem homini adſcripſiſſe. Idem docet diſtinctio ipſius in cauſas principales & perfectas, & in adjuvantes & proximas. *Tertio* ipſa doctrina *Chryſippi* de *confatalibus*, uti *Cicero* vocat, hoc ipſum ſupponit. *Quædam ſunt*, inquit Chryſippus, *in rebus ſimplicia, quædam copulata. Simplex eſt; morietur eo die Socrates. Huic, ſive aliquid fecerit, ſive non fecerit, finitus eſt moriendi dies. At ſi ita fatum ſit, naſcetur Oedipus Lajo: non poterit dici, ſive fuerit Lajus cum muliere, ſive non fuerit; copulata enim res eſt & confatalis; ſic enim appellat, quia ita fatum ſit, & cum uxore concubiturum Lajum, & ex ea Oedipum procreaturum.* Rejicit præterea Chryſippus vitium argumentationis, quod ἀργὸν λογον veteres appellarunt. Hæc niſi fallor ſignificant, ex mente modernorum Philoſophorum, nexum eſſe rerum & eventuum a Deo poſitum, in eodem autem ſimul involvi libertatem hominis; negat autem ſimul, certitudinem eventus neceſſitatem rebus imponere, & quidem rectiſſime; ut nihil jam dicam de conſtanti eorum aſſerto, ſummam ineſſe menti libertatem. Hæc igitur, niſi me omnia fallunt, ſimul cum illuſtri viro faſſus eſt Chryſippus: quod ſi tamen in applicatione lapſus ſum, mentis meæ imbecillitati & rei difficultati id attribui velim. Si quis eſt, qui viri ſummi cogitata magni faciat, is ego ſum; quod ſi *Stoici* & inprimis *Chryſippus* non idem ſenſerunt ac vir ſummus, & lapſi ſunt, hoc minime ferit divinum & incomparabilem *Leibnizium*. Sed pergam. Provocat cl. *Thomaſius*, ut ſupra audivimus, ad *Ciceronem*, qui in libello de Fato probaverit, *Chryſippum* omnia licet tentantem, neceſſitatem inferre. Sed ut verum fatear, hoc perſpicere non poſſum. Cicero de Fato ſect. 39. ait: *Dum verbis utitur ſuis Chryſippus, delabitur in eas difficultates, ut neceſſitatem Fati confirmet invitus.* Concedimus eloquentiſſimo Conſuli, *Chryſippum* Fatum ſtatuere, ſed probet neceſſe eſt, *cæcam & inexorabilem neceſſitatem* Fati nomine Chryſippum intelligere. Sect. 40. duas proponit veterum opiniones; quoſdam affirmaſſe, aſſenſiones noſtras vi & neceſſitate fieri; alios, easdem in noſtra poteſtate eſſe, dixiſſe, conſequenter non omnia Fato fieri; jam autem tertiam ſententiam eſſe Chryſippi, ubi diſtinctionem cauſarum ſupra jam adductam affert, tandem

vero potius omnium sententias inter se conciliare, quam refutare videtur. Sed revera in libello illo desunt multa, adeo ut *Chrysippi* & *Ciceronis* argumentationes non satis hic inter se conferre & dijudicare possimus; quantum tamen observare potui, *Cicero* partim in voce *Fati lusit*, partim *certitudinem* cum *necessitate* confudit, quod multis contigit acutissimis viris. Ita *Collinus* in disquisitione de libertate, probaturus hominem necessario agere, ita argumentatur: *Tout ce qui a un commencement, doit avoir une cause, & toute cause est une cause nécessaire.* Et paulo infra: *Si quelque action peut être faite sans cause, il n'y aura point de rélation nécessaire entre les causes & les effets, & par conséquent nous ne saurions nécessairement déterminer dans quelque cas que ce puisse être.* Nolo afferre quæ ad hæc eruditissimus *Clarkius* reposuit; sed qui *Ciceronem* leget, hac de re differentem, simili ratione deceptum fuisse perspiciet.

XII.

Sed nondum dimittunt nostrum Chrysippum viri docti. Cl. Petrus *Baylius*, in dict. hist. crit. sub voce Chrysippi, similitudinem illam a Chrysippo allatam exagitat dicendo: *Afin que la comparaison du cylindre soit juste, il faut comparer la destinée, non pas au premier venu qui le pousse, mais au menuisier, qui l'a fait, & qui en suite lui donne du pied. Ce que le cylindre roule fort long tems, vient de sa figure, mais parce que le menuisier lui a donné cette figure, cause nécessaire d'un mouvement durable, il est la véritable cause de la durée de ce mouvement. Toute la différence entre un cube qui ne roule point & un cylindre qui roule, toutes les suites, toutes les regularités ou irregularités du répos de l'un & du mouvement continuel de l'autre, doivent être attribuées à l'ouvrier, qui a donné à ces deux corps la forme d'où elles resultent nécessairement. Chacun peut faire l'application aux ames humaines.* Respondemus. *Primo* nos haud adstruere *Chrysippum* difficultatibus omnibus, quæ circa originem mali occurrunt, satisfacere; quod tamen argumentum cl. viri postulare videtur; nimirum vult, ut *Chrysippus* ostenderit, cur Deus ullas mentes, quæ errare potuerint, creaverit, & supposita vel sola libertate hominis, sequi Deum esse authorem omnium malorum; huic difficultati autem minime satisfacere exemplum a

cylindro

cylindro petitum. Mea opinione hic ratiocinandum secundum principia *Stoicorum*, & deinde videndum in quantum exemplum a cylindro petitum satisfaciat. Statuebant *Stoici*, ut satis notum, materiam esse æternam & variis dissimilibusque partibus constantem; Deum jus habere in materiam jam præexistentem, convenienter igitur ei aliquando agendum, hinc malum physicum oriri, quod materiæ, non Deo adscribendum sit; & quemadmodum, uti in proverbio dicimus, non ex quovis ligno fit Mercurius, ita juxta eos non ex qualibet materia Deus quidvis formare potest; similiter ac artifex non ex quavis materia efficere potest instrumentum. Sic cylindrus, ait *Chrysippus*, pro natura lapidis aut minus aut magis ad motum aptus erit, quæ ineptitudo artifici imputari non potest. Transferamus hæc ad mentes. Juxta *Chrysippum*, ut supra audivimus, ingens est jam ab origine sua mentium discrimen & varietas, quæ suppositio non adeo absurda videbitur iis, qui infantium indolem & rationes consideraverit; hæ mentes omnes, quamvis perfectione diversæ, præditæ sunt libertate, agunt omnes pro natura & indole perfectionum; jam secundum *Chrysippum* externa objecta omnia mentes illas ad volendum & agendum inclinant, sed ut ita vel ita agant, bene vel male, hoc in earum potestate est, licet fiat ut divinioris cujusdam indolis homines frequentius ad bene agenda ferantur quam qui naturæ imperfectioris sunt; ita secundum *Chrysippum* mentes non agunt necessario, nec Deus est auctor peccati. Quod si reponat *Baylius*, Deum potuisse omnes mentes facere nonsolum iisdem perfectionibus præditas, sed & quæ male agere non possent, respondeo; si ad infinitam Dei potentiam attendamus, nemo negabit, Deum hoc facere potuisse; sed de hoc non quæritur: quæritur utrum Deus salvis virtutibus suis potuerit creare mentes liberas, pœnæ præmiique capaces, & num hoc concesso sequatur Deum ipsum mali auctorem esse, quod negamus. Sed nolumus hic de origine mali disputare, hoc tantum dicimus, *Chrysippum* neque inexorabilem necessitatem induxisse, dum aperte menti libertatem concedit, a cujus determinatione vel bonæ vel malæ actiones repetendæ sunt; nec dubito quin idem statuerit, Deum in pœnis & præmiis rationem etiam habiturum indolis originalis omnium mentium; altius penetrare non potuit vir luce revelationis destitutus: saltem *Cicero* aliique adversarii nihil aliud reponere

potuerunt, quam a *Chryſippo* petere, ut cauſam reddat, cur Deus ejuſmodi creaturas liberas, non alias producere voluerit. Quæ quæſtio quidem ſolutu difficilis futura erat *Chryſippo*, ſed nihil tamen impediebat, quo minus ſalva hypotheſi libertatem mentium tueretur. Provocat *ſecundo* vir eruditus ad fragmenta *Onomai* & *Diogoniani*, quæ nobis ſervavit *Euſebius*, præp. evang. lib. 6. Sed hæc fragmenta ſane cæteris *Stoicorum* ſententiis, ubique in operibus eorum extantibus, opponi non poſſunt. *Tertio* provocat ad *Plutarchum*, qui refutaverit *Chryſippum*. Rationes Plutarchi duæ ſunt: prima eſt, potius negandum eſſe, Deum eſſe omnipotentem, quam ut concedatur, eum permittere malum potuiſſe: ſecundo negat, malum infervire poſſe ad illuſtrationem præſtantiorum bonorum. Sed hæc nihil contra Stoicos ſolos faciunt: hæ objectiones omnibus Theologorum & Philoſophorum ſyſtematibus opponi poſſunt, ſaltem omnibus qui providentiam dari, & mentes libertate quadam præditas aſſerunt: non igitur hiſce refutandis inhæremus, breviter tamen objectiones Plutarchi refellit illuſtris *Leibnizius* Theod. p. 339.

XIII.

Sed revertamur jam ad Thomaſium. Ex iis, quæ jam diximus, apparet alium ratiocinandi ordinem ex mente *Chryſippi* ſervandum eſſe, quam quem præſcripſit Thomaſius. Res huc redit. Deus ex mente Chryſippi omnium rerum efficiendarum ideas contemplabatur, in iis perſpiciebat, materiam, ex qua fabricare hominem conſtituiſſet, ejus naturæ eſſe ut morbis poſſet obnoxius fieri, quamvis ille optimus Creator hoc minime intenderet: Sola igitur bonitate motum condidiſſe hominem, licet per concomitantiam morbos quoſdam in eum irruituros præviderit, qui tamen, ſi excellentiſſimas dotes ejus perpendas, nihil præſtantiæ ejus detrahant, imo faciant aliquando ad ejus emendationem. Malum morale ex libera mentis voluntate ortum. Ita mea opinione *Chryſippi* ratiocinatio capienda & interpretanda, quæ etſi in omnibus probanda non ſit, cæcum tamen & irrevocabile Fatum non inducit, quod nobis ſufficit. Cum autem toties de Fati neceſſitate loquuntur *Stoici*, hæc omnia mitius interpretatur *Lipſius*, & nihil aliud hæc ſignificare ait, quam

placuiſſe

placuisse Deo stare semel fixo decreto: eum in finem multa ex *Seneca* huc facientia adducit. Ita quæst. Nat. I. ait: *Imminutio majestatis est, & confessio erroris, mutanda fecisse; necesse est enim ei eadem placere, cui nisi optima placere non possunt. Nonne bonus non potest facere quod facit, quid enim, erit bonus, nisi fecerit?* Magnum est hoc argumentum firmæ voluntatis, ne mutare quidem posse; quod si aliunde eveniret aut cogeretur, sane impotentia esset, ut inquit Seneca. Externa non cogunt Deos, sed sua illis in legem æterna voluntas est. Ita & Lucanus, lib. 2.

Fixit in æternum causas, qua cuncta coercet,
Se quoque lege tenens.

An tamen hæc non est servitus? Minime, inquit *Lipsius*, & addit locum Senecæ dicentis; *nec Deus ob hoc minus liber & potens est, ipse enim est necessitas sua.* Hanc *Lipsii* explicationem refutare aggreditur *Thomasius*, primo opponendo locum Senecæ, in præf. quæst. nat. dicentis ad *Lucilium*: *Quam utile existimas ista cognoscere? Utrum Deus quicquid vult efficiat, an in multis rebus eum tractandæ destituant, & a magno artifice prave formentur multa, non quia cessatrix, sed quia id, in quo exercetur, sæpe inobsequens arti est. Poteratne*, exclamat Thomasius, *clarioribus verbis enunciare Seneca, non omnia Deum, quæ velit, efficere posse, & esse extra ipsum inobsequens aliquid, quod cogat invitum velle, quod initio noluit.* Sed ad hæc jam supra satis respondimus in elucidatione ratiociniorum a Chrysippo allatorum. Diximus certitudinem non involvere necessitatem, neque omnem necessitatem etiam destruere libertatem; omnes dicere solemus, Deum æternis rerum ideis convenienter agere, unde omnes necessitatem quandam agnoscimus; Deum asserimus facere non posse ut triangulus sit circulus, ut idem corpus simul sit Parisiis & Romæ; nunquam tamen Deum cogi dicimus, hoc enim esset verborum ambiguitatibus ludere. *Lorsque le Sage, & sur tout Dieu, (le sage Souverain) choisit le meilleur, il n'en est pas moins libre; au contraire, c'est la plus parfaite liberté de n'être point empêché de faire le mieux. Et lors qu'un autre choisit selon le bien apparent, & le plus inclinant, il imite en cela la liberté du Sage à proportion de sa disposition; & sans cela, le choix seroit un hazard aveugle.* Verba

sunt illustris *Leibnizii*, cinq. replique pag. 84. Sed pergit Thomasius: „ Itane, inquies, sibi contradicit Seneca, sustine paulisper, „ ostendam tibi præstigias non unas. „ Audiemus: „ Deus apud „ Stoicos (verba sunt Thomasii) jam activam illam essentiam si- „ gnificat, qua veluti anima sua regitur mundus, jam mundum ip- „ sum, id est Deum & materiam. Est ergo extra partialem illum „ Deum, liceat ita loqui, ut melius intelligar, quod ipsum cogat, „ non extra totalem; habes præstigias, quibus effici potuit, ut „ cum sectæ suæ consentanea diceret Seneca, negans ab externis „ cogi Deum, nobiscum tamen sentire videretur. „ Hactenus Thomasius. Sed quid est bone Deus vitilitigari, si hoc non est? Si *Seneca*, quando Deum non cogi dicebat, voce Dei totum mundum, Deum & materiam, intellexisset, an non pro stulto haberetur, asserendo nihil esse extra omnia, quod Deum cogeret? Quis unquam sani cerebri quæsivit, utrum Deus ab iis rebus cogi possit, quæ non sunt? Quando ergo dicit *Seneca*, non externa Deos cogunt, sed sua illis in legem æterna voluntas est, per Deum solum perfectissimam mentem intelligit, quæ a materia, re inerti & in æternum cessatura si nemo moveret, cogi non potest, sed tamen ad agendum rationibus moveri potest. Si aliter interpreteris *Senecam*, omnem illi rationem denegas. Legatur totum caput 23. lib. VI. de beneficiis. Sed nondum adquievit *Thomasius*. *Lipsius* ita argumentatus est: *Deus juxta Stoicos vult Fatum, ergo dominatur Fato, ergo non cogitur a Fato. Ergo per Fatum liber satis & potens est.* Quid adhuc Thomasius? *Recte*, inquit, *si voluntas illa Fatum antecessit, atqui docuimus nos voluntatem illam Dei, quæ Fato conformis est, non præire Fatum, sed succedere, & ita succedere, ut velit, quia aliter non potest, non possit autem ob externum inobsequens; ergo Deum cogi.* Sed supra jam ratiocinium cl. viri invertimus. Vellem ut vir eruditus totum caput 23. lib. VI. de beneficiis perlegisset, ubi inter alia ita *Seneca: Dii non possunt videri nescivisse, quid effecturi essent, cum omnibus alimenta protinus & auxilia providerint, nec eos per negligentiam genuere, quibus tam multa generabant.* NB. *Cogitavit enim nos antea Natura, quam fecit, nec tam leve opus sumus, ut illi potuerimus excidere.* Quæ verba aut nihil significant, aut hoc, Deum prævidisse omnium rerum nexum antequam eas produceret, semel productas convenienter naturæ rerum & voluntati

luntati ejus gubernare, id est, sequi eam seriem rerum condendarum, quam sibi pro sapientia fixit semel; ergo inquam voluntas, decretum ipsius, vel Fatum anteceſſit: quod si illas rationes, quæ Deo obversabantur antequam manum, ut ita dicam, operi admoverit, velit *Thomasius* Fatum vocare, per me licet: sed ita omnes Fatum statuere dicendi essent. Tandem ait cl. vir: *Deus, materia, mundus, providentia, fatum, natura, neceſſitas, fœdiſſima confuſione miſcentur a Stoicis, ut horum nomina paſſim inter ſe permutent: cauſa eſt in promtu, quia Deum & materiam perſuaſi fuerant Fati quodam glutine ab æterno ita compingi, ut unum per ſe non minus conſtituant quam anima & corpus.* Ad quæ breviter respondeo, nullam esse prioris objectionis speciem; scilicet mundus, fatum, Deus &c. aliquando miscentur, id est, vocabulis diversa significantibus exprimunt nomen Dei; ergo juxta *Stoicos* Deus, mundus &c. unum idemque sunt. Idem est mea opinione ac si quis diceret, cancer significat morbi speciem, animal & stellam: ergo in ore ejus qui his vocibus utitur, unus idemque sunt. Num putamus Stoicos omnes insaniviſſe, quibus tam absurdam sententiam adscribimus? Cur ergo, inquis, his vocibus utuntur? Respondeo, satis eos alibi mentem suam explicare. Cur nos voce naturæ, mox Deum, mox Universum, mox leges a Deo positas, mox facultates & proprietates corporum mentiumve intelligimus? Num ideo, quod Deum corpora &c. unum idemque esse putemus? Minime. Cur ergo aliis litem intentamus, qui alibi satis hæc omnia distinxerunt? Audi Senecam quæst. nat. 1. *Quid eſt Deus? mens Univerſi. Quid eſt Deus? quod vides totum & non vides totum. Quid intereſt inter naturam Dei & noſtram? noſtri melior pars animus eſt: In illo nulla pars extra animum, totus ratio eſt.* Quæ de glutine illo Fati dicuntur, metaphorica sunt, & nihil aliud significant, ut supra satis explicui, quam relationem quandam esse inter Deum ejusque voluntatem, & res omnes in Universo. Sed quid opus est pluribus verbis? Legatur sect. 7. & 8. lib. 4. de Benef. Senecæ, ubi docet: *Deum & Jovem & fortunam & fatum, omnia ejuſdem Dei nomina eſſe, varie utentis ſua poteſtate, tot appellationes ejus eſſe poſſe, quot munera.* Mitto jam aliorum objectiones. Cl. *Buddeus* in thes. de *ſuperſtit.* & *atheiſmo* ait, ipsosmet *Stoicos* nescivisse quid nomine Fati intelligant, & tamen judicat eos inexorabilem necessitatem professos. Hæc ego conciliare non possum.

XIV. In-

XIV.

Interim non diffiteor, ut initio dixi, Stoicos in graviſſimo capite de providentia Dei non per omnia recte ſenſiſſe, licet ſtatuam eos *inexorabile* & *cæcum Fatum* profeſſos non fuiſſe. Idem heic contigiſſe puto *Stoicis*, quod pleriſque accidere ſolet, qui de hiſce philoſophantur. Ab una parte vident menti ineſſe vim pro objectorum & conceptuum diverſitate judicandi & agendi, & ſine hac mentem nec pœnæ nec præmii capacem fore; ab altera parte ad infinitam Dei poteſtatem, vim & ὑπεροχὴν attendentes, omnia ejus imperio ſubeſſe exiſtimant. Hæc ut invicem ſecum concilient, omnes ingenii nervos, omnem qua pollent mentis aciem intendunt: tandem multis ſæpe fruſtraneis meditationibus & argumentorum collationibus feſſi, quod utrinque certum eſt retinent: interim aliquando ita loquuntur, ut putes eos homini omnem libertatem demere, aliquando autem vel præſtantiſſima quævis ejus imperio ſubtrahere: ſaltem multos audivi, qui poſt immenſos hac in re exantlatos labores, & lectos *Baylii*, *Leibnizii* & *Clarkii*, aliorumque ſubtiliſſimorum Philoſophorum libros, exceptis generalioribus principiis, in *Terentiani* illius eruperunt verba: *Feciſtis probe, incertior ſum quam fueram dudum.* Quæ ſi quis abſque partium ſtudio conſideraverit, moderate ſane non de *Stoicis* ſolum, ſed & aliis, qui in graviſſima materia a veritate aliquando deviarunt, judicabit. Deo interim gratias agamus, quod divinam lucem nobis conceſſerit, qua colluſtrati melius de hiſce judicare poſſumus, quam acutiſſimi priſce philoſophiæ Profeſſores.

DISSER-

DISSERTATIONIS DE FATO STOICORUM, PARS POSTERIOR.

PLures effluxere anni, ex quo conscripseram dissertationem priorem de Fato Stoicorum, quæ in *Museo Bremensi* primum occupat locum. In ea probare aggressus sum, Stoicos a cl. J. *Thomasio*, & cl. *Buddeo*, qui vestigia Thomasii pressit, gravissimi erroris *Spinozismi*, uti hodie appellatur, sine sufficientibus rationibus fuisse postulatos. Non male hæc mea dissertatio a quibusdam eruditis fuit excepta. Displicuerat ea vero, ut sunt diversa hominum judicia, cl. *Buddeo* tum temporis Theologo Jenensi præstantissimo. Eum in finem in additamentis *Isagogæ in universam Theologiam* adjectis eam impugnandam esse existimavit. Ego vero quamprimum hanc refutationem conspexeram, debiliorem eam esse existimavi, quam ut a sententia me mea dimoveri paterer: miratus quin etiam sum, cl. *Buddeum* ad *Thomasii* rationes semper provocare, ejusdemque argumenta repetere, simul vero alto silentio involvere *responsa* cl. *Thomasio* data, quod legenti dissertationem meam pulchre constabit. Cum vero tum temporis amore historiæ philosophicæ essem captus, examini subjeci cl. Theologi refutationem, eamque *disquisitionibus meis de viris eruditis atheismi suspectis* adjungendam putavi, prout id ex conspectu operis mei in *Helvet. Bibliotheca* & *Temp. Helvetic.* repræsentati constat. Quoniam vero ita providente Optimo Numine ante decem annos docendæ Theologiæ admotus eram, hæc studiorum genera abjeci, aliis

quippe intentus jam curis & laboribus. Cum vero in manus veniſſet cl. & amiciſſimi *Albrechti*, Lycæi Francofurtani Rectoris digniſſimi, de *Pronœa Epicurea* diſſertatio, invitatus quaſi ab eo fui, ad ea, quæ contra cl. Theologum ſcriptis conſignaveram, edenda & Muſeo helvetico inſerenda. Antequam vero ipſa cl. *Buddei* argumenta expendam, generalia quædam huic diſquiſitioni præmittenda eſſe puto.

Primum eſt: Ipſi cl. viri, qui Theologiam ſtoicam impugnant, fatentur, Stoicos non ſemper in hoc argumento ſibimetipſis conſtare, ſed diverſis uti ſententiis, quæ mox in hunc, mox in alterum ſenſum rapi poſſint. Quomodo vero his conceſſis probari poſſit, Stoicos certum aliquod & ſibi per omnia conſtans ſyſtema de Deo, mundo & homine ſtatuminaſſe, fateor me neſcire. Dabimus quædam vi orum doctorum, ut theſin hanc probemus, teſtimonia: *celeberrimus* & *amiciſſimus Brukerus*, vir ſi quiſquam alius hiſtoriæ philoſophicæ peritiſſimus, in *hiſtoria critica philoſophiæ*, opere ætatem laturo, Tom. I. pag. 910. ita loquitur: *Non abs re erit obſervaſſe, Stoicos præſtantiores pleroſque non ſemper conſenſiſſe, ſed in diverſa abeuntes Zenonis ſyſtema ſæpiuſcule reliquiſſe. Id quod non Epictetus tantum, Seneca & his ſimiles fecere, ſed a Chryſippo quoque, Diogene, Panætio & Poſidonio factum eſt.* Ipſe ὁ μακαριτης cl. *Buddeus* exercitat. de *Spinoziſmo ante Spinozam*, p. 322. *Fuit*, inquit, *hoc commune veterum vitium ſyſtemata male cohærentia ſibi formare: pauciſſimique ſoliciti de eo fuerunt, quo pacto ſententias, quas defendebant, inter ſe connectere, & in juſtum redigere ordinem poſſent.* Clariſſimus & doctiſſimus *Albrechtus* diſſertatione ſupra laudata p. 17. ita ſapienter judicat: *Primo æquum poſtulare videntur viri ſapientiſſimi, cum ſciſcunt, non ex glorioſis hujus vel illius Stoici verbis diſciplinam hujus generis æſtimari debere. Nonne autem eodem jure poſtulari poſſe videtur, non ex durioribus hujus vel illius Stoici verbis diſciplinam hujus generis æſtimari debere? Antiquiſſimorum ex porticu Sapientum pleraque intercidiſſe, notum eſt; cæteros autem mirifice diſcordare, nec quod huic placet, ab altero probari, fatentur ipſi ſtoicæ philoſophiæ enarratores: quin non ipſi ſolum inter ſe diſſentiunt, ſed eoſdem a ſe ipſis diſſentire, nec in omnibus conſtare, vel ex uno facillime diſcas Seneca, in quo, ut Dn.*

L. Mos-

L. Moshemius observat, tot legas inter se pugnantia, & doctrinæ quam profitebatur, initiis contraria, ut nullius par sit ingenium omnibus ejus inter se sententiis conjungendis aut conciliandis. Quis autem hinc non intelligit, difficile esse ex tot scriptoribus tantopere inter se discrepantibus systema disciplinæ stoicæ nectere, quod omnis porticus ut suum deosculetur. Forsan ipsi της Στοας sapientes, si systema ejusmodi ipsis recognoscere contingat, idem quod hodie fieri solet, conquerantur, falsa sibi tribui, mentem perverti, inique secum agi, quod opiniones discipuli, vel Doctoris privati, in rationes Magistri vel totius familiæ transcribantur. Et sect. VIII. ait: *Plurima quæ Stoicis vitio verti solent, consequentiæ sunt ex ipsorum systemate deductæ. Verum multa esse, quæ obsistunt, quo minus omnia liceat alicui tribuere, quæ ex ejus systemate fluere videntur, si quis mihi fidem habere abnuat, judicem incorruptum D. Abbatem J. L. Moshemium appello, qui illud quoque prudenter scivit, nullum veterum sapientiæ Antistitum, ne quid de recentioribus dicamus, innocentem & pium fore, si illa omnia sensisse eos pronuntiare liceret, ad quæ nos præcepta eorum videmus ducere.* Hactenus cl. *Albrecht*, cujus sententiæ penitus subscribo.

II. Existimavi & adhuc existimo, quorumvis hominum de religione systemata, sive illi Gentiles aut Turcæ sint, si modo rei natura id permittat, benigne esse interpretanda: Ergo hoc officium præstiti Stoicis in mea dissertatione, neque ut puto sine sontica causa. Omnes Stoici in universum cæterique viri docti inter antiquos contendunt, Stoicos constanter docuisse: Dari duas & sibi oppositas substantias, Deum nempe & materiam: dari providentiam ad maxima, medioxima & minima sese extendentem: Deum non solum quid effecerit sciviſſe, sed & fines intendisse: hominem esse liberrimum. Hæc principia constanter tenuere. Quam diu autem illa stant, Spinozismus illis nullo jure impingitur.

III. Omnes Interpretes admittunt, obscuriores & duriores sectæ alicujus phrases ex iis locis esse explicandas, in quibus perspicue, clare & rotunde animi sui sensa & decreta expoſuerunt: At & hîc talia adsunt magno numero.

IV. Perpendendum quid homines in tales perplexitates conjecerit: Admittebant materiæ æternitatem, & tamen aliquam in exornando Universo Deo tribuebant potestatem: Providentiam divinam disertis verbis admittebant, ubi vero ad originem mali moralis & physici deventum erat, & ad quæstionem: Si Deus omnia moderatur, cur malis bene est, bonis male? principia sua male cohærere sentiebant; interim & providentiam & libertatem hominis constanter tuebantur. Inter Christianos sunt viri celeb. v. gr. R. *Simon*, *Beausobre*, & alii, qui neque ex voce hebr. *barah*, neque ex vocibus κτιζειν, ποιειν &c. creationem ex nihilo probari posse asseruerunt, sed ad contingentiam Universi confugiendum esse existumarunt. Iidem in quæstionibus de origine mali & felicitate malorum, infelicitate vero bonorum, multa egregia plane & Stoicis ignota adferunt; simul tamen candide affirmant, difficultates omnes hic occurrentes plane & plene in hac vita solvi non posse. Æquum igitur est, ut hominum majore luce privatorum sententias benigne interpretemur. Quod a me factum esse jure puto.

V. Nihil facilius est quam ex obscurioribus & durioribus veteris auctoris phrasibus, adjunctis hinc inde aliis principiis, suppressisque iis quæ benigniorem interpretationem admittunt, systema conficere, quod periculosis consectariis obnoxium est. Ita factum ut habeamus *Spinoziastas ante Spinozam*, *Pelagianos ante Pelagium*, *Enthusiastas ante Enthusiastas* &c. Immo beneficio hujus methodi ex scriptis Stoicorum, Platonicorum, imo ipsius *Jord. Bruni* monumentis *Leibnizianos* ante *Leibnizium* reperias. Quo jure sciunt illi, qui systemata illa ἀτερ παθων examinarunt.

VI. Nescio quis morbus ætate nostra quosdam eruditos adflavit Atheorum inter veteres numerum adaugendi. Si hos audias, Orientales fere omnes, Græci & Romani, ut de Siamensibus, Chinensibus &c. nihil dicam, talia systemata admiserunt, quæ atheismo favent: Utrum hæc cum effatis Pauli ad Romanos de τω γνωστω τυ Θευ & bonitate Numinis legem naturalem hominibus concedentis conveniant, judicent alii. Ego assentior celeberrimis viris, Hamburgi quondam imo universi eruditi orbis luminibus, *Alb. Fabricio* & *J. C. Wolfio*, qui ita de hoc argumento pronuntiarunt:

tiarunt: *Infelicem & religioni ac humano generi parum utilem, nec honorificum, sed iniquum laborem esse, principes ingeniorum & præstantissimos totius antiquitatis viros invitos trahere in societatem Atheorum, & universum ethnicismum confundere cum spinozismo atque atheismo, cum Apostolus quoque in Ethnicorum sapientibus non tam desideret cognitionem Dei, quam quod Deum, quem ex operibus cognoscebant, non tanquam Deum honore sunt juper omnia prosecuti. Vide Biblioth. græcæ lib. III. cap. VI. pag.* 178.

Hisce in antecessum præstructis, ad examen ipsum argumentorum contra nos allatorum progredimur.

Sect. I.

REpræsentabo autem ipsissima verba cl. Theologi, eaque unicinulis quibusdam a meis distinguam, ne ponderi argumentorum, quibus usus est ὁ μακαριτης, aliquid detraxisse videar. Ita autem incipit pag. 36. loco citato: „ Occurrunt sane in „ Stoicorum scriptis effata haud pauca, quæ cl. viri assertis favere „ videntur, cujusmodi nonnulla & ipse exhibui in introductione „ ad philosophiam stoicam ex mente M. *Antonini* Imperatoris. Sed „ longe plura occurrunt, quæ iis e diametro obversantur. Ita „ nimirum res sese habet prout jam monui, & etiam in introduc„ tione illa observavi, duplici ratione effata Stoicorum considerari posse, vel *in se* extra systema philosophiæ stoicæ spectata: vel „ *prout ex propriis* & domesticis philosophiæ istius principiis fluunt, „ ac originem trahunt. *Priori modo* si quædam considerentur, „ subinde longe verissima sunt, pulcherrimaque, ita etiam com„ parata, ut nihil minus quam Fatum aliquod stoicum indicare „ videantur. Sed si secundum *vera & genuina Stoicorum principia* „ ea explices, longe aliter se rem habere deprehendes. „

Responsio: Ut sententiam nostram rite explicemus, ante omnia monemus, nos, dum Stoicorum patrocinium suscepimus, probare noluisse, eos de Deo & providentia recte per omnia sensisse: hoc in ipsa dissertatione & alibi perspicuis verbis monuimus.

Hoc unum intendimus, Stoicos ita in hoc argumento locutos, itaque suam sententiam protulisse, ut unum aliquod systema ex certis & perspicuis principiis constans ex scriptis eorum concinnari haud possit: concessimus & adhuc concedimus, posse hinc inde loca perspicua ex scriptis Stoicorum colligi, ex quibus systema, *Spinozæ* haud absimile, confici possit. At contendimus simul, ex iisdem monumentis plane huic oppositum systema adornari posse: unde conficimus, nobis hac in parte ad ἐποχὴν recurrendum esse. Tale autem systema, quod *Spinozæ* contrarium est, & quidem ex domesticis Stoicorum principiis petitum, in dissertatione nostra exhibuimus. Hæc si observentur, neque Stoicos absolvemus, neque etiam condemnabimus. Cl. *Buddeus*, aliique distinguunt decreta Stoicorum in certa atque domestica principia, secundum quæ cætera omnia splendide & recte, ut ajunt, dicta sint exigenda. At ubi tandem extat illud systema stoicum e definitionibus, axiomatibus & propositionibus adornatum, cui aliæ propositiones æque claræ atque domesticæ opponi non possint? Hactenus existimavi æquissimam esse omnium Interpretum regulam, ut nimirum loca dubia & obscura ad certa & perspicua auctorum loca tanquam ad normam exigantur, & ex iis priora elucidentur: at frustra heic ad illam regulam provocatur; æque enim perspicua atque domestica loca, ut ita loquar, ad Stoicos absolvendos possunt ex scriptis eorum peti, ac ad eosdem damnandos. Hoc adeo apertum est, ut nulla propositio periculosa de Deo, de providentia & Fato adduci possit, cui contraria, eaque sana & rectior opponi non possit. Hinc frustra mea sententia clamant stoicæ philosophiæ oppugnatores, eos, qui Stoicorum decreta a *Spinozæ* sententia abire contendunt, ad certa & domestica eorum principia non attendere; potest enim hoc in ipsos qui talia defendunt commodissime retorqueri: certe loca quæ in dissertatione mea adduxi, perspicua sunt, atque e domesticis eorum principiis petita. Neque mirum est nos hoc in argumento hærere dubios & suspensos, non enim videntur unquam Stoici cogitasse de systemate aliquo concinnando, in quo omnia, quæ de Deo, providentia & religione naturali dici possent, apte inter se essent connexa, & certis atque perspicuis principiis cohærentia: tale saltem in Stoicorum scriptis non legi. Systema autem *Spinozæ* quo tendat, vident omnes, qui quid ex certis

certis ratiocinandi legibus consequatur perspectum habent. Atque hæc sunt, quæ obstitere hactenus, quo minus Stoicos *atheismi* vel *Spinozismi* reos postularem. Interim si quisquam mortalium ab iis opinionibus abhorret, quæ libertati divinæ & humanæ insidias struunt, is ego sum.

II.

Pergit cl. *Buddeus*: „ Haud raro Stoicos ita loqui ac si Deum „ pro societatis humanæ vinculo omnique juris fundamento habue- „ rint, lubens equidem fateor: Sed vera & genuina ratio erat, quod „ Deum ceu animam mundi per totum hocce Universum diffusum „ crederent, cujus pars quædam, scilicet mens, in singulis esset ho- „ minibus. Hinc homines partes esse Universi, & inter se co- „ gnatos contendebant, quorum adeo esset, neminem lædere, so „ ipsos sincerò amore prosequi, & quæ reliqua erant Juris Natu- „ ralis capita. Ad hoc probandum provocat ὁ μακαρίτης ad ea, „ quæ singulari dissertatione Antonino Philosopho præmissa dixerat. „

Resp. (1.) Quæ de anima mundi a beato viro dicuntur, explicatius tradi debuissent, de quo tamen infra dicendi occasio suppeditabitur. (2.) Si dixissent Stoici, mentes nostras ex Deo esse delibatas, errassent quidem; at id non subverteret propositionem de origine juris divina. (3.) Loca *Epicteti* & *Plutarchi*, quæ in dissertatione nostra attulimus, ad probandam existentiam Numinis, seu potius persuasionem de existentia Numinis, secundum Stoicos omnium officiorum in societate civili vinculum esse, nihil de causa juris a beato viro in medium producta innuunt. Considerabant Stoici universum mundum tanquam unam aliquam civitatem, hominesque a Deo in hunc mundum tanquam membra unius reipublicæ demissos. Sublata igitur persuasione de Deo & providentia, tolli mutua hominum officia asserebant. Hoc docet excitatus a nobis *Arriani* locus: docent hoc ipsum loca alia Stoicorum: notum, *Ciceronem* in libro *de officiis* ut plurimum Stoicos secutum. Is autem lib. III. sect. 6. ita de hoc argumento loquitur: *Qui autem civium rationem dicunt habendam*, externorum *negant, hi diriment communem humani generis societatem, qua sublata, beneficentia, liberalitas,*

liberalitas, bonitas, justitia, funditus tollitur: quæ qui tollunt, etiam adversus Deos immortales impii judicandi sunt. Ab iis enim constitutam inter homines societatem evertunt: cujus societatis arctissimum vinculum est, magis arbitrari esse contra naturam, hominem homini detrahere commodi sui causa, quam omnia incommoda subire vel externa, vel corporis, vel etiam animi, quæ vacent justitia. Idem *Cicero* cap. 5. hujus libri naturæ nostræ rationem legem divinam vocat. Ita loquitur *Socrates*, *Plato*, *Seneca*, aliique viri doctissimi inter veteres. Vide passim commentatores ad off. Ciceronis, *Grævium* cumprimis ad lib. III. cap. 5. & 6. Plane aliud vinculum societatis humanæ posuerunt Stoici, quam hîc a cl. viro fingitur. Præter loca citata egregie hoc mutuum vinculum Stoicorum explicuit *Isacus Casaubonus* in *comment. ad sat. III. Persii*, qui huic sectæ addictus erat. Poëtæ verba ita sonant:

Discite o miseri & causas cognoscite rerum,
Quid sumus, & quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut metæ quam mollis flexus & unde,
Quis modus argento, quid fas optare, quid asper
Utile nummus habet: patriæ charisque propinquis
Quantum elargiri deceat: quem te Deus esse
Jussit, & humana qua parte locatus es in re.

Ad ultimum versiculum ita commentatur *Casaubonus*: „ Observa divinam vocem *Deus* non *Dii*. Nam ita passim Seneca; „ M. Antoninus & Arrianus, atque alii e porticu Doctores; qui „ qui etsi loquebantur cum vulgo, & sæpe Deos Deorumque nomina in ore habebant, in explicandis suæ scholæ decretis Deum „ unum prodebant causam efficientem hujus Universi: sicut notum est e M. Tullio, Seneca, Laërtio, Zenone atque aliis. *Et humana qua parte* &c. Humana res est universi humani generis societas: adhuc igitur περι σχεσεων loquitur. Nam homo „ quatenus homo est habet σχεσιν, & naturalem conjunctionem „ cum omnibus hominibus: sed illud generale officium restringitur „ postea aliis, ut dicam cum Stoicis, orbibus minoribus, qui eo expressius intelliguntur, quo patent angustius. Inde est quod privatas „ charitates plures curant, quam publicam civitatis aut regni utilitatem:

„ litatem: nam ad universum mundum suas cogitationes referre, „ quam pauci sunt quibus vel solum in mentem unquam venerit? „ Stoici vero corrigendi hujus erroris gratia, unde multa in vitam „ peccata manarent, soliti suos non tantum ad universæ humanæ „ rei, ut heic, contemplationem hortari, sed etiam ad totius rei „ Universitatis: Quippe hoc omne unum esse, cujus pars imo „ membrum homines sint, singulas autem civitates esse quasi to- „ tidem Universi domos. Quicquid instituerent homines, aut „ quicquid illis usu veniret, in ejus æstimatione oculos semper „ debere ad Universitatis considerationem erigi; ex qua cogitatione „ illum fructum perciperent, ut nihil agerent, quod cuiquam mor- „ talium noceret; nihil iniquo ferrent animo, quod magnus ille „ Rector decrevisset; certi omnia ab eo sic administrari, quomodo „ ad Universitatis salutem expediant: nihil porro universo mundo „ expedire, quod privatim singulis non sit conducibile. Jure igi- „ tur M. Antoninus libro III. scribit, nihil adeo ad magnanimita- „ tem valere, quam si norimus casus hujus vitæ recte æstimare: „ quod ita explicat ex superiore doctrina: Ὀυδὲν ὑτως μεγαλοφροσύνης ποιητικὸν, ὡς το ἐλεγχειν ὁδω καὶ ἀληθεια ἑκαστον των τω βιω ὑποπιπτοντων δυνασθαι, καὶ το ἀει ὑτως ἐις ἀυτα ὁρᾶν ὡς τε συνεπιβαλλειν ὁποιω τινὶ τω κοσμω ὁποιαν τινα τυτο χρεῖαν παρεχομενον, τίνα μεν ἐχει ἀξιαν ὡς πρὸς το ὁλον, τινα δὲ ὡς πρὸς τον ἀνθρωπον πολίτην ὀντα πόλεως της ἀνωτάτης, ἧς ἁι λοιπαὶ πόλεις ὥσπερ οἰκίαι ἐισι; i. e. „ Nihil perinde magnanimitatem ingene- „ rat, atque expedite vereque discutere posse unum quodque eo- „ rum, quæ in vita contingunt; eademque sic intueri semper, ut „ mentem simul subeat, quali mundo, qualem usum hoc præbeat; „ quamnam Universi respectu dignitatem obtineat; quamnam, „ hominem quod attinet, qui civem agit civitatis supernæ illius, „ cujus reliquæ civitates istæ quasi familiæ existunt. „ Hactenus *Casaubonus*, qui plura hunc in sensum adducit loca, & confer *Gatakerum* ad lib. II. Anton. Philos. sect. XVI. Ex quo patet, longe aliis, quam quæ adfert cl. *Buddeus*, principiis societatis vinculum ex mente Stoicorum inniti. Mirum est autem, beatum virum ad dissertationem suam *Antonino* præmissam provocasse, probaturum Stoicos ideo existentiam Dei pro juris principio habuisse, quod mens esset pars Dei. Nihil enim ejusmodi ipsemet dixit bea-

tus vir, sed plane contrarium; proferamus quædam: Sect. XV. cap. VII. de hoc argumento agit: *Alterum vero*, inquit, *fundamentum, cui hanc doctrinam Stoici superstruunt, illud est, quod homo sit pars Universi & membrum magnæ istius atque universalis societatis.* Provocat, ad hoc probandum, ad *Antonini* quædam loca, & ad *Senecam*, quæ si adducemus, omnium optime refutant ipsius *Buddei* interpretationem. Ita autem loquitur Antoninus Philosophus, ex versione duntaxat, ne prolixior sim: *Ramus a proximo amputari ramo non potest, quin & a tota arbore resecetur; sic homo etiam ab uno avulsus homine non potest non etiam a toto excidisse cœtu. Et ramum alius aliquis; homo vero ipse se ipsum a proximo separat, dum eum odit, aut aversatur: ignorat autem etiam a tota civili societate eadem ratione se abrumpi. Verum tamen hoc habemus munere Jovis, qui hanc societatem constituit, ut rursum adcrescere proximo, & pars esse totius possimus.* Idem lib. VII. sect. 13. *Quam rationem in unitis & compactis corporibus habent membra, eam obtinent ratione prædita animalia in divisis, præparata ad unam quandam actionem. Hoc eo magis animum tuum tanget, si crebro tibi ipse dicas: membrum sum ejus, quod est ex ratione præditis conflatum, corporis. Si autem dicas, te esse partem, nondum ex animo diligis homines, nondum ex certa veri honestique comprehensione & intelligentia beneficentiæ usus te delectat: adhuc decoris tantum causa illam exerces, non ut qui dum aliis benefacis, fructum ipse tuæ beneficentiæ maximum percipias.* Lib. X. §. VI. *Quatenus vero mihi cognatio quædam est cum partibus, quæ sunt ejusdem generis, nihil agam, quod a bono communitatis sit alienum, immo potius congeneribus studens, ad communem utilitatem omnes meas actiones dirigam & a contrario avertam.* Ita tandem loquitur *Seneca* epist. 95. *Membra*, inquit, *sumus corporis magni, natura cognati sumus, ex iisdem, & in eodem geniti, amorem nobis indidit mutuum, ex ejus lege miserius est nocere, quam lædi. Societas humana lapidum fornicationi similis est, cui si se lapis unus subtraxerit, ruent omnia: omniumque lapidum ex æquo interest, singulos in suo loco & officio continere.* Hæc sunt loca illa, ex quibus beatus vir ostendere voluit, Stoicos ideo juris omnis fundamentum in persuasione de Numinis existentia ponere, quod mens humana pars sit Numinis: fateor, me non tam acutum cernere, ut talia in citatis locis videam.

III. „ Quod

III.

„ Quod dicitur (pergit cl. *Buddeus*) Stoicos Deum a mundo
„ distinxisse, non aliter admitti potest, quam si per mundum in-
„ telligas materiam, a qua licet Deum distinxerint, simul tamen
„ eum cum illa arctissimo vinculo conjunxerunt, adeo ut eum
„ pro anima mundi haberent. Quod vel innumeris, si opus esset,
„ comprobari posset testimoniis; sed sufficiant, quæ ex M. Aurelio
„ Imperatore attuli, in introduct. ad philosophiam stoicam, sect. 3.
„ segm. 3. pag. 34.

Resp. Concedit ergo cl. vir, Stoicos Deum a materia distinxisse: quod si hoc est, Deus & materia, vel mundus seu Universum, non sunt una quædam substantia, quod statuit *Spinoza*. At arctissime cum mundo, inquit, conjunxerunt Stoici. Sed dicendum tandem, in quo arctissima illa conjunctio consistat. Certe ubique causam efficientem & materialem distinguunt; distinguunt inter Deum & materiam. Hæc sunt domestica eorum principia, ut omnibus notum est. Ubi autem de operationibus Dei in mundum loquuntur, statuunt aliquam Dei & mundi conjunctionem; adeo ut Universorum nomine nonsolum ipsum mundum, sed & Deum ipsum comprehendant; ita tamen, ut quotiescunque agant de Deo & mundo separatim, ita semper loquantur, ut aperte significent, se aliud Dei, aliud mundi nomine intelligere. Aperiunda ergo fuisset illa conjunctionis Dei cum materia ratio, antequam consectaria inde deducerentur. Cogitemus quæso, quam, nos qui Christiani dicimur, conjunctionem Dei & rerum omnium in mundo statuamus. Contendimus Deum materiam omnem, postquam eam creavit, singulis momentis conservare, in eam agere, eam movere: dicimus conservationem esse continuatam creationem: dicimus Deum esse omnipræsentem, id est nullam materiæ particulam esse, cui Deus non adsit singulis momentis, & in quam vim suam non exerceat. De mente nostra ita loquuntur plerique, ut contendant, nonsolum substantiam ejus, sed & facultates, imo facultatum exercitium, sine potentissima Dei operatione, subsistere per momentum non posse. S. Literæ nos in Deo vivere, moveri & esse testantur. Ex Eo, per Eum & in Eo omnes res esse dicuntur, ut

de phrasibus multis, quibus habitatio Dei in fidelibus exprimitur, (*) nil dicam. Hæc sane aliquam Dei & mundi conjunctionem inferunt, non tamen efficiunt, ut Deus & mundus una fiat substantia. At, inquit beatus vir, Deum pro anima mundi habuerunt. Speciosa hæc & sæpius repetita objectio est, quam post cl. *Thomasium* beatus vir, aliique viri docti referunt, dicentes Stoicos Deum, uti in scholis loquimur, pro forma mundi *informante*, non *adsistente* habuisse. Mihi hæc objectio tanti non videtur esse ponderis, quanti videtur iis, qui a me in hoc argumento dissentiunt, præsertim quod hæc loquendi ratio, Scholasticis usurpata, Stoicis ignota fuerit. Sit autem, si ita velint viri docti, Deus anima mundi ex mente Stoicorum, num ergo probatum est, Deum & mundum unam absolvere substantiam? Certe hoc idem esset, ac si quis diceret, mentem & corpus unam absolvere substantiam, quia in homine utræque substantiæ arctissime sunt conjunctæ. An conjunctionis ratio inter mentem & corpus adeo nota est, ut ex hac conjunctione translata ad Deum certo & evidenter inferri possit, qualis inter mundum & Deum connexio sit? Dicendum ergo foret, quousque illam conjunctionis rationem urserint Stoici. Neque hic unus vel alter locus obscurior, aut durior loquendi ratio, pro norma interpretationis omnium aliorum locorum contraria docentium habendus est, silentio plane involutis omnibus, quæ planiorem sensum fundere possunt. Certe tot loca sunt, in quibus mundum a Deo distinguunt, & imperium Dei in omnia illi constanter tribuunt, ut mirum sit urgeri illam distinctionem. Unum alterumve adducamus. *M. Antoninus* lib. VI. sect. 36. ita loquitur: *Asia, Europa, Orbis sunt anguli: Mare quodvis orbis guttula: Athos mons ejusdem glebula: tempus omne instans punctum ævi: parva omnia, caduca, evanida: proveniunt indidem universa, a mente communi illa vel directe profecta, vel per consequentiam necessariam; etiam rictus leonis, & venena & noxium quidvis, sicut spina & lutum*, NB. *quæ rerum illarum pulchrarum & speciosarum appendices sunt. Noli ergo ista ab eo quem colis aliena opinari, sed rerum universarum originem tecum perpende. Qui præsentia videt, cuncta vidit, tum quæ ab æterno fuere, tum quæ*

(*) Videsis Act. XVII. 18. Coloss. I. 16, 17. Rom. XI. 36. &c.

quæ in æternum futura sunt: cuncta enim cognata sunt & uniformia. Vide ad hunc locum *Gatakerum*. *Seneca de benefic. lib. 6. cap. 23. Dii* (inquit) *prima illa constitutione, cum universa disponerent, etiam nostra viderunt, rationemque hominis habuerunt: in nostras utilitates principio rerum præmissa mens est, & is ordo mundo datus, ut appareat curam nostri non inter ultima habitam. Iidem Stoici* teste *Cicerone* de N. D. cap. 53. *asserebant, mente consilioque divino omnia in hoc mundo ad salutem omnium conservationemque admirabiliter administrari. Juvenalis* Sat. X. v. 346. ex mente *Stoicorum* ita loquitur:

Nihil ergo optabunt homines? si consilium vis,
Permittes ipsis expendere Numinibus, quid
Conveniat nobis rebusque sit utile nostris:
Nam pro jucundis aptissima quæque dabunt Dii:
Carior est illis homo quum sibi.

Vide ad hunc locum commentatores.

Denique *Seneca cap. 32. lib. IV. de Benef. Notum est illis operis sui series, omnium illis rerum per manus suas iturarum scientiæ in aperto semper est, nobis ex abdito subit.* Num ita loqui potest qui Deum cum mundo confundit? At videamus, quoniam ad dissertationem *Antonino* præmissam provocat beatus vir, qua ratione ibi probet Deum cum mundo arctissime conjunctum: Fatetur pag. 3. 4. testimoniisque probat, Stoicos per Deum intellexisse mentem, vel rationem per naturam rerum omnium intentam & commeantem. Post hæc ita pergit: „ Ita in universum omnes Stoici, qui „ Deum pro anima mundi venditabant. Istud vero & hic sibi vult „ *Antoninus*, & alibi quoque aperte docet; namque & lib. VI. sect. 40. „ Opificem mundi, hoc est Deum, rerum naturæ semper intime „ adesse scripsit: Ἐπι των ὑπο φυσεως συνεχομενων ἐνδον ἐστι καὶ παρα- „ μενει ἡ κατασκευασασα δυναμις; i. e. In his quæ a natura continen- „ tur, remanet, intusque est vis ea opifex. Et alibi: Μηκετι μονον „ συμπνειν τω περιεχοντι ἀερι, ἀλλα ἤδη καὶ συμφρονειν τω περιεχοντε „ παντα νοερω, ὁ γαρ ἧττον ἡ νοερα δυναμις παντι κεχυται, καὶ δια- „ πεφοιτηκε τω σπασαι δυναμενω, ἢπερ ἡ ἀερωδης τω ἀναπνευσαι δυναμενω;

„ i. e. Non jam tantum una spirandus est universus aër, sed & „ consentiendum cum mente, quæ universa complectitur: haud „ enim minus vis intellectrix ubique circumfusa est, & omni qui „ trahere potest se ubique ingerit, quam communis hic aër omni „ spirare volenti. „ Lib. VIII. sect. 54. Nimirum Deum non tantum esse animam mundi hic docuit *Antoninus*, sed & homines „ ipsos divinæ hujus essentiæ, sive animæ mundanæ esse participes. „ Plane ad ejus mentem Seneca: Totum hoc, quo continemur & „ unum est, & Deus est: & socii ejus & membra sumus. Epist. 97. „ Atque inde etiam evenit, ut Deus tum exteris Stoicis, tum etiam „ sæpius *Antonino* nostro *Naturæ* nomine veniat. Sic ἡ τῶν ὅλων „ φυσις, inquit, τυτο ἔργον ἔχει, τα ως δε ὀυλα ἐκει μετατιθεναι, μεταβαλλειν, ἀιρειν ἐνθεν καὶ ἐκει φερειν. Universi natura hoc agit, „ ut quæ hoc modo habet alio mutet, & ex uno loco in alium „ res transferat. Sed omnes quidem Stoicorum, quos de Deo fovebant errores, unico quasi fasciculo accurate complexus est „ Jacobus *Thomasius*, de exustione mundi stoica, dissertat. XIV. „ Docebant enim Deum intime insinuatum esse mundo, & quidem „ per modum partis formalis, qualis est anima in corpore, ita ut „ cum eo constituat unum per se compositum, alterque alteri & „ nomen suum & proprietates communicaret. Istud quidem recte „ asserebant, & *Antoninus* quoque docuit, intime adesse Deum „ mundo. At in eo plane falluntur, quod Deum I.) partem Universi formalem facerent. II.) Idque Deum mundo esse, quod „ anima est corpori; adeoque III.) Deum cum mundo unum per se „ constituere, & IV.) nomina quoque & proprietates utrumque „ habere communes docerent. Id quod copiose, eruditissimeque „ demonstravit J. *Thomasius* loc. cit. Nec *Antoninus*, utut sæpius „ cæteris Stoicis longe sanior sit, ab hoc errore immunis est: „ dum enim mentem per universam rerum naturam penetrare dixit, sine dubio ejusmodi unionem intellexit, qua corpori juncta „ est anima. Præterea dum Naturæ nomine Deus pariter ac mundus illi venit, idem utrique nomen ille tribuit, & cum cæteris „ Stoicis plane se consentire demonstrat. „ Ita beatus vir.

IV. Per-

IV.

Perveſtigemus ſingula diligentius. Et *primo* quidem fatemur, Stoicos dixiſſe, Deum eſſe animum per totum Univerſum intentum: at inde ſequi, Deum eſſe animam mundi eo ſenſu, quo ſumit beatus vir, nempe Spinozæ, nemo conceſſerit, neque locus *Antonini*, qui Deum intime rerum naturæ adeſſe dicit, probat, Deum eſſe animam mundi. Adponam ipſa verba integra & quidem ſecundum verſionem, brevitatis cauſa: Ita autem Imperator: *Organum, inſtrumentum, vas quodlibet, ſi id, ad quod conditum eſt, facit, bene ſe habet. Ibi tamen opifex, qui condiderat jam abiit: At in eis, quæ a natura continentur, intus eſt, ibique reſidet, quæ ea condiderat vis. Proinde magis eam vereri oportet; exiſtimandumque tibi, ſi ſecundum illius voluntatem te habueris, degeriſque, omnia tibi ex animi ſententia ſe habere: Sic autem & Univerſo, ex animi ſententia ſui habent ſe ſua.* Num autem hoc probat tandem, Deum eſſe animam mundi, unamque cum mundo conſtituere ſubſtantiam? Nimirum vis divina non abeſt a rebus conditis, ſed jugiter illis adeſt, ergo ita eſt in mundo, ut mens in corpore, imo ea mens unum facit cum mundo. Quis tulerit æquo animo hanc ratiocinationem? An non omnes Chriſtiani docent, Deum jugiter cunctis adeſſe, ea ſingulis momentis producere & movere? Neque perſpicuus plane ad idem probandum eſt alter locus *Antonini*, beato viro citatus. Per το νοερον παντα περιεχον intelligit mentem omnes mundi partes pererrantem: huic convenienter eſſe agendum primo docet perſpicuis verbis; nimirum το συμφερονειν. Deinde metaphoricis verbis idem exprimit per *το uttrahere*. Videtur eſſe ſenſus talis: Quemadmodum aërem ubique circumfuſum quilibet poſſunt attrahere; ita Deorum voluntati ubique vim ſuam exercenti convenienter agere poſſunt omnes. Vidit tamen hic animam mundi *Gatakerus*. At ſit ita, num ſequitur mens, ſeu Deus ubique activitatem, liceat hac voce minus latina uti, ſuam etiam in homine exerit, ergo Deus eſt anima mundi? Certe ſi mens noſtra eſt pars Dei, ut beatus vir vult, quid opus eſt monere, ut Deum ubique præſentem, ſeu mentem omnia commeantem attrahamus? Neque quod tandem Stoici Deum Naturam adpellitarint, ſequitur, mundum cum Deo ex mente Stoicorum unam eſſe ſubſtantiam.

stantiam Quod jam probandum. De diversis notionibus vocis *Naturæ* ex mente Stoicorum jam quidem soliciti haud sumus. Videantur *Lipsius*, *Gatakerus* & commentatores ad *Ciceronem* de Nat. D. lib. 2. Probabimus duntaxat, Stoicos quando hanc vocem adhibuerunt, ad causam omnium rerum notandam, ita loqui, ut satis pateat, eos Deum & mundum pro una eademque substantia non habuisse. Proferamus exempla ex ipso *Antonino*: lib. VIII. sect. 20. ait: Ἡ φυσις ἐσχασται ἑκασῳ ὀλιγον τι ἐλασσον της ἀπολυξεως ἢ της ἀρχης τε καὶ διεξαγωγης ὡς ὁ ἀναβαλλων την σφαιραν. *Natura rationem habet rei cujusque; tam ad finem quam ortum & durationem: quemadmodum & is qui pilam mittit, pilæ scilicet rationem habet.* Hic certe ἡ φυσις a rebus omnibus recte dirigendis plane distinguitur. Eodem libro sect. 35. pag. m. 171. *Sicut reliquas facultates unusquisque fere ab Universi natura* (των λογικων φυσις) *accepit, ita hanc nos ab eadem facultatem accepimus: quod quemadmodum illa, quicquid obstat & renititur, in usum suum circumvertit, & in fato disponit, atque ita partem sui facit, ita & animal rationale &c.* De Numine, cuncta hic disponente, sermonem esse, quilibet videt. Quod ipsum certe, juxta *Antoninum* a rebus, quas circumducit, & in suum usum convertit, distinctum quammaxime est. Lib. IX. sect. 1. Ὁ ἀδικων ἀσεβει. Της γαρ των ὁλων φυσεως κατεσκευασμενης τα λογικα ζωα ἑνεκεν ἀλληλων, ὡστε ὠφελειν μεν ἀλληλα κατ' ἀξιαν, βλαπτειν δε μηδαμως; i. e. *Qui injuste agit impie agit. Quum enim Universi natura animalia rationalia sui invicem gratia condiderit, ut sibi invicem pro cujusque dignitate prosint, nec ulla ratione sibi invicem obsint; qui naturæ hoc placitum violat, impie prorsus agit &c.* In eodem paragrapho eandem των ὁλων φυσιν vocat την ἀληθειαν, καὶ των ἀλλων ἀληθων ἁπασων πρωτην αἰτιαν. Eodem paragrapho luculentius adhuc sese explicat *Antonius* dicens: *Per hoc autem quod dicitur, Universi naturam istis ex æquo uti, intelliga ista ex æquo evenire ex serie quadam rerum prodeuntium, sibique invicem succedentium juxta antiquissimum quendam* NB. *Providentiæ motum, quo a principio illa ad hanc rerum omnium ordinationem & adornationem se contulit, quum rationes quasdam rerum futurarum apud se concepisset, & facultates quasdam existentiarum, transmutationum, & successionum istiusmodi fœcundas discrevisset.* Taceo alia loca, quæ adferri possunt; ex quibus constat Stoicos, dum de

natura

natura Universi locuti sunt, non semper mundum in genere, vel Universum eo nomine voluisse significare, sed & Deum causam Universi. (*) Novi quam pulcherrime apud *Ciceronem* lib. 2. alibique, mundum a Stoicis aliquando Deum adpellari: at qui totius ratiocinationis stoicæ seriem, vimque perpendit, facile animadvertet, mundum ideo vocari Deum, quod divinæ rationis vis & efficacia in mundo omnibus partibus constanter jugiterque sese exerat; simili ratione ac hominem vocamus sapientem, non quod putemus corpus & mentem unam absolvere substantiam; sed quod per actiones externas declaretur, inesse menti facultatem virtutem actionibus exprimendi: hinc illud *Senecæ: Nostri melior pars ratio, Deus totus ratio.*

V.

At provocat beatus vir ad Jacobum *Thomasium*, quod omnes facere solent stoicæ philosophiæ oppugnatores. Is dissertat. XIV. *de stoica mundi exustione* probare contendit, stoicum Deum formam mundi (ita loquitur) informantem esse. Pag. 178. de exustione mundi stoica sex propositionibus hanc suam se sententiam probaturum promittit: 1.) Stoicum Deum intime insinuatum mundo & 2.) quidem per modum partis formalis, 3.) qualis est anima in corpore, ita ut 4.) cum eo constituat unum per se compositum, alterque alteri & 5.) nomen suum & 6.) proprietates communicet. Non nego diligentissime omnium, quotquot unquam Stoicos impugnarunt, *Thomasium* in hoc argumento versatum. Quemadmodum autem in dissertatione priore de *Fato Stoicorum* ni fallor non negligenter ostendi, rationes, quibus dissertat. XIII. utitur, non esse omni exceptione majores; debuisset utique ὁ μαχαιτης argumenta mea, quæ opposui *Thomasio*, expendere atque rationes adducere, cur

(*) Notabilis valde locus est Senecæ, qui rem de qua agitur, in clara luce collocat, de Benef. lib. 4. cap. 8. „ Si quid (inquit) a Seneca accepisses; Annæo te diceres debere, vel Lucio; non creditorem mutares, sed nomen; quoniam sive prænomen ejus, sive nomen dixisses, sive cognomen, idem tamen ille esset. Sic hunc [Deum] naturam vocas, fatum, fortunam: omnia ejusdem Dei nomina sunt, varie utentis sua potestate. „

eas sibi non omnino satisfacere putet: Ita etiam existimo doctissimum virum equidem probasse, Stoicos Deum arctius quam par erat aliquando cum mundo conjunxisse, minime autem, eosdem Deum & mundum pro unica substantia proprie ita dicta habuisse, quod tamen requiritur si quis Stoicos *Spinozæ* antecessores facere vult. Ibo igitur per singulos illos sex articulos visurus, utrum rationes Thomasii conficiant, mundum & Deum juxta sententiam Stoicorum unicam sensu rigido efficere substantiam.

Prima ergo propositio *Thomasii* hæc est. Secundum Stoicos *Deus intime insinuatur mundo.* Probat hoc testimoniis *Plutarchi* & *Athenagoræ*. Hæc propositio nil nos moratur. Non enim utrum Deus dici possit insinuatus, sed quænam illius insinuationis sit ratio, & quousque ea secundum mentem Stoicorum sit extendenda, quæritur. *Secunda.* Stoici *faciunt Deum partem mundi formalem.* Probat hoc variis locis: seligamus duos: primus est *Senecæ* epist. 65. *Dicunt, ut scis, Stoici nostri, duo esse in rerum natura ex quibus omnia fiant, causam & materiam. Materia jacet iners, res ad omnia parata, cessatura si nemo moveat. Causa autem, id est ratio, materiam format, & quocunque vult versat, ex illa varia opera producit.* Ibid. *Universa ex materia & Deo constant.* Alter est *Lactantii* lib. 7. cap. 3. *Stoici naturam in duas partes dividunt: unam quæ efficiat, alteram, quæ se ad faciendum tractabilem præbeat: In illa primam esse vim sentiendi, in hac materiam, nec alterum sine altero esse posse:* quæ ultima verba *Cicero* acad. quæst. lib. 1. ita explicat: *Neque enim materiam ipsam cohærere potuisse si nulla vi contineretur, neque vim sine aliqua materia.* Observet hic lector, aperte duas res, duas partes & substantias a Stoicis memorari: una dicitur *efficiens, ratio, causa*; altera *materia, res iners ad omnia parata.* Habemus ergo duas substantias, non unam. Hæ substantiæ certe non fiunt una, postquam *causa, ratio*, materiam quo vult versat. Conjunctionis ratio secundum citata loca in eo consistit, quod mundus, id est, partes Universi plane consistere, suamque formam, pulchritudinemque habere non possent *sine causa & ratione*; & viciſſim quod Deus secundum *Ciceronem* vim suam potestatemque exercere non posset, nisi esset materia. Quod igitur mundus tam eleganter ornatus, compositusque sit, id Dei perpetuæ jugique præsentiæ tribuendum; nunquam juxta hæc loca dicitur, de quo tamen

quæstio-

quæstionis summa est, quamprimum causa, vel ratio, ad materiam accesserit, in unum utramque substantiam ita fuisse fusam, ut Deus fuerit mundus & mundus Deus. Hinc aperte *Seneca in rerum natura duo esse ait, ex quibus omnia fiant.* Non per unam substantiam varie mutabilem omnia decurrere. Regerit *Thomasius* aliique, Stoicos causam illam pro subtilissimo igne habuisse. (*) At ego dico, Stoicos, cum de causa & ratione locuti sunt, omnia attributa, quæ facultati intellectuali competunt, adscripsisse Deo, quod hactenus quidem ad discrimen illud a Stoicis positum sufficit: Præterea non sequitur, Deus purissimus ignis conjunxit se materiæ inerti, eamque in partes versat; ergo Deus unum fit cum materia. Adhæc ubi manent illa loca in dissertatione mea allata, in quibus Deus secundum Stoicos præscire nexum rerum dicitur, finesque intendisse?

Sequitur *tertia propositio: Stoici crediderunt id esse Deum mundo, quod anima corpori.* Ita *Seneca* epist, 65. *Quem in hoc mundo locum Deus obtinet, hunc in homine animus: quod est illic materia, id nobis corpus est.* Eodem modo loquitur *Laërtius* de *Zenonis* opinionibus agens: Sit autem ita, atque exhibeat mens divina idem officium mundo, quod anima corpori, num ergo duæ illæ substantiæ non amplius sunt distinctæ? Num mens nostra corpori adglutinata, vel ante conjunctionem cum corpore, vel post solutionem nihil est? Certe Stoici unitatem Dei, licet mundum jugiter permeantis, constanter professi sunt: hinc *Laërtius in Zenone:* Ἕν εἶναι θεὸν, καὶ νοῦν, καὶ εἱμαρμένην, καὶ Δία. Quomodo autem sic loqui possent, si mundus a Deo plane respectu essentiæ numericæ distinctus non esset? Quomodo Jupiter post factam mundi conflagrationem subsistere potest, si cum mundo unam eandemque absolvit substantiam? In Deum autem, secundum Stoicos, conflagrationem mundi vim suam non exercere ipse fatetur *Thomasius*, loco citato dissertat. VII. Idem potest aliis confirmari locis. Unum sufficiat Senecæ testimonium, qui epistola nona ita ait: *Qualis futura est vita sapientis, si sine amicis relinquatur in custodiam conjectus, aut in desertum littus ejectus? qualis est Jovis, quum resoluto mundo, &*

(*) Hanc sententiam Thomasii gravissimis rationibus & testimoniis impugnat cl. Brugmannus loco citato, quæ vero, cum ad summam disputationis nostræ non pertineat, non hic adducimus.

Diis in unum confusis, paulisper cessante natura, acquiescit sibi, cogitationibus suis traditus.

Quarta propositio: Deum & materiam constituere Stoicis unum per se compositum. Probare hoc vult *Thomasius* longa oratione *Lactantii*, Stoicos Lib. VII. cap. 3. insectantis: At revera quarta hæc propositio nonnisi est consectarium tertiæ. Si enim Deus in mundo, quod mens in corpore efficit, videtur Deus cum mundo ἐν ὑφεσταμενον æque conficere, ac mens juncta corpori hominem constituit. Quando Stoici dixerunt, idem esse Deum mundo, quod mens corpori, potest sine dubio illud consectarium elici, quod quarto loco ponit *Thomasius*: At vehementer dubium, utrum Stoici, quando Deum mundo ita adesse dixerunt, ut mens corpori adest, contenderint, plane omnia officia, munera, eandem plane conjunctionis rationem & efficientiam Deum in mundo & mundum vicissim in Deum habere, quæ resultare possunt ex mutuis mentis & corporis affectionibus. Hoc eo usque ego extendere nollem, nisi ipsissima eorum verba docerent, propositionem illam tertiam ita esse intelligendam. Sane antequam mundus in ordinem esset digestus, Deo consilium aliquod Stoici tribuerunt mundi exornandi, quo posito affirmandum, tam arctam tum nondum fuisse conjunctionem. Quicquid autem de eo sit, non conficitur, si vel maxime consectarium illud admitteremus, ex Deo & mundo unam fieri substantiam, juxta Stoicos, quod unice probandum incumbit. Notum est insuper, Stoicos de multis non adeo accurate atque perspicue locutos, de quo vel solus Seneca exemplo esse potest. Ex ejus scriptis multæ propositiones manifeste sibi invicem repugnantes colligi possent. Quod &, ut supra audivimus, fassus est cl. *Moshemius*. Præter ea, quæ in dissertatione mea J. *Thomasio* opposui, aliquid hic, ut propositioni meæ sua constet veritas, est adjiciendum & probandum, Stoicos Deum a mundo & materia distinxisse. Videamus hoc primo respectu materiæ. Præter locum citatum *Laërtii* multa alia sunt loca, allegata Menagio ad Laërtium, Lib. VII. sectio 134. Lipsio phys. stoicæ, Lib. II. cap. 4. Gatakero ad Anton. Lib. II. sect. 134. v. seq. Ex innumeris unum tantum superaddimus, Zenonis nempe apud Stobæum in electis physicis dicentis: Οὐσιαν εἰναι την των ὁλων πρωτην ὑλην, ταυτην τε πασαν ἀϊδιον, ὡτε πλειω γενομενην ὡτε ἐλαττω. Ex quo recte colligit doctissimus Brugmannus, in dis-

sertatione

sertatione laudata, Stoicos Deum realiter a materia distinctum esse professos. „ Qui enim (inquit pag. 28.) duo comminiscun-
„ tur principia, quod Manichæorum est, plane diversa, materiam
„ atque Deum, hi commiscere eadem, aut pro una substantia ven-
„ ditare nequeunt. Quod si vero nonnemo interserat, materiam
„ omnem a Stoicis ut a Spinoza pro attributo Dei haberi potuisse,
„ huic opponimus prædicata sequentia, quibus Stoici materiam
„ atque Deum distinguunt: scilicet materia est substantia compo-
„ sita, Deus ratio spiritualis; materia iners & bruta patitur, Deus
„ vita & vivendi virtute præditus; materia mutabilis est in ele-
„ menta & formas, Deus non item; materia est mali origo & sub-
„ jectum; Deus nil nisi bonum operatur: materia est independens a
„ Deo, Deus nil negotii cum ea habet, nisi quatenus formando eam
„ disposuit. „ Hactenus cl. *Brugmannus*. Facile insuper etiam ostendi potest, eosdem Deum cum mundo non confudisse, neque pro una eademque substantia habuisse. Præter ea quæ in dissertatione mea adversus Thomasium dicta sunt, sequentia observari velim: Et primo quidem apertum est testimonium Senecæ, epist. 65. dicentis: *Stoicis placet unam causam esse. Quærimus quid sit causa? Ratio faciens, id est Deus. Multum interest inter opus & causam operis.* Probat hoc definitio mundi apud Laërtium in vita Zenonis segm. 138. quæ sic sonat: Συστημα ἐξ ὐρανυ καὶ γης καὶ των ἐν τυτοις φυσεων. Ἡ συστημα ἐκ Θεων καὶ ἀνθρωπον καὶ των ἑνεκα τυτων γεγονοτων: Verum est quod Stoici aliquando mundi nomine Deum solum, aliquando Deum cum creaturis intelligant. Prior acceptio (verba sunt laudati Brugmanni) metonymica est, denominatione a potiore, scilicet forma & anima mundi facta: posterior vero inde nascitur, quia Deum formam mundi informantem, ut Scholastici perhibent, autumant: utraque adhibetur ut Deo magnitudo sua reddatur, nihil enim majus excogitari potest, quam si opus suum & extra & intra teneat, ut Seneca loquitur. Neutra quidem identitatem substantiæ divinæ & humanæ arguit, neque enim verba, sed verborum sensus æstimari debet. Probatur insuper diversitas mundi juxta mentem Stoicorum ex eo, quod illi credebant mundum nonnisi modificationibus a materia differre: Quod si hoc est, Deus æque a mundo ac a materia distinctus est. Prius asserit Plutarchus de placit. philosoph. cap. 9. dicens ex

mente Stoicorum: Ὑλη ἐστι τὸ ὑποκειμενον πρωτον γενεσει καὶ φθορᾳ καὶ ταις ἀλλαις μεταβολαις. Hinc teste Laertio Stoicis mundus habetur qualitas rerum omnium. Ἐστι inquit κοσμος ὁ ἰδιως ποσὸς της των ὁλων ὑσιας. Est igitur mundus in se spectatus res ex ingenti particularum materiæ massa constans, cui demum accedente causa efficiente suus constat ornatus. Præterea & ex eo hæc mundi & Dei diversitas potest ostendi; nimirum Deus secundum Stoicos ab æterno non fuit conjunctus cum mundo, sed inertem materiam digessit, & post conflagrationem mundi, uti ante docuimus, Deus subsistit solus. Denique ipse Antoninus Philosophus mundum ut magnam civitatem, Deum ut ei inhabitantem considerat: vide passim Antoninum Philosophum. Inspiciatur ipsa dissertatio cl. *Brugmanni*, qui ultimis thesibus prolixius hæc deducit.

Quinta propositio. Mundo & Deo intercedit juxta Stoicos nominum communicatio. Ita *Laërtius* in *Zenone*: Λεγουσι τε τον κοσμον τριχως αὐτον τε τον Θεον καὶ αὐτην δε διακοσμησιν των ἀστερων καὶ τριτον το συνεστηκος ἐξ ἀμφοιν. Insuper ait *Thomasius*, ipsas mundi partes ipsos Deos fecisse. Probat testimonio *Ciceronis*, in *Lucullo* dicentis: *Erit persuasum etiam Stoico, solem, lunam, stellas omnes, terram, mare, Deos esse, quod quædam animalis intelligentia per omnia ea permeet & transeat.* At probandum erat, hanc nominum communicationem involvere rerum ipsarum commutationem, & confusionem. Certe hæc imputatio ἀκυρολογια sermonis est adscribenda. Ne solus autem sapere videar, citabo virum, cujus judicium, scio, mecum dissentientes magni facient. Is est doctissimus *Moshemius* in luculentis adnotamentis ad *Cudvvorthum* pag. 507. ita dicens: *Neque illis majorem haberi fidem posse putem, qui terram, aquam, ignem & nescio quas alias naturæ rerum partes a Stoicis in Deorum ordine repositas esse, scriptum reliquerunt. Loquendi quæ Stoicis usitata erat ratio, effecit, ut opinor, unice, ut multi tam prave de hoc genere sentirent. Vim nimirum divinam per naturam uniuscujusque rei pertinere, existimabant: quam propter causam rem unamquamque Deum & vocari posse quodammodo censebant, & vocabant etiam sæpenumero. Res ipsa, inquit Stoicus apud Ciceronem de Nat. D. Lib. II. cap. XXIII. differens, in qua vis major inest aliqua, sic appellatur, ut ea ipsa vis nominetur Deus.* Idem paulo ante: *Illud quod erat a Deo natum, nomine ipsius Dei*

nunc-

nuncupabant. Ex quo factum ut multi, quos harum loquutionum vis fugiebat, existimarent, ipsas naturæ rerum partes pro Diis singularibus & per se constantibus a Stoicis haberi: a qua tamen illi sententia prorsus aversi erant. Nomina unius Dei varia pro varietate munerum & virtutum, quibus præditus esset, circumferri patiebantur: sed ad unam hæc omnia vocabula naturam pertinere, diversa ratione vim suam declarantem, existimabant. Seneca de Benefic. Lib. IV. cap. 7. Quæcunque voles Deo nomina proprie aptabis, vim aliquam effectumque cœlestium rerum continentia. Tot appellationes ejus possunt esse, quot munera. Et Athenagor. Apolog. pro Christian. pag. 28. Stoici etsi nominibus pro diversitate materiæ per quam Spiritum Dei penetrare ajunt, aliis atque aliis utentes, multiplicare Deum videntur, re ipsa tamen unicum esse Deum statuunt. Hactenus præstantissimus *Moshemius.* Cujus responsio simul satisfacit sextæ propositioni *a Thomasio* contra Stoicos allatæ, quæ ita sonat:

Deo & mundo proprietatum quoque, juxta Stoicos intercedit, communicatio. Probat hoc aliquot locis: unum *Ciceronem* in *Lucullo* ita dicentem audiamus: *Approbabit Stoicus, hunc mundum esse sapientem, habere mentem, quæ & se & ipsam fabricata sit, & omnia moderetur, moveat, regat.* Certe & hæc accusatio nonnisi nititur quibusdam minus accuratis Stoicorum argumentationibus, quibus probare voluere, mundum hunc a causa sapiente omniaque permeante & ciente factum. Legatur liber secundus *Ciceronis* de Nat. Deorum, ubi Stoicorum argumentationes & *Cottæ* academici argutas cavillationes deprehendes: manifestum erit, injuriam Stoicis fuisse illatam, atque adversarios ad verba potius, quam ad scopum ratiocinationum attendisse. Dudum hoc præter alios observavit *Cudworthus*, Tom. I. pag. 504. seq. Non autem negamus, & potuisse & debuisse Stoicos de hoc argumento clarius loqui, neque diffitemur eosdem, dum providentiam & immensam Dei vim extendere bono, ut credo, animo, voluerunt, minus provide ac circumspecte sæpius locutos. Sed hæc contra *Thomasium* sufficiant, redeamus ad *Buddeum.* Is ita pergit contra me disserendo.

Quantumvis itaque splendida etiam sint illorum de providentia divina dicta: errorem tamen, qui illis tegitur, non potest non statim depre-

deprehendere, qui tum ad notionem Dei, quæ animis illorum insedit, tum ad reliqua principia eorum propria & domestica respexerit. Atque ita plurima eorum se habent effata, ut incautis hypothesiumque eorum ignaris fucum facere queant; simul tamen secundum verum & genuinum eorum sensum cum doctrina de fato optime cohærent, ut nihil inde, quod huic repugnet, colligi queat. Quædam tamen rursus occurrunt, quæ cum sententia de fato conciliari nequeunt; quorsum cumprimis magnifica illorum de libertate pronuntiata pertinent.

Resp. II.) Qualibus proprietatibus Deum instructum esse dixerint Stoici, supra in dissertatione priore satis dixi (2.) Beatus vir non explicat, quid ergo tandem eos putaverit de fato statuisse. Concedit ea, quæ de libertate ab ipsis constanter dicuntur, ita esse comparata, ut cum propositionibus quibusdam, quas de fato in medium protulerunt, conciliari non possint. At hoc ipsum ego in dissertatione volui probare ex testimoniis quæ supersunt; systema apte inter se connexum concinnari haud posse, neque adeo in re dubia attendendum esse ad ea sola, quæ de fato dicuntur, sed & ad ea, quæ contra dixerunt, idque clarissimis verbis. Mirum est cl. virum nec verbo meminisse eorum, quæ contra *Thomasium* de Fato Stoicorum agentem disserui, ad ea enim, si in responsis suis attendere voluisset, gravioribus opus fuisset argumentis. (3.) Verum est, Stoicos doctrinam de fato & libertate conciliare non potuisse, at num ideo tantopere sunt exagitandi? O quam iniquam in nos ponimus legem, qui dum alios exagitamus, in hoc argumento obliviscimur difficillimarum objectionum, quas omnis generis adversarii contra receptam sententiam Christianorum in medium proferre possunt. Quis tandem Theologus aut Philosophus est, qui doctrinam de providentia & libertate ita explanavit, ut nullus supersit scrupulus aut nodus vindice dignus?

Illud scio (ita pergit beatus vir) *tam aperta, tam evidentia illorum de ineluctabili quodam fato esse asserta, ut solem ipsum luce sua privare velle videatur, qui ista de providentia divina explicare velit: ex iis quæ magno numero proferri possent, unicum tantum M. Aurelii Imperatoris recitabo, quod ita comparatum est, ut nullam prorsus exceptionem admittat.* Lib. VII. sect. 9. pag. 134. *Hic fati immutabilem*

tabilem & indeclinabilem neceſſitatem ſacri nodi nomine referendo forte nodum Herculis aut Jovis catenam Homero memoratam deſignat, quo omnia ita inter ſe implexa, ut alterum ſine altero eſſe nequeat, ſeu ut poſito altero, non poſſit non alterum conſequi. Idque tam firmiter Antonino perſuaſum fuit, ut ſæpiſſime repetat & nunquam non inculcet. Vide Lib. VI. ſect. 38. pag. 122.

Reſp. Antequam loca ipſa, ad quæ provocat beatus vir, adducamus, hoc unum monebimus; eſſe nimirum loca in Stoicorum ſcriptis, quæ indeclinabilem ejuſmodi neceſſitatem inferant; ſed & dari his ipſis contraria, quod ex diſſertatione noſtra priore de Fato liquet, & aliis teſtimoniis mox adducendis amplius conſtabit: quæ omnia docent, Stoicos ipſos ſibimet in hoc argumento non conſtitiſſe, neque adeo certum aliquod & fixum, certis propoſitionibus innixum ſyſtema de Fato ex eorum ſcriptis confici poſſe. Fatetur ipſe *Buddeus* doctrinam Stoicorum de Providentia & Fato *diſcordare* quammaxime. Adferamus jam loca ad quæ beatus vir provocat: Prior ita ſonat: Παντα ἀλληλοις ἐπιπεπλεκθαι καὶ ἡ συνδεσις ἱερα καὶ σχεδον τι ὁδιν ἀλλοτριον ἀλλο ἀλλω. Συγκαθειλεγμενα γαρ καὶ συγκοσμει τον αὐτον κοσμον. Κοσμος τε γαρ εἱς δια ἁπαντων. Θεος εἱς δια παντων, καὶ ὑσια μια καὶ νομος εἱς, λογος κοινος παντων των νοερων ζωων, καὶ ἀληθεια μια. Ἐιγε καὶ τελειοτης μια των ὁμογενων καὶ τα αὐτα λογω μετεχοντων ζωων; i. e. *Omnia ſunt ſibi invicem implexa & vinculo quodam ſacro ſibi invicem ſic devincta, ut nihil alterum ab altero ſit alienum. Coordinantur enim ſimul, eundemque mundum cohoneſtant. Etenim & mundus unus, & Deus unus eſt in omnibus, & materia una, & lex una: ratio nempe animantium intelligentium omnium communis & veritas una. Siquidem & perfectio una animantium ſibi invicem congenerum ejuſdemque rationis participum.* Alter locus ita ſonat: Πολλακις ἐνθυμω την ἐπισυνδεσιν παντων των ἐν τω κοσμω, καὶ σχεσιν προς ἀλληλα. Τροπον γαρ τινα παντα ἀλληλοις ἐπιπεπλεκται καὶ παντα κατα ταυτο φιλα ἀλληλοις ἐστι, καὶ γαρ ἀλλο ἐξης ἐστι τουτο, δια την τοπικην κινησιν (alii legunt & forte rectius κινησιν) καὶ συμπνοιαν καὶ την ἑνωσιν της ὑσιας; i. e. *Perpende tecum jugiter rerum omnium, quæ in mundo ſunt, connexionem mutuam, quamque ad ſe invicem affectionem habeant: ſunt enim omnia quodammodo ſibi invicem implexa, atque ea ratione*

sibi invicem amica. Alterum enim alterius consequens est, & per connexionem localem & per conspirationem mutuam, & per materiæ continuitatem.

Priorem locum quammaxime ursit vir doctissimus & conjunctissimus Jacobus *Brukerus*, singulari epistola data ad el. *Schelhornium* communem amicum, quæ inserta est *Amœnitat. Literar.* Tom. VII. Quid mihi, occasione disputationis hujus, de citatis beato viro, amicoque eruditionis laude florenti, in mentem inciderit dicam: Et *primo* quidem, quod ad locum priorem spectat, non adeo mihi videtur clarus atque perspicuus, ut ex eo solo fatalem illam omnium rerum necessitatem rite probari posse putem. Sano sensu possunt omnia dici sacro vinculo connexa; id est, voluntate divina cuncta inter se ordinata. Nemo certe dixerit, ferro & adamantino propterea vinculo omnia esse connexa, si ponatur inter omnes res hujus mundi talem esse ordinem, ut uno posito alterum sequatur. Probandum, hanc rerum omnium conjunctionem in ipsa materiæ natura esse radicatam, neque ullam operam causæ primæ ejusque sapientissimi moderaminis interessisse: postremum falsum esse, clarissimis testimoniis probavi in dissertatione mea & deinceps amplius demonstrabo. (2.) Conjunctionis illius ratio in eo ponitur, quod sit unus mundus; unus Deus; una materia; una lex. Num hæc tandem significant, Deum cum materia vel mundo ita esse conjunctum, ut Deus prorsus nihil sine materia facere possit? Ego certe sensum illum deprehendere non possum. Post tot loca veterum, quibus probant, Stoicos Deo potestatem mundum ordinandi concessisse, nil aliud ex citato loco concluserim, quam hoc, sive nimirum ad materiam respiciamus, sive ad mundum, sive ad Deum in mundo jugiter operantem, sive denique ad normam, juxta quam creaturæ ipsæ sensu præditæ agant; neque casum, neque cæcam fortunam locum habere, sed omnia rite inter se esse connexa, copulataque. Certe nisi aliunde jam Stoicorum sententia sit perspecta, vix ac ne vix ex hoc uno loco fatalem rerum necessitatem probaveris. (3.) In posteriori loco nullus sermo est de conjunctione mundi & Dei, sed partium mundi inter se.

At

At regerit cl. *Buddeus* posterioris loci mentionem faciens: *Dum* παντων ἐν τω κοσμω, *omnium quæ in mundo sunt* ἐπισυνδεσιν, *connexionem mutuam, adserit, non potest non eodem vinculo, seu sacro nodo Deum ipsum constringere, quippe qui pars mundi est, ut ipsimet Stoici docent. Hinc & in priori loco non tantum rerum omnium implexam & concatenatam conjunctionem, seu sacrum aliquem nodum adserit, sed inde quoque hoc probat, quod mundus unus in omnibus,* και ὑσια μια essentia una sit. *Quæ qui paulo accuratius consideraverit, facile perspiciet, Stoicos per providentiam nihil aliud, quam necessariam omnium consecutionem a Deo isto cum rebus omnibus, ceu anima quadam mundi arctissimo vinculo conjuncto & omnia permeante, & nihil aliud, quam quod secundum naturæ ordinem necessario agere debet, efficiente, ortam intelligere, aut intelligere posse. Nemini quoque obscurum esse potest, quid Antoninus sibi velit quando dicit;* και νομος εις, λογος κοινος παντων των νοερων ζωων. *Omnia scilicet ad Deum illum omnia permeantem & ex necessitate naturæ efficientem redeunt, a quo quicquid secundum istam naturæ necessitatem peragitur, id omne, legis, providentiæ & rationis nomine venit.*

Respondeo (1.) Verum est mundum in sermone Stoicorum aliquando Deum & Universum denotare; at non semper: heic loci nulla Dei fit mentio. At pone mundi nomine Deum & mundum comprehendi, dicique omnium esse ἐπισυνδεσιν, num igitur probatum est, ergo Deus cum materia necessario est conjunctus; ergo in materiæ & naturæ Dei necessitate hæc mundi adspectabilis forma quærenda? Quid sibi tandem volunt omnia argumenta Stoicorum, quæ ex ordine Universi petuntur, ad demonstrandum Entis sapientissimi existentiam, si putarunt cuncta, quæ sunt, non posse non ita existere? Quid de uno mundo, lege una &c. sentiendum jam dixi. Cur ad hæc omnia, quæ in dissertatione allata sunt, altissime silet vir præstantissimus? (2.) Quæ de definitione providentiæ heic a beato viro ex mente Stoicorum dicuntur, precaria sunt atque hypothesi auctoris nituntur. Non probandum omnia in mundo inter se esse connexa, quod nemo sanus in dubium revocaverit; sed omnium quæcunque existunt, & rationem modumque existendi, repetendum esse ex ipsius materiæ indole naturaque, Deumque in ordine hoc mundi constituendo partes nullas

habuisse, nullos fines intendisse. Hoc autem ex scriptis Stoicorum probari posse quammaxime dubito. Ut autem hoc pateat, non provocabo ad loca illa in dissertatione mea allata, quibus ex mente Stoicorum Deus in exornando mundo fines intendisse dicitur; sed ad alia ex ipso *Antonino* petita, ex quibus apertissimum erit connexionem illam rerum omnium divino consilio esse factam. Ita lib. V. sect. 30. ait Imperator: Ὁ τῆ ὅλη φύσις κοινωνικός. Πεποίηκε γὰρ τὰ χείρω τῶν κρειττόνων ἕνεκεν. Καὶ τὰ κρείττω ἀλλήλοις συνήρμοσεν. Ὁρᾶς πῶς ὑπέταξε, συνέλαξε, καὶ τὸ κατ' ἀξίαν ἀπένειμεν ἑκάστοις, καὶ τὰ κρατιστεύοντα εἰς ὁμόνοιαν ἀλλήλων συνήγαγε; i. e. *Universi* NB. *mens communionis mutuæ amans est. Itaque deteriora quævis præstantiorum causa fecit: præstantiora sibi invicem conciliavit. Vides ut res singulas ordine justo subdiderit, congesserit, pro dignitate sua suum cuique attribuerit, præstantissimas mutuo sibi invicem consensu devinxerit.*

Lib. VIII. sect. 20. natura rei cujusque rationem habet; tam ad finem quam ortum & durationem &c. Eodem libro sect. 35. omnes facultatates homo a φύσει τῶν λογικῶν accepisse dicitur. Lib. IX. sect. 1. dicuntur homines omnes ab Universi natura facti, ut sibi invicem prosint. Lege universum atticulum: ubi cumprimis attende, cuncta dici facta *juxta antiquissimum providentiæ motum.* Lib. X. sect. 5. *Quicquid tibi contingit, ab æterno destinatum est tibi: causarumque series sibi invicem implexarum tui ipsius substistentiam cum casu illo ab æterno conglomeravit.* Similem in modum *Arrianus* lib. I. cap. 12. *Illud est erudiri, si discas ita velle fieri omnia, ut fiunt. Quomodo autem fiunt? Ut æstas esset & hyems, ut fertilitas & sterilitas, ut virtus & vitium, & omnes id genus repugnantiæ, ut inter se universa consentirent. Unicuique nostrum etiam corpus & partes corporis, & rem familiarem & socios dedit. Hujus igitur dispositionis memores ad institutionem sic accedere debemus, non ut rerum naturam mutemus, (id quod nobis neque conceditur neque expedit): sed ut eo rerum nostrarum statu qui est, quique ab ipsa natura institutus est, contenti, nostrum animum iis quæ sunt accommodatum habeamus. - - - An indigneberis, & ea moleste feres quæ sunt a Jove constituta? Quæ ille Parcis præsentibus & ortum tuum decernentibus definiit ac descripsit?* Lege caput VI. lib. I. in quo præclare admodum de sapientissimi

Creatoris

Creatoris sapientissimo mundi regimine loquitur. Taceo innumera loca quæ afferri possent in hunc finem. Hæc certe ita comparata sunt, ut aliud per rectæ interpretationis leges significare non possint, quam *consilio* & *ratione* mundi partes inter se cohærere. Quod si in contrarium loca adferas, ex quibus videtur colligi, Deum non potuisse non mundum ita formare, aut Dei cum mundo arctius esse vinculum, quam ut Deum libere agentem pronuntiare possimus; nihil aliud concludi potest, quam hoc; Stoicos nimirum neque clare & satis circumspecte locutos, neque systematis alicujus partes omnes inter se rite coagmentasse. Atque ita mea opinione respectu Fati Stoicorum hactenus judicium est suspendendum. Facile interim patior alios hac in parte a me dissentire. Neque mirum est, in diversa abiisse modernos eruditos circa hoc argumentum, cum ipsi Stoici sibi per omnia non constiterint. Coronidis loco adjiciam testimonium viri oculatissimi, mecum existimantis, durius quam par est Stoicorum decreta a quibusdam repræsentata fuisse: Is est doctissimus *Ditton*, qui egregio libello de veritate resurrectionis Christi ita pronuntiat, pag. 382. *Ce n'est pas que quelques anciens Philosophes n'ayent reconnu comme nous cette providence bonne & sage qui preside à tout ce qui se fait sur la terre. Salluste l'a fait en particulier d'une maniere très forte & très systématique. Mais qui nous peut surprendre c'est qu'un Stoicien l'ait fait aussi, & que M. Antonin ne se soit pas exprimé d'une facon moins precise. Il est vrai que ce Prince eut extrememement du merite; mais enfin ce qu'il dit de la providence ne s'accorde pas trop avec les sentiments de sa secte, si tant est, que ces sentiments ayent été ce que l'on en croit d'ordinaire. Il se pourroit bien, qu'on nous les ait infidelement exposez, & je ne saurois dissimuler qu'à mon avis on doit les avoir mal compris sur bien de choses, & particulierement sur la part que Dieu prend aux affaires humaines. On n'a qu'à comparer ce qu'en ont dit Epictete, Seneque, & M. Antonin, & l'on verra qu'ils cruvent une providence divine.*

TANTUM.

EPISTOLA
AD
NICOLAUM NONNEN,

Theologum nunc Bremenſem clariſſimum;

QUA

EVEMERUS MESSENIUS ET DIAGORAS MELIUS
ab Atheiſmo contra PLUTARCHUM aliosque defenduntur. (*)

ARGUMENTUM.

§. *I. Occaſio & ſcopus ſcriptionis.* §. *II. Hiſtoriæ Evemeri compendium.* §. *III. Summa accuſationum, & quidem primo quæ eum malæ fidei arguunt.* §. *IV. Defenditur ejus fides in hiſtoria navigationis ad inſulam Panchajam,* (1.) *adverſus Plutarchum, cujus de atheiſmo judicia levitatis arguuntur.* §. *V.* (2.) *Adverſus Callimachum; Jupiter ex Gentilium ſententia homo Cretenſis fuit.* §. *VI.* (3.) *Adverſus Caſaubonum.* §. *VII. Incuſationes atheiſmi referuntur.* §. *VIII. Exculpatur contra Ciceronem, cujus in doctrina de Diis hypocriſis demonſtratur.* §. *IX. Contra Sextum Empyricum.* §. *X. Digreſſio fit ad Diagoram Melium, quicum conferri ſolet, ab eodem crimine liberandum adverſus actiones antiquorum.* §. *XI. Et recentiorum, Stillingfleti.* §. *XII. Fabricii.* §. *XIII. Bælii.* §. *XIV. Cauſa Evemeri contra Theophilum Antiochenum denuo agitur.* §. *XV. Quod ſi vero Atheus fuerit, culpa ſuperſtitionis gentilis ſeductus, exemplo Romanenſis fidei adſtruitur.* §. *XVI. Concluſio.*

SECT.

(*) Confer de Evemero Joung Hiſtorie der Abgœtterie, pag. 60. ſeq. & cl. Chaufepié Dictionarium Tom. II.

SECT. I.

CUm ante aliquot annos, amicorum optime, pro more & instituto gymnasii nostri lectiones caniculares in me suscepissem habendas; hæsitabam quid illustri auditorio & palato auditorum dignum mihi explicandum sumerem, miscendum putavi utile dulci, & publice dixi de antiquis Orientis & Græciæ Philosophis falso Atheismi suspectis, partim quod ita elegantiorum literarum culturam felici connubio cum philosophia jungere, & auditores veteris philosophiæ præceptis & vitæ morumque enumeratione me demulcere posse putabam; partim quod ansam, quam diu quæsivi, arripuerim, diligentius de causis incredulitatis latius semper grassantis differendi. Tandem officium omnium esse putavi cl. antiquitatis viros de cultura rationis optime meritos, sed in quibusdam errantes, defendere contra eos, qui nescio quo genio nostro tempore, quicquid est veterum Philosophorum in Atheorum catalogum referre voluere; inter quos caput extulit cl. *Baylius*, quem multi alii, ut mos est, sed non passibus æquis sequuti sunt. Non tamen omnes, sed plerosque Philosophos veteres atheismi crimine gravatos, si non penitus argumentis ex ipsis quæ sequebantur philosophiæ principiis liberavi, hoc tamen mihi præstitisse videor, ut argumenta adversariorum aut plane nihil, aut plus quam necesse est, probare ostenderim. Præterea non solis Philosophis hoc officium præstiti, sed celebres quosdam Poëtas & annalium scriptores simul defendi. Inter postremi ordinis erat *Evemerus*, qui de rebus gestis Jovis aliorumque scripsisse dicitur, hinc ab antiquis inter Atheos relatus. Egi autem de eo breviter, quod pauca de illo tum temporis mihi constarent, jama autem cum continua veterum & recentiorum lectione multa ali de eo mihi innotuerint, speciminis loco hæc in chartam conjicere, Tibique dijudicanda relinquere statui.

II.

Non equidem agitur hic de re, cujus literati orbis scire tan topere interfit, & si vel maxime interesset, aliunde quam a me hæc petenda essent. Sed hæc utcunque sint in rem præsentem ibo,

ibo, & ut ordinem in hac epistola quendam servem, (1.) agam de *Evemero* ipso ejusque scriptis; (2.) audiam accusationis capita; (3.) ipsius partes defendendas in me suscipiam; aliquando tamen paululum itinere decedere juvabit, quod Tibi haud ingratum fore confido. 1.) *Evemeri* multi inter veteres meminere, *Plutarchus*, *Strabo*, *Ælianus*, *Sextus Empyricus*, *Varro*, *Cicero*: inter Patres *Eusebius*, *Minutius Felix*, *Lactantius*, *Augustinus* aliique, quorum pleraque testimonia ad *Ennii fragmenta* adduxit H. *Columna*. (*) Nos hæc & alia loca, prout ordinis ratio postulabit, ad illustrationem adducemus, & in compendio *primo*, quæ summatim veteres de nostro referunt, enarrabimus, *postea* singularia quædam veterum loca illustraturi. Quæ patria fuerit non satis perspectum est; quidam enim *Messenium*, alii *Agrigentinum*, *Thegeaten* denique alii faciunt: constantior tamen fama est *Messenium* eum fuisse, quod pace eorum, qui vel incertissima se scire putant, supponam. Floruit circiter 310. annis ante Christum, temporibus Cassandri F. Regis Macedoniæ, cui gratum acceptumque fuisse accepimus, & ejus nutu longas peregrinationes suscepisse, inque oceanum meridianum profectum, præcipue Insulam *Panchajam* perlustrasse, ibique multa admiranda observasse; inprimis in templo Jovis Triphylii columnam se vidisse ait, in qua Jovis res gestæ summatim fuerint dispositæ. Ex his quæ autores citati prolixius enarrant, Deos olim homines fuisse concluſit, & scripsit eum in finem librum cui titulus: Ἱερὰ Ἀναγραφὴ, aut ut suis illuderet, aut quod ex titulis inscriptionibusque, quas in sacris locis observavit, desumta essent. In hoc libro ut diximus probare voluit, Deos olim homines fuisse, ob res præclare gestas a rudi antiquitate in Deorum catalogum relatos, quorum ideo natales, conjugia, res gestas fuse retulisse dicitur; præcipue Jovem olim profugum, Cretæ enutritum variis artibus sibi famam conciliasse, tandem inibi mortuum, ejusque sepulcrum ibi in oppido Gnosso videri, cui antiquis literis græcis inscriptum fuerit: Ζευς τε Κρονυ, vel ut alii volunt ἐνθα κειται μεγας Ζαν, ὁν Δια κικλισκουσι. Hæc est summa eorum, quæ autores citati de eo referunt, in quibus quid desiderent quidam jam dispiciemus.

III. Summa

(*) Pag. m. 512. in edit Hesselii recentissima pag. 483. sed plura indicant comment. ad Minuc. Felicem, edit. Oisel. pag. 160.

III.

Summa accusationis ad duo capita referri potest: sunt qui fidem & candorem ejus in relatione eorum, quæ a se visa esse perhibet, in dubium vocant: sunt qui eum atheismi accusant, aut simpliciter ideo quod Deos homines olim fuisse asseruerit, aut quod omnem Numinis metum corde eraserit. Audiamus primi ordinis accusatores. *Plutarchus de Isid. & Osir. Tom. 2. p. 360.* ita juxta versionem de eo loquitur. *Is* (Evemerus nempe) *commentario scripto incredibilium & vanarum fabularum omne impietatis genus sparsit per totum terrarum orbem, eos qui Dii existimantur universos æqualiter expungens, & ad nomina priscorum Imperatorum, Navarcharum & Regum detorquens, descripta aureis literis in Panchæa, in quas quidem literas nemo Barbarus neque Græcus, sed solus, si Diis placet, Evemerus inciderit, navi advectus ad nullibi terrarum degentes aut natos Panchæos ac Tryphylios.* Ipse vero *Plutarchus* putat dæmones intermediam quandam inter Deum hominesque naturam sortitos apparuisse in terris, postea in numerum Deorum relatos. *Plutarchum* sequitur *Callimachus, primo hymno in Jovem v. 8.*

Ζευ, σε μεν Ἰδαιοισιν ἐν ὀυρεσι φασι γενεσθαι
Ζευ, σε δ' ἐν Ἀρκαδιη, ποτεροι πατερ ἐψευσαντο;
Κρητες ἀει ψευσται; καὶ γαρ ταφον ὡ Ἀνα σειο
Κρητες ἐτεκτηναντο, συ δ' ὀυ θανες ἐσσι γαρ ἀει.

Scholiastes ejus, ut aliquem colorem addat, ita ait: Ἐν κρητη ἐπι το ταφω τε Μινωος ἐπεγεγραπτο. Μινωος τε Διος ταφος. Τω χρονω δε το, τε Μινωος ἀπηλειφθη, ὡςε περιλειφθηναι Διος ταφος. Ἐκ τετε ὀν ἐχειν λεγεσι κρητες τον ταφον τε Διος, ἠ ὀτι κορυβαντες δια τον Κρονον, προσεποιησαντο ταφον ἀυτω. In alio fragmento quod adduxit & emendavit cl. *Bentlejus*, p. 340 ita *Callimachus* nostrum perstringit:

Ἐις το προ τειχευς Ἱερον ἀλεες δευτε
Ὀυ τον παλαι παιγχειον ὁ πλασας Ζαννα,
Γερον ἀλαζων ἀδικα βιβλια ψηχει.

Ubi in transitu notandum apud *Plutarchum* & S. *Empyricum loco citando* mediam versus partem ita legi:

Ου τον παλαι χαλκεον ὁ πλαται Ζανα;

& pro ψηχει in vulgatis esse ψυχει, ubi το χαλκεον mea opinione recte cl. *Bentlejus* corrigit, cum *Evemerus* non æneum sed *carneum* Jovem finxerit, quem cum cætera Deorum turba homines fuisse meros tradidit: το παγχαιον autem menti scriptoris optime convenit, aliter hic sentiente cl. *Fabricio* in notis ad S. *Empyricum*. Inter recentiores, ut *Strabonem*, *Lucanum* aliosque taceamus, malam *Evemeri* fidem incusat eruditissimus *Casaubonus*, in notis ad *Strab. lib. I. p.* 31. ubi ita loquitur magnus vir: *Quam sit autem inanis & vanus scriptor Evemerus ex his Lactantii licet intelligere, antiquus autor Evemerus &c.* tum citatis *Lactantii* verbis ita pergit: *Non certum* εικος αληθευειν, *quam illos vera dixisse constat, quos Sanctorum ut vocant Antonii, Francisci, Bernhardi aliorumque sexcentorum, atque adeo proh scelus! ipsius Domini nostri Jesu Christi vitam pro arbitrio confingere non puduit. At hodie sanæ mentis homines non pudet Bergæis istis & Evemeris fidem adhibere.* Hæc sunt prioris accusationis capita.

IV.

Ut ad hæc respondeamus, observamus (1.) Plerosque etiam hominum nequissimorum id semper omni nisu agere, ut boni viri & de religione optime sentientes videantur. *Plutarchus* certe in libro de *Iside & Osiride* totus in eo est, ut duo æterna rerum principia statuat, qui error quam pestilens sit, vix dici potest. Idem libro I. cap. 7. de *placitis Philosophorum*, de providentia non minus male loquitur quam ipsi Epicuræi, & tamen ut videatur strenuus religionis patriæ defensor, quod solenne erat eruditissimis Romanorum, invehitur in *Evemerum*, quasi Deos olim homines fuisse asserens, universum orbem impietate implesset. Itane orthodoxus fuisti *Plutarche*, ut ingentem illam Deorum Dearumque turbam, eorum rixas, stupra &c. credideris? Quod si hi homines non fuere, num planetæ, num æterna illa duo principia, num dæmones

dæmones & semi-dii, num tandem ideæ abstractæ hæc cuncta commisere? Si totam Poetarum tuorum theologiam risisti, palam defrica hos errores, sed jam in idem quod *Evemero* nostro objicis, atheismi crimen incideres. (2.) *Plutarchus* supponit, olim naturas quasdam humana potentiores, & generi humano amicas extitisse, quæ certe ex monumentis Hebræorum demonstrari possunt, unde forte fama per Phænicios ad alias gentes perlata fuit, & in eo sæpe halucinari potuit *Evemerus*, quod eos homines regesque fuisse crediderit, quos Hebræi angelos vocavere: sed demonstrare hoc debuisset, & ex monumentis suorum historicorum non temere supponere. In tantum igitur non erravit *Evemerus*, quod eos, quos antiqui ut Deos descripserunt, sed a quibus nil humani alienum erat, pro hominibus habuerit. (3.) Nullibi *Panchajam* illam extitisse perhibet *Plutarchus*, quod falsissimum; quanquam ubi sita fuerit dissentientes veterum opiniones sint. Cl. *Rainoldus*, Theologus Anglus, cum *Strabone* putavit confictam esse hanc *Panchajam*, de *idol. eccl. rom. p.* 372. Sed in libro perquam erudito de *Apocryphis*, meliora edoctus, aliquot veterum loca adduxit, qui *Panchajæ* meminere: quanquam simul cum iis erret, putantibus in Arabia Panchajam quærendam. Cl. *Cellarius*, cui sententiæ accedat nescit: *Harduinus* Panchæos in inferiore Ægypto ponit, quod *Plinius libro X. cap.* 11. dicat, Phænicis nidum deferri prope Panchajam in solis urbem, quam Ægypti ait Heliopolim esse. Assentior hac in parte Is. *Vossio*; cujus opinionem antequam proponam, verba *Pomp. Melæ* afferenda sunt; is libro 3. p. 90. ita ait: *Extra sinum verum tamen in flexu admodum modico rubri maris pars bestiis infesta, ideoque deserta est; partem Panchæi habitant, quos ex facto, quia serpentibus vescuntur, ophiophagos vocant.* Ad quem locum *Vossius* monet *Strabonem* errasse, putantem confictam esse hanc *Panchajam*; non in Arabia esse quærendam, sed cum *Mela* in Troglodyticæ & Arabiæ parte quam supra descripsit: & ut hoc confirmet, testimonium Ptolomæi Evergetæ excerptum ex monumento adulitico in Bibliotheca Florentina deliteſcente affert, quod apud autorem legi potest, pag. 387. & 390. Doctissimus *Abel* in utilissimo libello de *Monarch. antiq. pag.* 512. itidem figmentum *Evemeri* esse putat, ortum ex metu, ne forte Deos homines aliquando asserendo, gravi pœnæ subjiceretur, hinc insulam quandam valde remotam

effinxisse, ex cujus adytis arcana hæc se hausisse dicere posset. Sed revera hoc figmentum parum juvasset nostrum, nec post exserta veterum testimonia conjecturis locus est. Quod si vel maxime dubium esset, ubi locorum Panchaja sita fuerit, non sequeretur plane eam confictam esse: discrepantes olim erant veterum de *Taprobane* sententiæ, de qua re vide eruditiss. *Dodwell.* ad *Geogr. vet. scrip. min. tom. I. pag.* 92. nec tamen utrum ea extiterit alicubi jure dubitari potest. *Triphylium* similiter fictum falso arguit *Plutarchus*; regionem enim Græciæ fuisse inter *Elidem* & *Messeniam* ex *Strabone*, *Livio* & *Pausania* discimus, inde Jupiter Triphylius cognominatus: hinc ipse *Plutarchus* reprehendendus, qui *Apollodorum*, *Evemerum* nostrum apud *Strabonem* accusantem, temere sequitur; sed satis ex lectione *Plutarchi* constat, eum ridicula & incredibilia multa adtulisse, quod non diffitetur ipse encomiastes ejus *Dacierius* in vita *Plutarchi*; hinc tantopere expetit, ut fabulas veterum verosimiliores lectori proponeret. Ita in vita *Thesei* juxta versionem *Dacierii* loquitur: *Je souhaite seulement, que ce qu'il y a de fabuleux, se laissant manier & purger par nos écrits, prenne l'air de l'histoire, mais si l'on trouve quelques endroits qui refusent opiniatrement de devenir croyables, & qui ne puissent souffrir le moindre melange de vraisemblance, je prie les lectures de les excuser, & de recevoir favorablement, ce qu'on peut leur donner d'une antiquité reculée.* Credo equidem *Plutarchum* inter eos fuisse, qui cum *Cicerone* crediderint, eos qui dant philosophiæ operam, non arbitrari Deos esse. Atheum eum fuisse non credo, sed quomodo asserere potuerit superstitione atheismum tolerabiliorem esse, simul tamen eos, quos Atheos fuisse minime probare potuit, superstitioni autem inimicissimos, omne malorum genus mundo intulisse, consociare nequeo: rectius sane *Herodotus lib. II. cap.* 3. ait, cujus verba brevitatis causa latine tantum afferam. *Unde singuli Deorum extiterint, anne cuncti semper fuissent, aut qua specie, hactenus ignoratum fuerat, nisi nuper atque heri, ut sic dicam: nam Hesiodus & Homerus, quos quadringentis non amplius annis ante me opinor fuisse, finxerunt Græci Theogoniam, Diis cognominibus datis, divisisque honoribus & artibus inter illos, & descriptis eorum formis.* Commentarii loco in hæc Herodoti verba adducam cl. *Clerici* verba ad *Hesiod.* pag. 37. Ita ille: „ Forte ficta dixerit quispiam a Poëtis, quæ

„ de

„ de vitiis & sceleribus Deorum canunt: at hoc plane falsum esse „ intelligemus, si reputemus quæ sit religionis indoles: non pati„ tur illa facile res antea inauditas easque turpes de Numine fingi, „ & vulgo narrari, cum antea omnia alia de eo homines sen„ tiunt, nedum ut summo adplausu talia, cum primum finguntur, „ excipiat, & turpissimorum mendaciorum inventores maxima „ cum admiratione audiat. Quod certe factum esset, si Homerus „ & Hesiodus primi finxissent, quæ de Diis narrant. Sed carmi„ nibus illi descripserunt a Majoribus accepta, quanquam nolo ne„ gare, ab iis forte adaucta novis figmentis fuisse, at consentaneis „ cum antiquissima fama. Alioquin nunquam tanto favore fuissent „ excepti, si de Diis sanior vulgo obtinuisset sententia, aut melior „ eorum fama ad posteros perveniset. Sed cum homines nequam pro„ pter potentiam, quam vi obtinuerant, ab æqualibus, virtutis omnis „ ignaris, in Deorum numerum mortui relati essent, eam sequenti „ ætate religionem una cum historia turpissimorum facinorum, quæ „ admirabantur, transdiderunt; unde veluti per manus ad Homerum „ & Hesiodum tandem pervenit.„ Hactenus cl. vir. Ex eodem etiam *Hesiodo* constat, antiquissimos homines fuisse Deos illos, sed nobilitate & opibus cæteros superasse; vide Θεογον. V. 535. (4.) Quod si vero *Evemerus*, nimio studio ubique monumenta Deorum inveniendi abreptus, aliquando pro Junone nubem, pro Mercurio nescio quem in Saxonia Metallifossorem arripuerit, ferri hoc debet in tanta rerum obscuritate. Vel hodienum fit, ut qui antiquis monumentis & inscriptionibus explicandis insudant, vel levissima similitudine decipiantur. Idem *Plutarcus* in hoc de Iside & Osiride libello adeo præjudicio abreptus est, ut contra testatissima antiquitatis monumenta *Isidem* & *Osiridem* homines fuisse neget, licet vel colorem corporis in iis agnoscere videatur. Num quia judicavit hoc probabilius & speciosius fore, quam quod alibi dixit, & ob Romanorum Quirinum (ut ut faciat pro *Evemeri* dogmate) putavit dici oportere præstantiores animas ex hominibus in heroas, ex heroibus in dæmones, ex dæmonibus autem, cum perpurgatæ fuerint, in Deos mutari? An illud in Osiride observandum ratus, quod doctissimus *Varro* significatum censet de *Iside* & *Serapide*, nimirum omnibus fere in templis, ubi colebantur, idcirco etiam extitisse simulacrum, quod digito labiis impresso admonere videretur, ut

silentium fieret, quo innueretur cavendum esse, ne quis diceret homines eos fuisse, recte & acute ita *Plutarchum* flagellante *Rainoldo*. Idem *Plutarchus Euripidem* atheismi accusat, licet in supplicibus aperte satis Numinis existentiam professus fuerit, quem ideo sed timide satis castigat cl. *Barnesius* ad *Sisyphi fragmentum*, de quo inferius; ex quibus simul junctis concludimus accusationes *Plutarchi* vanas esse.

V.

Sed videamus quid reponendum sit *Callimacho*. (1.) Miror *Callimachum* invehi in Cretenses, qui sepulcrum Jovis in patria sua esse dicebant, qui tamen simul asseruit, eum ibi educatum & fotum, qui ejus nativitatem, cunas, cibum, lac nempe caprinum, fascias, verbo cuncta quæ hominem produnt, prolixe descripsit. Dum igitur addit σὺ δ' οὐ θανες ἐσσι γαρ ἀει, responderi illi potest verbis *Maximi Tyrii*, dissert. 38. Ægyptiis ita insultantis. Και δεικνυται παρ αὐτοις Ιερον Θευ καὶ ταφος Θευ, κεινος γαρ ἐχει τελος ἁπὰ καὶ ἀρχην, teste *Sophocle*. Quæ enim hæc contradictio? Quis color? Equidem illustris & in his rebus incomparabilis *Spanhemius* putat *Callimachum* credidisse, Jovem equidem *fine*, sed non *principio* caruisse, quo ipso tamen ostenderet *Callimachus*, se aut ratione destitutum, aut apertum religionis hostem esse. Juvet eum hic *Plutarchus* in accusando *Evemero* collega, γεννητον ἁπὰς ὁς ἐπος ἐιπειν διανοειται Θεον, de *Stoic. repugn. pag.* 1051. (2.) *Jovem Cretæ* natum, saltem educatum, inibique sepultum magno consensu tradunt veteres, neque juvat hic omnia testimonia apud Callimachi Interpretes & collectorem priorum fragmentorum allata afferre, cum res sit notissima. Testantur id D. *Siculus*, *Cicero*, *Pausanias*, *Lucianus*, *Plinius*, *Mela*, ut de Patribus in universum nil dicam: testantur nummi apud *Spanhemium*, in admirando opere de præstantia numismatum & notis ad *Callimachum*. Apud *Havercampium*, in notis ad Tertull. Apolog. *Patinum* in thesauro aliosque, ad quos harum rerum curiosos amandamus. *Mæro* apud *Athenæum* ita ait *Deipnos: lib. XI. pag.* 491.

Ζευς δ' αρ ἐνι κρητη τρεφετο ὑ δ' αρα τις νυν
Ἠνδει μακαρων. Ὁ δ' ἀεζετο πασι μελεσσι
Τον μεν αρα Τριτωνες ὑπο ζαθεω τρεφον ἀντρω.

Educabatur in Creta magnus Jupiter, nec ulli cognitum id erat beatorum,
Ipse autem omnibus membris creſcebat.
Ipſum porro alebant in antro divino Trirones.

Nec finem invenirem, ſi omnia teſtimonia huc conferre vellem. (3.) Quare Cretenſes κατ' ἐξοχην mendaces dicantur, diſſentiunt Interpretes: nec juvat rem per ſe non magni momenti exactius indagare, ſufficiat inde minime ſequi: Jovem Cretæ non ſepultum fuiſſe, nec enim fingunt omnia Cretes. Forte evenit quod noſtro tempore in eccleſia romana contigit; poſtquam enim plebs ſemel ſanctarum reliquiarum amore correpta fuit, & ſacrificuli e re ſua eſſe perſpexerunt eas multiplicari, innumeris ſimul locis reliquiæ oſtentatæ ſunt, hinc illi qui dudum quæſtum fraudibus fecerunt, a recentioribus inventoribus malæ fidei accuſati ſunt. Idem puto contigiſſe Cretenſibus. Nam poſtquam Cretenſium ſacrificuli hoc *Jovis* monumento & famam & opes ſibi comparaſſent, ab aliis qui ejusmodi dapibus inhiabant, fraudis accuſati ſunt; nec conjecturæ deeſt color, *Pauſanias* enim *lib. VIII. pag. 679. ed. Kuhnii* hæc refert: *Mons ipſe Lycaſus multa quæ viſentes admirantur habet, hoc inter cætera: Area eſt Lycæi Jovis, quo hominibus non eſt acceſſus, ſi quis religione loci contemta introierit, neceſſe eſt eum intra annum vita excedere.* Hinc (4.) Scholiaſtæ interpretationem minus veriſimilem eſſe credo, quod ſi enim ſepulcro Jovis inſcriptum fuit, Ζευς τυ κρονυ, aut ut apud *Cyrillum Alex. lib. X. pag. 342. ed. Spanhem.* ἐνθα κειται μεγας Ζαν, ὀν Δια κικλιϛκουσι; non video qua ratione, caſu, aut antiquitate temporis, hæc mutari potuerint, quod ſubtiliſſimo Critico T. *Fabro* in obſervationibus ad *Lucianum* jam ſuboluit; ſane qui deteſtandas fraudes & artes ſacrificulorum gentilium rite perſpexit, haud facile crediderit caſu hîc aliquid factum fuiſſe. Præterea Minos non in Creta, ſed in Sicilia mortuus eſſe dicitur, teſte *Diod. Siculo, lib. V. p. 78. Pauſan. libro VII. cap.* 4. ubi Diodorus obſervat, eum filium Jovis dici, auctoremque

fuiſſe

fuisse multarum legum, quas a Jove Patre, ad colloquium ipsius in quandam speluncam venire solito, se accepisse fingebat, unde constat longe majorem fuisse Jovis famam; hinc si fraus aliqua Cretensium interceſſit, Jovis potius, quam Minois sepulcrum fabricaturos fuisse credo. Probare igitur debuisset Scholiastes aliquo idoneo teste assertum suum; magnus enim est antiquorum consensus, qui Jovis sepulcrum in Creta fuisse asseruerunt, de Minois autem altum est silentium; neque dubito quin multi contra Cretenses hæc allaturi fuissent: utrum autem jam ante *Pythagoram* fama de hoc sepulcro percrebuerit, in tanto antiquissimorum monumentorum defectu, difficile est asserere. Interim *Antiochus* Sophista apud *Philostrat. lib. II. p. 596. edit. Olear.* optime Cretensium causam egisse dicitur, hinc recte reprehenditur Callimachus ab *Athenagora Apolog. p.* 121. *ed. Dechair.* *Tu scilicet* (ait juxta versionem Athenagoras), *Tu Callimache, genitum cum credas Jovem, non admittis sepulcrum, imo cum veritatem putes Te ita obruturum ignorantibus, etiam ut mortuum esse non dubie suspicentur auctores, quumque vides illius antrum Rheæ partum animo recolis, loculum vero cernens mortem ejus obfuscas, ignorans nimirum solum æternum esse ingenitum Deum.* Interim facile concedo, Philosophos sequentis ævi operam adhibuisse omnem, ut fabulas illas paulatim emollirent. Et hinc summa laude, non vituperio dignus erat noster *Evemerus*, qui noxiam generi humano opinionem de colendis Diis, qui olim homines fuere, penitus convellere voluit. Quicquid interim de sepulcro Jovis statuas, & Scholiasten etiam sequaris, nihilominus firma antiquitatis testimonia, quibus Deos homines olim fuisse demonstrarunt viri eruditi, *Vossius*, *Huetius*, *Bochartus*, *J. Clericus* in notis ad Hesiodum, aliique. Dabunt illi quibus sitim hac in re restinguere possis. In genere hîc adscribam judicium doctissimi *Abel*, *hist. orbis antiqui*, *p.* 498. *Admodum mihi sit verisimile eos Reges ac Principes, qui primis temporibus in Græcia dominati fuere, post ipsorum mortem & forte multis demum post seculis in Deorum numerum relatos, variisque paulatim ita deformatos fuisse fabulis, ut vix agnosci amplius queat eos aliquando homines fuisse: cum Poëtæ una quasi eademque fidelia plures dealbare parietes, imperitæque plebi philosophiam simul naturalem & moralem, una cum historia, & ut ita dicam, theologia instillare conarentur, & inde*

factum

factum puto, ut propria Deorum nomina aliam quoque sæpe formam induerint, quæ rebus physicis melius convenire visa, quamvis & perversa Græcorum consuetudo, omnia priscorum heroum nomina ex sua lingua derivare studentium, multis procul dubio fabulosis circumstantiis occasionem præbuerit. Hæc doctissimus vir; cum quo non pugnant eorum sententiæ, qui cuncta a Phæniciis repetunt.

VI.

Tandem paulo rigidius est *Casauboni* de *Evemero* judicium; quod si enim historiam ejus sacram haberemus integram, & cum antiquissimorum scriptorum monumentis conferre possemus, tum demum quid de fide ejus judicandum sit, exacte nosse possemus. Sed cum hoc non sit, durum est aliquem impudentiæ & mendaciorum arguere, præsertim cum fragmenta historiæ sacræ, quæ apud *Ennium* inveniuntur, cum aliorum scriptorum relationibus conspirent. Nondum igitur probavit cl. vir, ejusdem farinæ hominem fuisse Evemerum cum *Francisci*, *Lojolæ* &c. vitæ consarcinatoribus. Fateor hujusmodi vitarum scriptoribus, propter miraculorum fictorum & plus quam anilium fabularum narrationem, omnem fere fidem decedere, neque detestanda ejusmodi mendacia, quæ cum religionis christianæ detrimento conjuncta sunt, aliud ostendunt, quam scriptores harum vitarum *impostores* fuisse, qui plebem decipere voluere. Imo nullo alio argumento *Fanaticismus* ecclesiæ romanæ magis demonstrari potest, quam inspectione vitarum principum Sanctorum. Exemplo *Lojolæ* id præclare ostendisse reverendissimum G. *Wakium*, Archiepiscopum *Cantuariensem*, didici ex cl. *Clerici* bibliotheca universali. Interim quemadmodum nemo inde concludit, nullum unquam *Lojolam*, nullum *Franciscum* extitisse, quod satis sentit & adhuc sentiet orbis christianus; ita minime sequitur, *Evemerus* in multis deceptus; ergo verum est eum frustra cuncta tentasse, aut merum fuisse deceptorem. (*)

(*) Conferantur cum hisce quæ a PHILELEUTHERO Helvetio, in libello de miraculis Pythagoræ, I. Lojolæ, Franciſci &c. de hoc argumento in medium sunt prolata.

VII.

Qui autem semel jure vel injuria malæ fidei notam contraxit, ille semper atrocior a sequacibus depingitur, ut est fama malum velocius nullum. Olim Patres multos hæreticorum atrocius quam fas erat descripserunt, qui tandem successu temporis non *errasse*, sed *deliraſſe* visi sunt. Idem accidit nostro *Evemero*: postquam enim is detecta fraude religionis patriæ male audiisset, multi mendaciis mendacia texerunt ne perpluerent, & posito pudore eum *Atheum* omnisque religionis hostem proclamarunt, imo cum iis collatus est, qui apud cunctos male imo pessime audirent: quod argumentum theologicum ab invidia petitum, non nostro demum seculo natum, & exemplo Hieronymi eleganter a cl. J. *Clerico* illustratum, sed jam antiquissimis temporibus a Christianis & Gentilibus, orthodoxis & heterodoxis usurpatum est. *Cicero* enim, postquam Epicurum, Protagoram & Diagoram refutare conatus esset, ita subdit ad finem Lib. I. de N. D. cap. 42. *Quid? qui aut fortes, aut claros, aut potentes viros tradunt post mortem ad Deos perveniſſe, eosque esse ipsos, quos nos colere, precari venerarique soleamus, nonne expertes sunt religionum omnium? Quæ ratio maxime tractata est ab Evemero, quem noster interpretatus & secutus est Ennius. Ab Evemero autem & mortes & sepulturæ Deorum demonstrantur. Utrum igitur hic confirmasse religionem videtur an penitus sustulisse?* Ejusdem sententiæ est S. *Empyricus adv. Math. Lib. IX. p. 552. ed. Fabric.* ita de nostro dicens: Εὐημερος δὲ ὁ ἐπικληθεις Ἄθεος φησιν, Ὁταν ἀτακτος ἀνθρωπων βιος, οι περιγενομενοι των ἀλλων ἰσχυει τε καὶ συνεσει, ὡστε προς τα ὑπ αὐτων κελευομενα παντας βιων σπευδαζοντες μειζονοι θαυμασμυ καὶ σεμνοτητος τυχειν ἀνεπλασαν περι αὐτοις ὑπερβαλλυσα τινα καὶ θειαν δυναμιν, ἐνθα καὶ τοις πολλοις ἐνομισθησαν θεοι. Idem pag. 561. ut supra jam attuli de eo. Τερων ἀλαζων ἀδικα βιβλια ψυχων; Diagoram etiam, Prodicum, Theodorum cum eo conjungit. Tandem *Theophilus Antiochenus Lib. III. p. m. 121. ed. Francof.* Evemerum nostrum ἀθεωτατον appellat, eumque asseruisse ait: Τα ἐξ ὁλυ μη ἐιναι θευς ἀλλα τα παντα αὐτοματισμω διοικεισθαι. Et hi sunt secundi ordinis accusatores, quorum testimonia jam examinabimus.

VIII. Quod

VIII.

Quod attinet ad *Ciceronem*, miror eum tam audacter in *Evemerum* invehi, qui tamen sub persona *Cottæ* nihil aliud egit, quam ut receptam de Diis sententiam omnium risui exponeret, eamque nonnisi cæca traditione antecessorum innixam esse ostenderet. Quis jam tulerit Gracchos de seditione quærentes? In libro de *divinationibus* omnia prodigia & portenta ridet. Libro enim II. cap. 33. ait: *Tamen credo Romulum, qui urbem auspicato condidit, habuisse opinionem, esse in providendis rebus augurandi scientiam. Errabat enim in multis antiquitas, quam vel usu jam, vel vetustate immutatam videmus: retinetur autem ad opinionem vulgi & ad magnas utilitates reipublicæ mos, religio, disciplina, jus augurum, collegii auctoritas.* Et cap. 38. *Audacter contemne cotem Actii Navii: nihil debet esse in philosophia commentitiis fabulis loci.* Ille ipse censor *Cicero* de immortalitate mentis adeo dubie loquitur, ut quid crediderit difficulter nosci possit. Non equidem eum de Numinis existentia persuasum non fuisse dicam, sed hominem plane affectibus suis velificantem, inconstantem, laudis propriæ avidissimum, religioni receptæ, quam in corde ridebat, externa specie patrocinantem secure pronuntio. Et certe, quod *Erasmum* in epistolis olim de se dixisse memini, se nempe animum & temperamentum martyrio perferendo minus aptum habere, optime de *Cicerone* dici potest. Vide præterea *Lib. III. de Nat. D. cap.* 4. Sed mittamus hæc, quæramus ex *Cicerone*, quid per religionem intelligat, cum omnem penitus sustulisse *Evemerum* pronuntiat. Si cultum Deorum apud Romanos receptum, tum ipse *Cicero* Atheus erit, & sapientissimus quisque inter Græcos & Romanos. Quod si per religionem intelligat rectum de Deo sensum & cultum, probandum ei fuerat, *Evemerum* hunc animis hominum evellere voluisse. Sed id non præstat magnus Orator, in alios ergo invehitur injuria male audientes, ut eo magis religioni patriæ addictus esse videatur. Cæterum ei tamen præferendum esse judico vel minimum idiotam inter Christianos primitivæ ecclesiæ, qui religionis ethnicæ absurditatem videns intrepide veritatem tuebatur, nec affectuum blandimentis, nec tormentorum æstu a veritate tuenda abripiebatur. Aliud est in villa inter mille hujus mundi delicias eleganter philosophari, aliud

in mediis periculis inter tot fortunæ lenocinia loqui ut sentimus. Quam perplacet illud *Cypriani: Nos Philosophi non verbis sed factis sumus, non vestitu sapientiam sed veritate præferimus, virtutum conscientiam magis, quam jactantiam novimus, non loquimur magna sed vivimus.* Rectissime igitur christianus ille Cicero, *Lactantius* eum reprehendit, *Lib. II. p.* 169. *ed. Walchii*, cujus verba oppido elegantia juvat afferre: „ Intelligebat Cicero, falsa esse quæ homi-„ nes adorarent: nam quum multa dixisset, quæ ad everſionem „ religionum valerent, ait tamen, non esse illa vulgo disputanda, „ ne susceptas publice religiones disputatio talis exstinguat. Quid „ ei facies, qui quum errare se sentiat, ultro ipse in lapides im-„ pingat, ut populus omnis offendat? Ipse sibi oculos eruat, ut „ omnes cæci sint? Qui nec de aliis bene mereatur, quos patitur „ errare, nec de se ipso, qui alienis accedit erroribus: nec utitur „ tandem sapientiæ suæ bono, ut factis impleat quod mente per-„ cepit, sed prudens & sciens pedem laqueo inserit, ut simul cum „ cæteris, quos liberare ut prudentior debuit, & ipse capiatur? Quin „ potius, si quid tibi Cicero virtutis est, experire populum facere „ sapientem: digna res est, ubi omnes eloquentiæ tuæ vires exseras. „ Non enim verendum est, ne te in tam bona causa deficiat ora-„ tio, qui sæpe etiam malas copiose ac fortiter defendisti. Sed ni-„ mirum Socratis carcerem times, ideoque patrocinium veritatis „ suscipere non audes. „ Antequam dimittamus *Ciceronem*, locus quidam corruptus, *lib. I. de divinat. cap.* 9. tentandus est. Verba vulgo sic habent: *Sed inest in rivis & ranunculis natura quædam significans aliquid, per se ipsa satis certa, cognitioni autem hominum obscurior.* Nemo non videt haud bene *rivos* & *ranas* hîc conjungi, hinc maxime variant eruditorum conjecturæ, nec *rivis* scripsisse Ciceronem recte observat *Davisius;* nihil enim huc faciunt rivi, planeque ridiculus fuisset *Cicero*, si naturam significantem aliquid rivis inesse dixerit, quod eam ranis aquas utplurimum incolentibus competere statueret. Hinc quidam codices habent in *renis* aut *mire.* P. *Victorius* legit in *Gyrinis*, quod nomen græcum ranunculorum, *Vossius Gerinis*, quod itidem superfluum. *Davisii* conjectura haud displiceret, nisi a ductu literarum paulo longius abiret. Legendum igitur puto, *inest in rubetis & ranunculis &c. Rubetæ* enim species ranunculorum, & jam antiquis temporibus

poribus nescio quid divinare putabantur. *Plinius lib. XVIII. cap.* 344. ita ait: *Archibius ad Antiochum Syriæ Regem scripsit, si fictili novo obruat rubetas, in media segete non esse noxias tempestates.* Ex ejusdem *lib. XXXII. cap.* 577. patet, plebem *rubetam* ad superstitionem usurpasse, hinc & apud rusticos nostros multus sermo est de *rubetarum* potentia, certo tempore inventarum. Ipse quin etiam literarum ductus facillime ita corrumpi potuit. Sed conjectura esto, præterea nihil.

IX.

Redeamus in viam: *Sextus Empyricus*, *Evemeri* opinionem repetens & rejiciens, nihil tamen aliud de eo affirmat, quam quod celeberrimi antiquitatis viri professi sunt; nempe viros quosdam callidos & rebus gestis celebres, præstantioris & divinioris indolis homines se apud plebem professos, tandem post mortem in Deorum numerum relatos, & accedentibus Poëtarum fabulis, augurumque & sacrificulorum fraude, cultu religioso pro talibus habitos, quod in tanta rerum divinarum ignorantia facile fieri potuit. Scilicet,

Expedit esse Deos, & ut expedit esse putemus,
Dentur in antiquos thura merumque focos.

Legatur solummodo historia *Romuli* & *Numæ* apud *Livium*, & nihil dictum invenies, quod non inde satis confirmari possit. Præclarum est *Polybii* testimonium, *lib. VI. cap.* 54. quod brevitatis causa latine tantum dabo. Is ita candide loquitur: „ Sed nulla „ re æque præstare cæteris populis Romanos arbitror, ac opinione „ illa, quam de Diis habent, atque adeo quæ res apud cæteros „ mortales vitio vertitur, ea ipsa rempublicam continere mihi vi„ detur; superstitionem dico; nam quod merito multi mirentur, „ usque eo apud nos superstitio in majus est exaggerata, & cum in „ privatam hominum vitam, tum in publica consilia est inducta „ ut non queat magis, quod equidem multitudinis causa factum ab „ illis esse existimo. Enim vero, si ex solis sapientibus constitui „ posset respublica, esset fortasse totum illud genus non necessarium;

„ nunc quum omnis multitudo sit levis, plena illicitarum cupidi-
„ tatum, ira æstuet præcipiti & ad vim iracundia impellatur, hoc
„ restat ut terroribus nec manifestis, & ejusmodi terribilibus fig-
„ mentis vulgus cohibeatur. „ Hæc *Polybius*. Hoc facile concesserim, antiquos sæpius lapsos, dum orientalium linguarum & historiarum ignari, miris figmentis res per traditionem acceptas corruperunt. Interim in eodem luto hæret, ne quid gravius dicam, ipse *Sextus*, quamvis ut sanus esse videatur omnem moveat lapidem. *Pag.* 560. ita ait: „ Fortasse enim stabilior ac constantior in-
„ venietur Scepticus, quam ii qui aliter philosophantur, siqui-
„ dem profitetur Deos, convenienter patriis moribus & legibus, &
„ facit quicquid pertinet ad eos pie colendos: quod autem ad philo-
„ sophicam attinet quæstionem, nihil agit temere & præcipitanter. „ Ubi recte addit insignis polyhistor *Fabricius*: „ Ineptum est quod li-
„ bro XXX. Pyrrh. instit. sect. 2. Deos se credere & colere ἀδόξα-
„ στως asserit, quæ enim sic esse potest ἀσφαλεια. Ineptum quoque,
„ quod in re tam seria, modo ut contradicat aliis Philosophis, malit
„ illi suæ ἀσφαλεια renunciare, & argumentis certissimis impias ob-
„ jicere cavillationes, quin imo deinde profiteri, esse inter utriusque sententiæ argumenta ἰσοστενειαν, & non magis, esse Deos,
„ quam non esse, exinde concludere. Ineptum quoque & ab ἀσφα-
„ λεια philosophica remotum, quod ita profitetur Deos eosque se
„ colere, non quales ἀσφαλως persuasus est, haud inficiandis ra-
„ tionibus, sed κατα τα πατρια επη καὶ τους νομους, professurus ita
„ chimeram quamcunque ἀσφαλως atque cultu prosecuturus, si mo-
„ ribus ita receptum & cautum legibus patriæ fuisset. „ Consentit cum Fabricio cl. *Clericus Tom. XIV. bibl. ancienne & moderne*; ubi legi digna sunt, quæ inibi contra Sextum afferuntur. Quod si igitur alius accusator *Sexto* foret, vir nempe bonus & religionis amans, speciem haberet, sed pertinaci sceptico quis fidem adhibebit?

X.

Sed jam gravior pugna instat. Confert *Sextus Evemerum* nostrum cum *Diagora*, *Theodoro* aliisque, nescio quo jure ab antiquis pro Atheis habitis. Sed *(primo)* collatio illa nihil probat; sæpe ut invidiam conflent viro probo maligni, cum cum invisis homi-

nibus

nibus conferunt, quod argumentum est ab invidia petitum. Ita nuper in libello famosi Germani, cui titulus: *Fatum Fatuum*, *vidi Spinozam*, *Hobbesium*, *Cartesium*, *Malebranchium* simul jungi: quis tamen credet posteriores duos eidem cum prioribus sententiæ addictos fuisse? Idem potuit *Evemero* nostro contigisse. Quod si enim *Theodorus* cæterique omnem Numinis metum corde eraserint, facile fieri potuit, ut qui Deos esse postea negaret, ejusdem criminis argueretur. (*Secundo*) *Protagoram*, *Diagoram*, *Theodorum* revera Atheos fuisse, nondum argumentis, quæ omnem dubitationem eximunt, probatum esse vidi. Ne prolixus sim, exempli loco sumam solum *Diagoram Melium*, qui inter alios quam pessime audit: quod si meæ rationes sufficientes non sint, cadat per me *Diagoras* cæterique cuncti. *Diagoræ* multa crimina objiciuntur, quæ ordine pensitabimus. Primum est quod Orphei, Cabirorum & Eleusinia sacra publicasset: ex hoc sane nemo sanæ mentis atheissimum extruderit, præstantissimi enim Philosophorum hæc ridebant. Secundum est: quod ligneum suum Herculem combusserit & per acerbam dicacitatem dixerit: Age ô Hercules, adesto tredecimum laborem exantlaturus & obsonium mihi cocturus, atque ita correptum in ignem conjecerit. Num inde concludi potest eum Atheum fuisse? Certe multi cordati & pii viri tempore Reformationis, nimio adversus imaginum cultum æstu abrepti, idem cum idolis Romanensium fecere, quæ non majoris nostri æstimant, quam sapientes inter Veteres Deorum imagines. Exemplum haud absimile legi in vita *Platteri* Valesii, (*) quam ex autographo edidit ὁ νυν ἐν ἁγιοις cl. *Huldricus*, grande decus patriæ nostræ, fautor & amicus summus, *Miscellan. Tig.*

(*) „ Auf einen Morgen, da Zwinglius vor Tag zum Frau-Mynster predi-
„ gen solte, hatte Platter kein Holz, und als man zur Kirchen gelæutet,
„ gedachte er du hast kein Holz, und sind so viel Gœzen in der Kir-
„ che; weil nun noch niemand zugegen war, gieng er in die Kirche
„ zum næchsten Altar, erwischte einen Johannes, nimt ihn in die
„ Schul, fahrt damit in den Ofen, und spricht zu ihm: Jægli buke
„ dich, du must in den Ofen, ob du gleich Joannes seyn sollst; als er
„ nun anfieng zu brennen, gab er wegen der Oelfarb grosse Blatern,
„ da sagte Platter bey sich selbsten; (verbis in speciem durioribus sed pro
„ seculi moribus interpretandis) Ryhrest du dich, das du aber nit thun
„ wirst, so will ich das Ofenthyrlin zuthun, du must nieht heraus, der
„ Teufel trage dich dann heraus.

Tig. Tom. III. P. 2. pag. 251. Si quis inde *Platterum* atheismi incusaret, impudentissimus hominum esset. Tertium crimen *Diagoræ*, quod gravius, impingit *Cicero*, *Lib. III. de N. D. cap.* 51. ita dicens: „ Diagoras cum Samothraciam perveniſſet, Atheus ille qui „ dicitur, atque ei quidam amicus, tu qui Deos putas humana negli„ gere, nonne animadvertis ex tot tabellis pictis, quam multi votis „ vim tempestatis effugerint, portumque salvi pervenerint? Ita fit „ inquit, illi enim nullibi picti sunt qui naufragium fecerant. „ Idem, cum ei naviganti vectores adversa tempestate timidi & per„ territi dicerent, non injuria sibi illud accidere, qui illum in ean„ dem navem recepissent; ostendit illis in eodem cursu multas alias „ laborantes quæsivitque, num etiam in iis navibus Diagoram ve„ hi crederent, & *addit Cicero:* Sic enim sese res habet, ut ad „ prosperam adversamque fortunam, qualis sit aut quemadmodum „ vixeris, nihil interſit. „ De quo Ciceronis loco antequam quid sentiam aperiam, duo adnotanda sunt; primum est, quid Athei voce intelligam, secundum, quid probare intendam in defensione *Diagoræ*. Atheus mihi is est, qui sciens volensque asserit totum hoc Universum, aut necessitate quadam naturæ intrinseca, aut forte fortuna, sine æterni, sapientissimi & omnipotentis Entis voluntate & moderamine, ortum esse. Secundo, defensionem *Diagoræ* non eousque extendo, ut me probare posse putem argumentis aut ex ipsis, quæ sequebatur, philosophiæ principiis, aut certis & evidentibus veterum testimoniis, eum revera credidisse Deum esse Universi rectorem; sed hoc tantum, accusationes quibus premitur, non tanti esse valoris & certitudinis, ut certo concludi possit, eum Atheum fuisse. Verbo ad ἐποχην hac in parte confugiendum esse puto, quod ut pateat, sequentia observo. *Primo* non satis tuto huic accusationi *Ciceronis* innitimur. Ponamus nihil e *Socratis* scriptis nobis reliqui factum, nisi obscuram famam de contemtis Diis, & morte violenta propterea injecta, una cum *Aristophanis nebulis*. Num inde jure concludi posset, ergo *Socrates* talis est qualis a nebulone illo depingitur? Minime! vel ut alio exemplo rem illustrem. Ponam post aliquot secula omnia magni *Erasmi*, acerrimi superstitionis hostis, cedro dignissima ingenii monumenta aboleri, restantibus tantum quibusdam fragmentis, ex. gr. parte *colloquii*, quod *naufragium* inscripsit, in quo quendam inducit alterum interrogantem: „ An

„ immi-

„ imminente mortis periculo imploraverit alicujus Divi præsidium; „ *respondit ille*, ne id quidem; quamobrem? *inquit*, quia spatio- „ sum cœlum, si cui Deorum commendarem salutem meam, puta „ Petro, qui prius audiet quod adest ostio, priusquam ille conve- „ niat Deum, priusquam ille exponat causam, ego jam periero. „ Quis quæso inde legitime inferre posset eum *Lucianum* seculi sui fuisse, quod calumniatur *Bellarminus*, aut Atheum plane fuisse? Similiter cum nihil restet de *Diagoræ* operibus, nisi verba illa *Ciceronis* paulo liberiora, minime certe concludere possumus, eum omnem Numinis metum corde erasisse. *Secundo*, *Suidas* aperte dicit, eum ideo Atheum vocatum, quod scripserit orationes ἀποτυμπανιζοντας, orationes debellatorias (quemadmodum olim *Launojus* ignotos Sanctulos, Almanachios, cœlo deturbavit) & quæ eversionem continerent receptæ de Deo sententiæ, quæ autem tum recepta sententia omnibus notum est. *Tertio*, hæc verba *Diagoræ* forte ultra scopum urgentur. Pone hominem pontificiis sacris addictum & superstitioni quammaxime deditum, cum alio, qui puriora sacra Protestantium sequitur, de Sanctorum reliquiarumque præstitis miraculis loqui: pone hominem illum superstitiosum, picturam quandam exhibere multorum, qui intercessione Sanctorum e mille præsentissimis periculis liberati essent; quid si tum noster responderet; sed illi in hac tabella picti non sunt, qui frustra eorum opem implorantes periere: num inde ergo sequeretur, non non Sanctorum tantum existentiam negare, sed & potentiam & providentiam Dei? Absit. (*) Ita forte *Diagoras* ex hypothesi argumentatus est: Deos ipsos, quos fingebat antiquitas, miseros esse audivit, hinc concludit, nec bona nec mala ab iis exspectanda. Utrum jam autem simul negarit providentiam Dei, certe aliunde quam ex his verbis peti debet: cum autem nihil quod huc faciat apud antiquos obser-

(*) Simili vero ratione Diogenem simul & Diagoram defendit BAYLIUS, voce Diogenes, pag. 294. „ Combien, inquit, y-a-t'il des gens aujourd'hui, qui sans cesser d'être Papistes, pourroient & penser & dire en „ voyant les ex voto de Nôtre Dame de Lorette, ce que l'on fait dire à „ Diogene, au sujet des ex voto de Samothrace? Il y a tant d'autres „ preuves de l'existence de Dieu, outre celles, qui se tirent de l'efficace des „ prieres, qu'un homme qui rejetteroit celle-ci pourroit neanmoins demeurer très persuadé qu'il y a un Dieu qui gouverne toutes choses

vetur, injustum videtur hominem atheismi accusare. Ipse *Euripides* dixit, citante Athenagora:

Ὤφειλε δ' ειπερ ἐς ἐν οὐρανῳ
Ζευς, μη τον αυτον δυσυχη καθισταναι

Nec tamen atheismi jure, ut supra observavimus, argui potest. (4.) Ex ultimis verbis *Suidæ* patet, *Diagoram* omnes promiscue a cultu Deorum absterrere voluisse, & qualibet data occasione cultui publico insultasse, unde causa rigidi Athenienſium judicii patet. Ipse *Anaxagoras*, qui confessus est, νυς εστι διακοσμιον το των παντων αιτιον; *Atheus* habitus est ab Athenienſibus, & talentum promiserunt illi, qui eum interfecturus esset, unde publico illi decreto Magistratus inniti non possunt Antagonistæ. Nec ullum forte ex tota antiquitate exemplum dari poterit, quod is, qui Deum existere negaret, sed patrio cultui obtemperaret, Atheus vocatus & patria ejectus fuerit. *Epicurei* ubique Romæ in existimatione erant, testis est *Atticus* aliique. Primos Christianos Gentiles Atheos vocarunt: quod si tamen quis divinam religionem abnegare, & in Gentilium castra transire volebat, non ex iis quæsivere, utrum existentiam Dei crederent nec ne, sed utrum Diis thure ac vino supplicare, Christo maledicere, & per genium Cæsaris jurare vellent; quod simul ac præstitere securi erant: unde concludo, vel solam negationem Deorum sufficiisse aliquem atheismi accusandi & patria pellendi. (5.) Tandem, si omnia quæ ex verbis *Diagoræ* exsculpi possunt, vel maxime urgerentur, sequeretur eum providentiam negasse, qui error non multum ab atheismo distat, sed tamen ab atheismo distingui debet: aliud enim est asserere, totum hoc Universum aut necessitate naturæ, aut fortuito, sine sapientissimi Moderatoris nutu extitisse, aliud existere tale Numen; sed quod rerum humanarum nullam curam habeat. Quod si hoc *Diagoras* asserere voluit, nudavit animi conscientiam: sed in quantum hæc verba urgenda sint, quis satis certo nobis demonstrabit? Interim certum est eos, qui providentiam negant, olim cum adscriptus venerit pœnæ dies, simili cum Atheis querela fata sua deploraturos esse.

XI. Sed

XI.

Sed audiamus breviter virorum quorundam cl. argumenta, quibus probare volunt, revera *Diagoram* Atheum fuisse. Reverendus *Ed. Stillingfleet*, *Orig. S. L. I. p. 19. ed. Brem.* putat, *Diagoram* & *Protagoram* vel ideo ab atheismi crimine absolvi non posse, quod illi non alio fundamento fidem suam de Numine superstruant, quam illi ipsi quorum cultum subvertunt; se quidem facile credere Christianos atheismi accusatos minime tales fuisse, cum aliunde constet, quid senserint, sed non constare, *Diagoram* Deum tantum, non ipsum Numen rejecisse Sed hæc responsio revera supponit, totam antiquitatem nonnisi Deos a Poëtis descriptos credidisse, Numen autem supremum ignorasse, quod exsertis antiquitatis monumentis contrarium est. Quod si hoc non supponitur, quid prohibet asserere, homines plerosque cultui patrio quidem addictos fuisse, sed simul etiam Numinis æterni existentiam professos. Dii apud Gentiles non majori in pretio erant, quam Sancti apud Pontificios: an autem qui Sanctos negat, simul Deum negat? *Secundo*, si aliunde tam certe persuasi essemus de principiis religionis *Diagoræ*, quam certi sumus de Christianorum divino cultu Numinis, nulla quæstio esset inter eruditos de antiquorum illorum atheismo, sed jam cum præter leves quasdam posterorum accusationes nil reliqui nobis sit, nec accusare nec tuto defendere possumus, sed rem in medio relinquere.

XII.

Succedit insignis ille seculi nostri *Varro*, cl. *Fabricius*, qui non solum *Diagoræ* novum crimen impingit, sed & eum Atheum fuisse certo asserit, in observat. ad Sextum p. 561. *Injuriam Diagoræ illatam* Hesychius & Suidas *referunt hanc, quod Pæanem ipsi quis surripuisset, juratusque negasset se hoc fecisse, & tamen postea, quum publice pro suo protulisset, Diagoras exspectavit, ut perjurus statim gravissimæ pœnæ subjiceretur, quod cum non fieret, sed perjurus etiam laudibus mactaretur, inde concluſit non esse Deum, impietatemque scriptis professus fuerat*; hinc addit cel. vir: *Qui putant contemtam tantum matrem phrygiam, Cereremque turritam, cujus mysteria exsibi-*

lavit, & ab illis homines avocare conatus est omni studio, hi non cogitant Diagoræ argumentum nullum esse, nisi in Deum universe valeat, atque solenne esse Atheis collectione ejusmodi uti ad omnem divinitatem negandam, quo sensu etiam acceptum est ex Diagoræ mente a Sexto nostro & aliis plerisque Ethnicis & Christianis, qui illi locum haud dubie inter Atheos concedunt, quod Vanimus quoque facit exercit. 9. amphitheatri. Ad hæc observamus: *primo* in textu *Suidæ* crimen objectum non legi, sed in notis *Kusterus* monet, in duobus manuscriptis id inveniri, & *Pearsonius*, extare in codice Vaticano. Sed *Suidas* est autor seculi undecimi, & *Hesychius* sexti, unde hausit forte Suidas: quis autem tacente de hoc antiquitate his solis fidem adhibebit? præsertim cum antiqui diversas foverint de hac re sententias. Vide *comment. Aristoph. ad nebul. act. 3. sc.* ubi ad illum versiculum:

Τις φησι ταυτα ῥῃ. Σωκρατης ὁ Μηλιος.

Addit *Scholiastes*: *Insimulati sunt Melii impietatis ob Diagoram, qui cum pecuniam apud quendam deposuisset, eaque fraudatus esset, in impietatem lapsus est, aut ob id quod patriam ejus Melum Athenienses afflixissent.* Unde patet incertum potius rumorem quam constantem veterum opinionem fuisse, saltem Hesychii auctoritas tanta non est, ut ejus testimonio solo niti possemus. 2. Sed supponamus hæc dicta fuisse a *Diagora*, nondum *atheismi crimine* ideo jure argui potest: (1.) enim ipse *Euripides*, quem cl. vir alibi defendit, ex miseria hominum concluſit, Jovem revera Deum non esse, sed itidem miserum; & loca *Ovidii* & *Quintiliani*, quæ ipse addit, juncta iis quæ *Muretus orat. vol. 2. orat. 3.* habet, satis produnt, non inde statim ad *atheismum* argumentari licere: (2,) duplicem potestatem voci Θεὸς Gentiles subjiciebant, mox significabat Deum aliquem, qualem Poëtæ fingunt, mox vero æternum & sapientissimum Numen. Jam quæritur, utrum Diagoras dolore illatæ injuriæ victus, argumentari voluerit ad negationem utriusque propositionis ita: cum homines perjuri & rapaces non puniantur, sequitur nec Deos nec ullum Numen existere; an vero tantum, ergo Dii non sunt: quis jam hoc explicabit, nisi qui est cordium scrutator? Quod si, quousque hæc extendenda sint, explorate asseri.

ferí non poteſt, atheiſmus etiam objectus incertus erit. (3.) Quæritur utrum Diagoras, nimio doloris æſtu abreptus, poſtea ſedatis turbidis affectibus mentem non mutaverit, quod multis ſæpe pientiſſimis contigiſſe novimus, qui miſerum ævum trahentes, & injuriis obruti dubitarunt per tempus, an nobis rector eſſet. Sed ait vir ſummus, *Diagoræ argumentum nullum fore, niſi in Deum univerſe valeat.* Ego vero argumentum a miſeria hominum petitum nihil probare credo, ad exiſtentiam & providentiam Dei ſubvertendam. Sed hoc non quæritur; quæritur quantum valuerit ex mente *Diagoræ;* paſſim Dii vindices bonorum apud veteres deſcribuntur: jam fortaſſe, certo enim non aſſero, nonniſi ſubverſionem opinionis de Diis communiter receptæ in animo habuit. Qui autem Atheiſmi accuſari debet, illum Entis ſummi exiſtentiam aut clariſſimis verbis, aut conſequentiis longe evidentiſſimis negaſſe oportet, quod hic locum non habet. (4.) Cum liber ille *Diagoræ*, in quo atheiſmum profeſſus eſſe dicitur, non adſit, ad ἐποχὴν eo magis confugiendum eſſe puto, præſertim cum ea, quæ *Suidas* habet, potius Deorum quam Numinis negationem inferunt. (*)

XIII.

Cl. *Baylius*, qui neſcio quo ſtudio Atheorum catalogum adaugere voluit, & noſtrum Atheum eſſe aſſeruit, in voce *Diagoras.* *Ce fut* (ita ait,) *l'un des plus francs & des plus determinés Athées du monde, il n'uſa point d'équivoques ni d'aucun patelinage, il nia tout court, qu'il y eut des Dieux.* Satis confidenter profecto! Sed nil credo ſine argumentis, quæ optarem a tanto Philoſopho allata fuiſſe; ſed præter *Heſychii*, *Suidæ* & *Ciceronis* loca nihil affert,

(*) Suidas ex interprete Ariſtophanis hæc de Diagora narrat: „ Athenienſes per præconis vocem promulgarunt adverſus Diagoram, & in ærea „ columna ſcripſerunt, ut ille quidem, qui eum interfeciſſet, talentum „ acciperet; ille vero, qui vivum adduxiſſet, duo. Hoc autem pro„ mulgatum fuit propter ipſius impietatem, quia myſteria narrabat „ omnibus, ea evulgans & extenuans, & eos, qui volebant initiari, „ extenuans. „ En fontem accuſationis! Ob eandem rationem ALCIBIADEM accuſatum fuiſſe, tradit PLUTARCHUS, & Æſchylum vitæ diſcrimen adiiſſe memorat Euſtath. comment. in Ariſtot. Eth. Lib. III. cap. 10. niſi ad DIONYSII aram fugiſſet, atque Areopagi auxilium imploraſſet.

fert, neque hæc loca satis accurate examinat, & defensionem *Clementis Alexandrini* breviter rejicit. Occasione equidem criminis a *Suida* allati in hæc verba erumpit: *Il faut avouer que jamais auteur n'a été plus amoureux de ses ouvrages que Diagoras, & ne les a osé mettre à un tel prix. Quoique Diagoras a perdu la gloire qu'il attendoit de l'un de ses livres, il faut que tout l'Univers en soufre, il faut que la Nature soit privée de son directeur & de son conservateur: quelle compensation est ce que cela?* Sed cum testimonium *Suidæ* a *Bælio* non satis examinatum sit, his commentationibus opus non est. Tandem cl. *Buddeus* in tractatu de *superstit. & atheismo*, *pag.* 48. & 72. *Diagoram*, *Theodorum*, &c. quos Sextus jungit, defendi non posse ait. *Nullas* (ita loquitur) *quæ Theodorum ab hac suspicione liberare possint a viris doctissimis allatas rationes video. Patrum quorundam, testes veritatis contra polytheismum Gentilium undique conquirentium, & ab atheismi suspicione facile absolventium effata, hic in censum non veniunt:* idem repetit in vita *Diagoræ*. Revera testimonia Patrum argumentis destituta nihil faciunt, uti nec hodiernorum Theologorum, qui in suam rem sæpius antiquos trahere volunt. Ita *Theophilus Evemerum* atheismi accusat, quem tamen ipse mecum defendit. *Clemens* vero *Alexandrinus* nostrum defendit, cujus autoritate ego niti nolo. Hoc tamen minime credo, Patres, quorum religio atheismi accusabatur, eos in numerum veritatis confessorum relaturos fuisse, qui omnium confessione, adjectoque pondere argumentorum convicti fuissent professæ impietatis; sed cum viderent homines sæpe innocentissimos atheismi accusari, quod Deos rejicerent, & nonnisi obscura fama de antiquis illis atheismi suspectis adesset, probabili conjectura asseruerunt, forte ejusmodi homines Deum professos, in quo utrum erraverint nec ne, testimonia certissima afferenda essent; quod cum non fiat, prudentiæ & æquitatis leges postulare videntur, ut temere nil affirmemus. Sed nullas allatas rationes vidit cl. Theologus, quibus a suspicione *Diagoras* liberetur. Sed & ego in libello cl. viri nullas evidentes rationes adductas esse vidi, quibus probetur ad conscientiam, eum *Atheum* fuisse, nisi simplicem accusationem veterum pro argumento habeamus, quæ argumentandi ratio si valeat, quis innocens erit?

XIV. Sed

XIV.

Sed ad finem propero, & redeo ad *Evemerum*. Notavi supra, eum a *Theophilo Antiocheno* atheismi accusari, & revera si hæc asseruit, quæ illi objicit, nullum dubium esset, quin professus Atheus esset. Sed cum, unde hæc petita sint, non constet, neque ipse Cicero aut alii hujus rei mentionem fecerint, quod tamen facturos fuisse probabile est, præterea nihil in fragmentis Ennianis, quod huc trahi posset, adsit, Theophilo assentiri non possum, præsertim cum ex toto opusculo appareat, fuisse hominem non magno judicio & eruditione præditum. Stoicos asseruit simpliciter negare Deum, pag. 82. quod falsum est, nisi nescio quem consequentiarum nexum in auxilium trahas: in aliorum Philosophorum opinionibus enarrandis ut plurimum a veritate deviat. Idem pag. 116. asserit, omnes scriptores, quotquot tradidere Deorum multitudinem, tandem unum Deum professos. *Lib. III.* initio contrarium asserit. Et qui vel solam *Hexaëmeri* explicationem legit, quantus Theologus & Philosophus fuerit, perspiciet. Interim *Evemerum* secutus est *Ennius*, qui Deum existere professus est. Vide vitam ejus, pag. 25. Quemadmodum igitur Patri ecclesiæ simpliciter alios defendenti non credo, ita nec simpliciter *Theophili* accusationibus, quæ argumentis destitutæ sunt, fidem adhibere possum.

XV.

Interim non diffiteor, fieri potuisse, ut *Evemerus* noster, recta argumentandi methodo neglecta, simul cum Diis Deum ipsum negaverit; eo enim tempore, quo detestanda superstitio orbem inundavit, & tot fabulæ & ficta miracula, tot fraudes in oraculis & alibi observabantur, viri non facile verum a falso distinguentes in exitiale atheismi baratrum prolabi potuere. Ἔνιοι ὑποσφαλλεντες πανταπασιν εἰς δεισιδαιμονιαν ωλισθον. Οι δε φευγοντες ὥσπερ Ελως την δεισιδαιμονιαν ἑλαθον αὐθις ὥσπερ εἰς κρημνον ἐμπεσοντες την ἀθεοτητα. Verba sunt *Plutarchi*, *lib. de Is. & Osir. pag.* 378. E contra si quis bene vel de principiis solum Theologiæ naturalis convictus fuerit, difficulter ad religionem aliquam absurdis fabulis scatentem adduci poterit. Et tamen hoc nuper suo exemplo persuadere voluit

luit autor vitæ Archiepiscopi Cameracensis *Fenelonii*, qui se *Deistam* fuisse, ab Archiepiscopo autem in ecclesiæ romanæ gremium adductum asserit. Nimirum ajebat ille, aut religioni catholicæ assentiri debes, aut Deista manere, nullum est medium. Sane miri cujusdam temperamenti virum oportet fuisse hunc Deistam, qui se ejusmodi argumentis convinci passus est. Mira est hæc metamorphosis, omnibus Ovidianis incredibilior. Scilicet Protestantes in posterum omnem religionis christianæ professionem abjicere debent & Deistæ fieri, hinc sane exiguus est in caulam romanæ ecclesiæ saltus! Itane variat ecclesia in methodis convertendi, cum tamen omnis variatio, teste *Bossueto*, nonsolum periculosa, sed certissimus falsæ doctrinæ character sit? Nimirum facile salvari potes, si credis Deum esse; existere in Italia hominem infallibilem; hunc asserere librum quendam esse divinitus concessum, eumque ad ejus nutum explicatum, licet nobis non perspectum, simplici assensu amplectendum; credenda mille miracula a Sanctis & reliquiis præstita, credendam resurrectionem Jesu Christi, Apostolorum fide roboratam, & simul omnem fidem sensibus esse denegandam; credendum idem simul esse & non esse; credendum frustulum panis esse verum corpus Christi, licet omnes quotquot in mundo essent homines ad mirum hoc spectaculum visendum convocati nil nisi tenuis particulæ farinaceæ frustulum viderent; credendum idem corpus simul Romæ & Parisiis esse; credenda omnia sine examine, aut examinanda, sed ita ut evidentissimæ tuæ persuasioni anteferas hominis Itali voluntatem rationibus etiam destitutam; credenda hæc sub pœna inferni, imo hæc fides ferro, igne, & si quæ alia sancti officii convertendi remedia, contra omnia conscientiæ jura propaganda est. Sane si quis hæc ratione instructus concoquere poterit, is per me vel boves alatos credat. Scio non tam crude & simpliciter hæc ab Episcopo prolata, sed si ratiocinari voluisset, facile hæc principia ecclesiæ romanæ invenire potuisset proselytus iste. Sed solent multi ex ecclesiæ romanæ Præsulibus religionem suam depingere non qualis est, sed qualem oporteret esse. Hinc theologis hic problema solvendum offero. Quæritur nempe: utrum quis, de religionis naturalis principiis convictus, rationi & conscientiæ convenientius ageret, si Deista maneret, an vero si religioni ecclesiæ romanæ, qualis revera est in omni suo complexu, sese adjungeret;

posito,

posito, quod alterutram ex his duabus amplecti deberet. Mihi facile solvendum hoc problema videtur. Ego hactenus pro mea simplicitate credidi, non posse non in ecclesia romana multos Atheos & Deistas dari, cum videant propriæ conscientiæ dictamen & examen religionis tantopere negligi, & fictis miraculis omnia plena esse: contra ea Protestantium cœtum, ubi omnia jubentur ad rigidum examen vocari fidei dogmata, nec ullæ aniles superstitiones & ficta miracula locum habent, in quo S. Litteræ cujusvis conscientiæ approbandæ offeruntur, nullam Deistæ refugiendi causam habent, nec nonnisi per principia nostra ad religionis christianæ divinitatem agnoscendam, si ratiocinari velint, adduci possunt. Superstitionibus autem in ecclesia romana omnia scatere loquitur experientia, & fatentur subinde viri candidi hujus ecclesiæ; vide verba cl. *Montefalconis* apud J. *Clericum*, *Bibl. anc. & modern. T.* 13. *p.* 31. Sed solide mea opinione *Fenelonii* argumenta subvertit vir non minus munerum dignitate & splendore quam eruditione nobilissimus, illustris Baro *de Metternich*, in libello germanico idiomate Francofurti edito. Quod si tamen *Evemerus*, (ut in viam redeamus) tam stupidus fuit, ut quoniam hominum quorundam vel ambitio affectavit, vel stoliditas detulit mortalibus divinos honores, propterea is negaverit, dari omnino alium præter hos longe diviniorem Deum, autorem mundi, omnique veneratione & cultu dignissimum, næ is non minus insaniit, ac qui negaret verum dari regem, quoniam in scena commentitios, vel in morocomiis imaginarios videt principes, ut eleganter loquitur cl. *Fabricius* in *observat. ad S. Empyr.*

XVI.

Si quæras jam, mi *Nonni*, cui bono hæc omnia disputata sint, sic habe. (1.) Officium omnium esse puto, viros celebres temere accusatos defendere. (2.) Superstitionem teneris adolescentium animis eradicandam, & contra ea veritates ad salutem necessarias, non aliud agendo, sed summa vi & evidentia implantandas. Tandem moderationis & prudentiæ leges in dijudicandis aliorum opinionibus exacte observandas. Hæc est, amicorum optime, sententia mea de *Evemero*, quam mutabo, si dissenseris tu;

cur dissentias explices rogo. Quamvis enim tibi cedere debeam, rectius tamen arbitror, in tanta re ratione superari. Proinde si non errare videar, id ipsum quam voles brevi epistola, sed tamen scribe; confirmabis enim judicium meum: si erravero longissimam para. Num corrupi te, qui tibi, si mihi accederes, brevis epistolæ necessitatem, si dissentias, longissimæ imposui? Vale.

DISSERTATIO DE THEOLOGIA M. T. CICERONIS.*

SECT. I.

QUamvis certum sit, *eruditionem*, *eloquentiam*, aliarumque utilium rerum scientiam, ab omnibus, qui vera rerum norunt pretia, æstimari; æque certum tamen est, multum splendoris his virtutibus decedere, si *probitas*, *veritas* ac *recti studium*, iis non accedant: cum enim illi, qui alios eruditione superant, identidem clamitent, incredibilem esse eruditionis vim ad promovenda societatis commoda, atque ad perficiendam in universum mentem humanam; simul tamen res suas ita instituant, ut facile pateat, eos tempori inservire, probitatem, religionem, & veritatis promovendæ studium, aut prorsus negligere, aut cum demum lacertos suos movere, quando id e re sua esse putant; non solum ipsa eruditio in illorum animis, qui verum a falso distinguere haud possunt, & exiguo veritatis virtutisque amore tacti sunt, vilescit; sed & sibi persuadent firmiter, quo quis sit doctior, acutior, sapientior; eo minus religioni eum & virtutibus

(*) Inter recentiores vitæ fatorumque Ciceronis scriptores memorandi doctissimi viri MIDDLETHONUS & MORABINUS. Utrum vero data opera in theologiam excellentissimi hujus viri inquisiverint, dicere non possum, cum scripta hæc videre, nedum evolvere hactenus non licuerit.

deditum esse. Fateor illam conclusionem iniquam esse & ineptam: sunt enim varii & multiplices animorum recessus: veritas & error, religio & superstitio, eruditio & insipientia, miris modis in animis hominum contemperatæ atque commixtæ sunt: interim multi vix sibi persuadere possunt, serio & ex animi sententia viros illos eruditos de conscientia & religione loqui. Ita novimus in Gallia ex. gr. magnum esse numerum virorum perspicacissimorum atque doctissimorum, qui ad miraculum usque & stuporem in variis disciplinis & artibus sunt exercitati, diversosque errores raro ingenii acumine detexerunt & refutarunt: iidem tamen, cum de religione agitur, silent; ineptas ridiculas, Deoque contumeliosas opiniones aut defendunt, aut ita saltem loquuntur, agunt ac vivunt, ac si eas adprobarent; nullam aut exiguam molestiam devorare volunt, quoties impetu aliquo ad ineptias & superstitiones, quas longa dies confirmavit, profligandas opus esset: unde mirum non est, eruditionem a multis tanti non æstimari, quanti oporteret.

II.

Si nobis vitam, mores & res gestas veterum eruditorum in memoriam revocemus, inter multos alios exemplo esse potest nobilissimus ille reipublicæ romanæ Consul *M. T. Cicero.* Vir hic de republica, optimarumque literarum studiis præclare meritus, in cœlum extulit laudibus eruditionem, eloquentiam, philosophiæ studium; erat quin etiam eo ingenio præditus, ut superstitionis causas & fæditatem facile detegere, melioraque suadere potuisset: quod, cum ex aliis scriptis, tum ejus libris cummaxime philosophicis constat. Idem tamen excellentissimus vir aliter plane in *villa* cum amicis, aliter *Romæ* locutus est. Receptas opiniones de Numinis cultu stultas licet & ineptas tolerandas putabat; neque ingenio suo, quo valebat, nec eloquentiæ item & eruditionis apparatu, ad funditus subvertendam superstitionem usus est. Certe si tantum laboris & studii impendisset, ad religionem puram castamque, quatenus illa rectæ rationis principiis addisci potest, introducendam & promovendam, quantum contulit ad reipublicæ salutem conservandam; apud posteros omnes, eosque sapientissimos optimosque, majorem non solum sibi famam adquisivisset, sed & suæ conscientiæ

atque

atque sapientiæ convenientius egisset. Defuit igitur nobilissimo & excellentissimo viro studium verum rectumque custodiendi, veritatemque superatis omnibus obstaculis defendendi. Interim negare nolim, *Ciceronis* ingenii indolem ita fuisse comparatam, ut ad hoc vitium, quod in eo aliisque notamus, naturali quadam propensione inclinaverit. Notum est & experientia confirmatum, mentem pro varietate temperamentorum ad quasdam actiones peragendas vel procliviorem, vel ineptiorem esse. Inde fieri solet, ut quidam ad voluptates, alii ad gloriæ studium, superbiamque propendeant. In aliis mira est & felix aliquando sanguinis & humorum contemperatio; crediderim insuper, mentes interna naturæ constitutione diversissimis, ante omnem meditationem & institutionem, proprietatibus esse ornatas, adeo ut in aliis *vis judicandi*, in aliis *imaginandi*, &c. melius vel infirmius sese exerat. Quod si jam quis attente scripta *Ciceronis* evolvat, deprehendet, quantum temperamentum in animum ejus valuerit, quæque ejus fuerit ratio, nimirum *cholerico-sanguineum*, ut artis Doctores loqui solent, eum fuisse patet: (*) hocque manifestum esse videtur, non solum ex scriptis, sed universa vivendi ratione: (**) ab una parte in eo elucebat

(*) In eandem sententiam propendit clarissimus noster Brukerus, hist. crit. philos. Tom. II. pag. 43.

(**) Cum his conveniunt, quæ habet clarissimus elegantiorum literarum apud Gœttingenses nunc Professor J. M. Gesnerus in vita Ciceronis, quam Chrestomathiæ Ciceronianæ olim præfigendam curaverat, §. 94. *Sollen wir auch von dem Character und Hauptaffect des Ciceronis etwas gedenken, so glaube ich, man thut nicht unrecht, wenn man sagt, daß seine Ehrbegierde, so fern sie durch eine natürliche Furchtsamkeit modificirt und gleichsam regieret worden, die Quelle seiner meisten Handlungen gewesen.* Et §. 96. adjicit: *Es war also die Ehrbegierde, welche damahl zu Rom fast eben so viel als das Wort Tugend bedeutete, wie das Hauptgewicht an einem Uhrwerk, die treibende Ursache aller Verrichtungen Ciceronis: Seine natürliche Furchtsamkeit aber verursachte bey ihm, was in einem Uhrwerke die sogenannte Unruhe, welche dem Gewicht einigermassen widerstehet, und das ganze Werk dadurch in Ordnung erhält: Dieses kann man in allen Theilen seines Lebens, sonderlich aber seiner Secte in der Philo-*

acre ingenium, eruditionis & laudis ſumma cupido, jactantia, ſtudium inclareſcendi; ab altera *imaginationis maxima vis, dicendi peritia, metus & triſtitiæ perpetua mixtura, animus ad ſales & jocos aptiſſimus atque intentiſſimus.* Eo ingenio fuit præditus, ut errores paſſim circa religionem graſſantes non ſolum videre, ſed & ſenſim ſenſimque ex animis hominum evellere potuiſſet, ni metus, amorque otii literarii obſtitiſſet. Amore *divinæ* illius *ſcientiæ*, quam *philoſophiam* vocant, tactus erat; at periculum adire ob illam, aut obſtantia impedimenta propellere, quod innumeri ex Chriſti diſciplina faciebant, forti animo noluit. Hæc autem animi adfectio mature ſatis ſeſe in eo exeruit: ab ineunte ætate ſingulari deſiderio literis vacavit, adeo, ut omnes boni ſpem concipèrent, eum talem fore, qualem cognitum judicarunt: multis in locis ipſemet ætatis juvenilis ſtudia & exercitationes enarrat. Uſus eſt puer græcis Doctoribus, quod ipſe in epiſtola ad M. *Titinnium*, referente *Suetonio* de clariſſimis Rhetoribus, exponit, &c. ita ſcribens: *Equidem memoria teneo, pueris nobis, latine docere cœpiſſe L. Plotium quendam: ad quem cum fieret concurſus, quod ſtudioſiſſimus quiſque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere. Continebar autem doctiſſimorum hominum auctoritate, qui exiſtimabant, græcis exercitationibus ali melius ingenia poſſe. Annus decimus ſextus terminus eſt pueritiæ Ciceronis, in qua, ut Plutarchus ſcribit* (verba ſunt *Fabricii*, qui accuratiſſime illuſtris Conſulis vitam ſcripſit) *cum eas artes, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari ſolet, diſceret, ingenium ejus ita eluxit, tantumque nominis & gloriæ inter pueros habuit, ut eorum parentes viſendi Ciceronis cognoſcendæque celebratæ celeritatis in diſcendo gratia ad ludum venirent, pueri quoque honoris gratia Ciceronem medium deducebant; de quo honore Plutarchus in præceptis civilibus, & Ovidius* lib. V. *Faſtorum:*

Et mædius juvenum, non indignantibus ipſis,
Ibat, & interior, ſi comes unus erat.

Laudat

ſophie, *an ſeiner Auffyhrung* in puncto religionis, *bey der Catilinariſchen Conſpiration, bey ſeinem Exilio, in den byrgerlichen Kriegen, und endlich an dem lezten Actu ſeines Lebens vvahrnehmen.*

Laudat etiam Plutarchus indolem Ciceronis, ac plane ipsam ejus naturæ fuisse ait, qualem Plato lib. V. de republica in Philosopho & homine docili requirit, ubi Socrates ita concludit, ὰν ἀν καὶ τον φιλοσοφον σοφιας φησομεν ἐπιθυμητην εἰναι, ὐ της μιας της δὐ, ἀλλα πασης. *Puer Cicero cum poëti imprimis delectaretur, Pontium Glaucum tetrametris composuit, quem sua etiamnum ætate extitisse Plutarchus refert.* Hactenus *Fabricius.* Quemadmodum autem singularis ingenii bonitas ex miro discendi ardore eluxit abundantissime; ita hoc cummaxime ostendit in eo, quod a teneris philosophiæ amore ardentissimo teneretur. *Vulgares animæ in tricis* hærent, & minutis præceptionibus delectantur; nec facile animum ad divinæ illius scientiæ, philosophiam puto, amorem adjungunt: præclara ingenia nonnisi rerum excellentissimarum & optimarum contemplatione animum pascunt. Inter disciplinas autem omnes facile prima tenet *philosophia;* eam mature adamavit *Cicero.* Pluribus in locis de se hoc fatetur ipsemet. Ita *lib. II. de offic. sect. I. pag. m.* 59. „ Nihil agere autem cum animus non posset, in his studiis ab initio „ versatus ætatis, existimavi honestissime molestias posse deponi, „ si me ad philosophiam retulissem, cui cum multum adolescens „ discendi causa temporis tribuissem, posteaquam honoribus inser„ vire cœpi, meque totum reipublicæ tradidi, tantum erat philo„ sophiæ loci, quantum superfuerat amicorum & reipublicæ tem„ poribus. *Et paucis interjectis:* Quid est enim, per Deos! optabilius „ sapientia? quid præstantius? quid homini melius? quid homine „ dignius? Hanc igitur qui expetunt, Philosophi nominantur: „ nec quidquam aliud est philosophia, si interpretari velis, quam „ studium sapientiæ. Sapientia autem est (ut a veteribus philoso„ phis definitum est) rerum divinarum & humanarum, causa„ rumque, quibus hæ res continentur, scientia, cujus studium qui „ vituperat, haud sane intelligo, quidnam sit quod laudandum „ putet. „ De *senect.* fere ab initio: „ Mihi quidem ita jucunda „ hujus libri confectio fuit, ut non modo omnes absterserit sene„ ctutis molestias, sed effecerit mollem etiam & jucundam sene„ ctutem: nunquam igitur laudari digne poterit philosophia, cui „ qui pareat, omne tempus ætatis sine molestia possit degere. „ *Quæst. Tusc. lib. V. sect.* 2. „ Sed & hujus culpæ & ceterorum vitio„ rum peccatorumque nostrorum omnis a philosophia petenda

„ correctio

„ correctio est; cujus in sinum cum a primis temporibus ætatis „ nostra voluntas studiumque nos contulissent, his gravissimis ca„ sibus in eundem portum, ex quo eramus egressi, magna jactati „ tempestate confugimus. O vitæ philosophia dux, ô virtutis inda„ gatrix, expultrixque vitiorum, quid non modo nos, sed omni„ no vita hominum sine te esse potuisset? Tu urbeis peperisti; tu „ dissipatos homines in societatem vitæ convocasti; tu eos inter se „ primum domiciliis, dein conjugiis, tum literarum & vocum „ communione junxisti; tu inventrix legum; tu magistra morum „ & disciplinæ fuisti; ad te confugimus; a te opem petimus; tibi „ nos ut antea magna ex parte, sic nunc penitus totosque tradimus. „ Taceo alia loca idem abunde testantia. Hinc etiam factum, ut omnium tum temporis florentium sectarum Professores audiret: nimirum ex *Stoicorum* familia, *Possidonium* & *Diodotum*; ex *Epicuri* disciplina, *Phædrum* & *Zenonem*; ex *Academicis*, *Philonem* & *Antiochum*; ex *Peripateticis* tandem *Cratippum* & M. *Pisonem*. Horum omnium opiniones atque sententias in libris suis philosophicis eleganter ac perspicue tradidit, adeo ut dubitari non possit, eum maximam vitæ partem philosophiæ consecrasse. Patet simul inde, quid ad doctissimi *Schotti* quæstionem, quam cap. IX. in *Cicerone a calumniis vindicato* proposuit: An nimirum Philosophus *Cicero* censendus? respondendum sit. Nimirum irascitur vir doctissimus illis, qui hanc gloriam summo viro detrahere conantur. Mea autem opinione omnis lis ex *definitione Philosophi* pendet. Si eo nomine intelligamus virum excellenti ingenio præditum, in præstantissimorum Philosophorum scriptis versatum, & in plerisque rectius cæteris eruditis ratiocinantem, negari non potest *Ciceronem* Philosophum fuisse. Si vero Philosophi nomine intelligamus hominem, qui sola ratiocinatione adjutus, ex *proprio ingenio*, ex certis immotisque principiis, universum aliquod veritatum systema condit, atque servata ubique evidentia, singulas partes seu corollaria ex principiis suis deducit, tum negamus *Ciceronem* hoc nomine dignum esse. Major in eo erat imaginatricis, uti vocant, facultatis, quam vero judicii vis: hinc in discussione quæstionum philosophicarum non solum de styli elegantia ostendenda quammaxime sollicitus est; sed & in examine sententiarum, plerumque ignarus quo se verteret, hæsitabat. Adde quod ex orationibus cum inprimis pateat, eum sæpissime

pissime æstum imaginationis secutum, neque dicta sua ad accuratas Logicæ leges attemperasse. Quo major autem est facultatis imaginatricis vis, eo minus acutum esse solet judicium. Nolo mihi credi qui Philosophus non sum, sed viro, quem inter Philosophos referunt omnes, nimirum J. *Lokio* in *tentamine de intellectu hum.* lib. II. cap. 11. ita dicenti: *Plus* (inquit) *la faculté du jugement est grossiere, ou mal employée à marquer une distinction d'une chose d'avec une autre, plus nos notions sont confuses, & plus nôtre raison s'égare. Si la vivacité de l'esprit consiste à rapeller promptement & à point nommé les idées qui sont dans la mémoire; c'est à se les répresenter nettement, & à pouvoir les distinguer exactemeut l'une de l'autre, lors qu'il y a de la différence entre elles, quelque petite qu'elle soit, que consiste pour la plus grande part cette justesse, & cette netteté de jugement, en quoi l'on voit qu'un homme excelle au dessus d'un autre. Et par là on pourroit peut être rendre raison de ce, qu'on observe communement, que les personnes, qui ont le plus d'esprit, & la mémoire la plus promte, n'ont pas toûjours le jugement le plus net & le plus profond. Car au lieu, que ce, qu'on appelle esprit, consiste pour l'ordinaire à assembler les idées, & à joindre promptement & avec une agreable varieté celles, en qui on peut observer quelque ressemblance, ou quelque rapport, pour en faire de belles peintures, qui divertissent & frappent agreablement l'imagination: le jugement consiste au contraire à distinguer soigneusement une idée d'avec une autre; si l'on y peut trouver la moindre différence, afin d'éviter, qu'une similitude ou quelque affinité ne nous donne le change en nous faisant prendre une chose pour l'autre. Il ne faut pour cela faire autre chose, que chercher une metaphore, & une allusion, en quoi consistent pour l'ordinaire ces belles & agréables pensées, qui frappent si vivement l'imagination, & qui plaisent si fort à tout le monde, parce que leur beauté paroit d'abord, & qu'il n'est pas nécessaire d'une grande application d'esprit, pour examiner, ce qu'il y a de vrai, ou de raisonnable. L'esprit est satisfait de la beauté de la peinture, & de la vivacité de l'imagination, sans songer à regarder plus avant. Et c'est en effet choquer en quelque maniere ces sortes des pensées spirituelles, que de les examiner par les regles severes de la vérité, & du bon raisonnement: d'où il paroit, que l'esprit consiste en quelque chose, qui n'est pas tout à fait d'accord avec la vérité & la raison.* Hactenus

Lokius. Quando autem dicimus eo sensu, quo vocabulum sumimus, *Ciceronem Philosophum* non esse; nihil quicquam honori & gloriæ ipsius detrahimus: præterquam enim, quod pauciſſimis contingat, ad id fastigium sapientiæ pervenire; cogitandum est, quibus temporibus vixerit *Cicero*, quibusve curis fuerit districtus & negotiis. Sed audiamus tamen, exercitii gratia, rationes, quibus *Schottus* probare voluit, *Ciceronem* inter *Philosophos* referendum: „ Qui (inquit) Ci„ ceronem Philosophorum numero eximunt, næ illi præposteri „ sunt, atque iniqui ingeniorum censores: cum primus ille Ro„ manorum, ut passim gloriatur, philosophiam Græcorum pro„ priam latina civitate donaverit, ad posterosque transmiserit. *La„ ctantius* adhæc *Firmianus* (quo Christianorum ad Ciceronem pro„ pius accessit nemo) Tullium modo perfectum, modo summum, „ modo romanæ philosophiæ principem honoris gratia appellare „ non dubitat. Quid M. *Fabius*, beatus *Augustinus*, Hipponen„ sium Episcopus, parentumque memoria *Rodolphus Agricola* decus „ Frisiæ, nonne sua ex ejus fontibus hauserunt? *Augustinus* pro„ fecto lecto ejus Hortensio, qui liber de laudibus erat philoso„ phiæ, adeo admirari se solitum scribit, nihil ut hic requireret „ amplius præter Jesu Christi nomen. Hujus vero libri lectione „ ad christianæ, hoc est veræ philosophiæ contemplationem incen„ sum se fuisse ingenue confitetur lib. III. confess. cap. 4. „ Sane hæc ipsa apologia ostendit, *Schottum* ignorasse, quis veri nominis Philosophus sit dicendus: quis enim, nisi philosophiæ imperitus, *Ciceronem* Philosophum fuisse concluserit, quod primus scripta Græcorum latinitate donavit? Num igitur quilibet Criticus, qui græcum aliquem scriptorem philosophicas præceptiones tradentem in linguam latinam convertit Philosophus est? Concedamus *Schotto*, eum non interpretatum tantum veteres Philosophos græce scribentes, sed & ex iis philosophiam suam didicisse, quid tandem hoc probabit aliud, quam *Ciceronem* opiniones veterum Philosophorum calluisse? At *Lactantius* & *Augustinus* eum vocant *principem Philosophorum*: vocaverint ita; quæritur utrum talis fuerit? & si fuit inter Romanos sententiarum ab antiquis Philosophis propugnatarum callentior, ergone veri nominis Philosophus fuit? *Lactantii* ingenium certe *Ciceronis* simillimum fuit, neuter tamen inter Philosophos nomen obtinebit. Sed laudavit in *Hortensio* supra modum philo-

sophiam

ſophiam *Cicero*. At quid inde? ſtupidus & ratione captus ſit, qui non laudet philoſophiam; neque tamen propterea, quisquis hoc agit, Philoſophus eſt. Nihil invenit ipſe *Cicero*, ſed Græcorum veſtigiis inſiſtens, Romanis philoſophiam Græcorum commendavit. Pergit *Schottus*: „ Quoniam vero philoſophia in tres eſt diſtributa partes, in Naturæ obſcuritatem, in diſſerendi ſubtilitatem, in vitam atque mores, ut ait in Lucullo, ſingulas propemodum partes Tullius pertractavit. In dialecticis quidem Topica conſcripſit, quibus facit ſtudioſe, ut ſequatur aureum dicendi flumen, *Ariſtotelem*, quo modo in eodem Lucullo nominat. Phyſicam forſan non plene pertractaſſe demus, niſi quod Deorum naturam tribus ſit libris complexus, ac de divinatione rerum futurarum cum Q. *Tullio* fratre duobus libris diſſeruerit accurate. Verum enimvero principem eam philoſophiæ partem, quæ eſt de vita & moribus, nemo Romanorum, cum a *Cicerone* diſceſſeris, copioſius tradidit aut diſertius. Clamant, quæ in manibus ſunt, quæque oratoriis ſe adæquarunt, philoſophiæ volumina: in his de expetendis, fugiendiſque rebus libris duobus diſſeruit; de republica item & optimo civitatis ſtatu *Platonis* exemplo libris ſex, etſi magnam partem temporum iniquitate perierunt; de legibus quoque egit libris tribus, conformatis ad exemplum duodecim tabularum ejuſdem Philoſophi *Platonis*. Sed teſtem ipſum domeſticum audiamus. Sic enim Tuſc. V. *Socrates* primus philoſophiam devocavit è cœlo, & in urbibus collocavit, & in domos etiam introduxit, & coëgit de vita & moribus, rebusque bonis quærere: cujus multiplex ratio diſputandi, rerumque varietas, & ingenii magnitudo, *Platonis* memoria & literis conſecrata, plura genera efficit diſſentientium Philoſophorum. E quibus nos id potiſſimum conſectati ſumus, quo *Socratem* uſum arbitramur; ut noſtram ſententiam tegeremus, & in omni diſciplina, quid eſſet veriſimillimum, quæreremus.„ Sequamur eam philoſophiam dividendi, quam attulit *Schottus*, rationem. Quod ad dialecticam ſpectat, certum eſt, *Ciceronem* ejus artis fuiſſe peritum; at non dicam, pleraque veterum cogitata de dialectica potius artem multa in utramque partem loquendi & diſſerendi, quam verum inveniendi fuiſſe; nemo Philoſophum ſtatim appellabit, qui ſyſtema dialecticæ aut logicæ conſcripſit, præſertim tale, quale ab *Ariſtotele*

confectum est. Certe vel brevissimum compendium artis cogitandi v. gr. *Illustris Wolfii*, pluris æstimandum, quam veterum omnium Dialecticorum labores. Unicus libellus D. *Lami* de *arte loquendi*, præferendus omnibus veterum scriptis de arte rhetorica. In *Physica* eum nihil præstitisse fatetur ipse *Schottus*, neque ea, quæ de Deo & divinatione scripsit, ad physicam spectant. At sit ita: num perspicuis tandem argumentis Dei existentiam probavit & contra dissentientes vindicavit? num systema aliquod theologiæ naturalis apto] ordine inter se connexum contexuit? minime. Sed varias aliorum sententias narrat; mox hos, mox illos Philosophos certantes inducit, neque tamen ita, ut quid sibi velit ipse, aut quid probet, perspicuum sit. Confer cum libris illis *Clarkii theologiæ nat. principia demonstrata*, & senties, quam male inter se cohærerant *Ciceronis* cogitata de Numine. Neque magno sane ingenio opus fuit, ad mendacissimas nugas de arte divinatrice refutandas: ipsemet *Augur* fuit, & pulcherrime vanitatem *histrionicæ artis* novit: magis Philosophum se præstitisset, si omnem illam superstitionem inter suos grassantem funditus voluisset eradicare. Verum est, plus præstitit in libris, quæ *Ethicam* spectant, in quibus sparsim Juris Nat. præcipua capita tangit. At unde hæc petita erant? Nimirum ex *Xenophonte*, *Platone*, *Aristotele*, *Stoicis*. Illi ipsi tamen, qui probe callent, quid ad hanc disciplinam rite tractandam requiratur, non solum (*) *ordinem* in libello de *Officiis* desiderant; sed & probe

(*) Secus sentire videtur cl. J. Ernesti in defensione veterum Philosophorum adversus eos, qui methodum mathematicam ab iis vel ignoratam vel male neglectam esse contendunt. Pagina enim 6. de Ciceronis libro de officiis hunc in modum differit: „ Quantum ego assequi potui, „ mathematicæ rationis hanc vim faciunt, ut a bonis definitionibus, „ aliisque enuntiatis veris, & sine argumento concedendis, profecta oratio per legitimos syllogismos, si quidem pluribus opus sit, sive ex formula positos, sive ad formulam redigendos, decurrat, donec insistat „ in eo, quod quærebatur. - - - Ciceronem vero, quomodo possumus hujus præcepti immemorem dicere, cujus vel unum de officiis „ librum primum ejus rationis illustrissimum exemplar habemus: in quo „ ille primum officii definitione & distributione proposita; deinde constitutis principiis verissimis, ex hominis natura haustis, singula officia „ ita persequitur, ut quæcunque ille tradit, si tanquam carne resecta, „ velis ossa aperire, facile ad syllogismorum legitimorum formulam revocare possis? „ In quo tamen judicio vir clarissimus nimium causæ suæ inservire videtur.

be vident, multa capita scitu necessaria omissa fuisse, neque quæ adsunt, inter se, & cum suis principiis rite connexa esse. *Eruditissimus Barbeyracius in præfat. ad Jus N. Puffendorfii* ita judicat de *Officiis Ciceronis: Cet excellent Ouvrage, que tout le monde connoit, est sans contredit le meilleur traité de Morale que nous avons de toute l'Antiquité; le plus regulier, le plus methodique, & celui, qui approche le plus d' un Système plein & exact. Je dis qui l'approche le plus; car on se tromperoit fort de croire, qu'il renferme une Morale complette, qui descende dans le plus grand détail, & où tout soit traité dans le meilleur ordre du monde. Il y manque bien des choses, qui doivent entrer dans le plan de cette Science, & la pluspart de matieres y sont traitées fort superficiellement.* Quisquis philosophiæ moralis gustum habet, facile assentietur *doctissimo viro.* Quod si ob hoc compendium inter Philosophos erit referendus *Cicero*, maximum habebimus Philosophorum numerum. (*)

III.

Quanquam autem ea, quæ hucusque attulimus, ita sint comparata, ut satis probent, quid de *ingenio philosophico Ciceronis* sentiendum sit, nemo tamen negaverit, quin laudis amore ductus, animum omni diligentia ad *philosophiam exercendam* adjunxerit. Aliud exemplum, quo *temperamenti cholerici* hominem eum fuisse patet, constat ex *insatiabili illa laudis & gloriæ cupiditate.* Certe (**) epistola illa ad *Luccejum* data, si alia ad manus non essent,

(*) Vide quid de hoc argumento meditatus sit eruditissimus, mihique faventissimus vir, Ch. A. Heumannus, act. philosoph. vol. II. part. 9. pag. 441. seq.

(**) Equidem clarissimus vir J. M. Gessnerus in vita Ciceronis §. 94. 95. hanc vanæ jactantiæ culpam a Tullio amoliri satagit, quum in hanc rem ita differit: *Mit der Ehrbegierde ist die Sache ohne dem richtig, indem er sie nicht zu dissimulieren begehret, sondern dieses vvohl an hundert Orten fyr das rechte* principium actionis viri boni & civilis *angiebet. Nur ist dieses hierbey zu gedenken, daß man vvohl* Ciceroni *zu viel thut, vvenn man ihn fyr einen Prahler und Großsprecher ausgiebt, vveil er so oft seines Consulats, und der*

æternum vitii illius, quo laborabat, monimentum esset. Extat illa Epist. *ad diverss. lib.* V. Epist. XII. Excerpemus quædam ex ea ad nostrum institutum facientia. Incipit autem ita: *Coram me tecum eadem hæc agere sæpe conantem deterruit pudor quidam pæne subrusticus: quæ nunc expromam absens audacius: epistola enim non erubescit. Ardeo cupiditate incredibili, neque, ut ego arbitror, reprehendenda,*

von ihm unterdrukten Conspiration gedenket, und Luccejum in einer noch vorhandenen Epistel bittet, er solle seine Thaten mit einigem Lobe seiner Person beschreiben; ja gar selbsten von seinem Consulat griechisch und lateinisch geschrieben. Es kommt dieses vvohl her von der gar zu geringen Idée, die man sich von einem Rœmischen Consul macht, vvorzu der Gebrauch des deutschen Worts Byrgermeister *bey uns sehr vieles contribuiert: denn sonst vvyrde man in Zusammenhaltung dessen, vvas heut zu Tage solche Prinzen thun, die noch lange nicht sind, vvas Cicero gevvesen, leicht erkennen, daß man entvveder diese einer noch viel grœssern Großsprecherey beschuldigen, vvelches sich vvohl niemand unterstehen vvird; oder Ciceronem von aller unanstændigen Ruhmræthigkeit lossprechen mysse.* Et in nota imæ margini adjecta hæc adjungit: *Wer diesen Brief (an Luccejum) Ciceroni verybelt, muß vielmehr denjenigen Prinzen es verybeln, die um gevvisse Pensionen sich ordentliche Historiographos bestellen.* At hisce recte oppositeris illud Horatianum:

Nil agit exemplum litem quod lite resolvit.

Vel an forte personæ dignitas omnem intempestivæ jactantiæ maculam & vanitatem abstergit? Et quidni fas esset dicere, eos, qui mercede conducuntur, ut Principis alicujus res gestas conscribant, plerumque similes esse iis, qui conducti in funere dicunt faciuntque prope plura dolentibus. Quanto rectius ille, quem Persius Sat. I. inducit:

Non ego, quum scribo, si forte quid aptius exit,
Quando hæc rara avis est, si quid tamen aptius exit,
Laudari metuam: neque enim mihi cornea fibra est:
Sed recti finemque extremumque esse recuso
Euge tuum, & belle! Nam belle hoc excute totum:
Quid non intus habet?

denda, nomen ut noſtrum ſcriptis illuſtretur, & celebretur tuis. Quod etſi mihi ſæpe oſtendis te eſſe facturum, tamen ignoſcas velim huic feſtinationi meæ. Genus enim ſcriptorum tuorum, etſi erat ſemper a me vehementer exſpectatum, tamen vicit opinionem meam; meque ita vel cepit, vel incendit, ut cuperem quam celerrime res noſtras monumentis commendari tuis. Non enim me ſolum commemoratio poſteritatis ad ſpem quandam immortalitatis rapit; ſed etiam illa cupiditas, ut vel auctoritate teſtimonii tui, vel indicio benevolentiæ, vel ſuavitate ingenii, vivi perfruamur. - - Neque tamen ignoro, quam impudenter faciam, qui primum tibi tantum oneris imponam; (poteſt enim mihi denegare occupatio tua) deinde etiam, ut ornes me, poſtulem. Quid ſi illa tibi non tantopere videntur ornanda? Sed tamen qui ſemel verecundiæ fines pertranſierit, eum bene & naviter oportet eſſe impudentem. Itaque te plane etiam atque etiam rogo, ut & ornes ea vehementius etiam, quam fortaſſe ſentis, & in eo leges hiſtoriæ negligas, gratiamque illam, de qua ſuaviſſime quodam in proœmio ſcripſiſti, a qua te affici non magis potuiſſe demonſtras, quam Herculem Xenophontium illum a voluptate: ea ſi me tibi vehementius commendabit, ne aſpernere, amorique noſtro pluſculum etiam, quam concedit veritas, largiare. Quod ſi te adducemus ut hoc ſuſcipias, erit ut mihi perſuadeo materies digna facultate & copia tua. - - Quod ſi a te non impetro, hoc eſt, ſi quæ te res impedierit, (neque enim fas eſſe arbitror quidquam me rogantem abs te non impetrare) cogar fortaſſe facere, quod nonnulli ſæpe reprehendunt; ſcribam ipſe de me, multorum tamen exemplo & clarorum virorum. Sed quod te non fugit, hæc ſunt in hoc genere vitia: & ut verecundius de ſe ſcribant neceſſe eſt, ſi quid eſt laudandum: & prætereant, ſi quid forte reprehendendum eſt. In *Orationibus* etiam *Catilinariis* modum in jactantia tenere haud potuit. Tertia in *Catilinam* habita ita incipit: *Rempublicam, Quirites, vitamque omnium veſtrum, bona, fortunas, conjuges, liberoſque veſtros, atque hoc domicilium clariſſimi imperii, fortunatiſſimam pulcherrimamque urbem, hodierno die Deorum immortalium ſummo ergo vos amore, laboribus, conſiliis, periculiſque meis ex flamma atque ferro ac pæne ex faucibus fati ereptam, & vobis conſervatam ac reſtitutam videtis. Et, ſi non minus vobis jucundi atque illuſtres ſunt ii dies, quibus conſervamur, quam quibus naſcimur, quod ſalutis certa lætitia eſt, naſcendi incerta conditio: & quod ſine*

ſenſu

sensu nascimur, cum voluptate conservamur: profecto, quoniam illum, qui hanc urbem condidit, Romulum, ad Deos immortales benevolentia famaque sustulimus; esse apud vos posteroscque vestros in honore debebit is, qui eandem hanc urbem conditam amplificatamque servavit. Nam totius urbis templis, delubris, tectis ac mœnibus subjecto: prope jam ignes circumdatosque restinximus; iidemque gladios in rempublicam destrictos retudimus, mucronesque eorum a jugulis vestris rejeximus. Non negamus *Ciceronem* orta fœda illa Catilinæ & Sociorum conjuratione *boni Civis & strenui Consulis* officia adimplesse: at hæc toties totiesque non erant in Senatu repetenda, sed aliorum potius gratulationibus permittenda. (*) *Paradoxo* IV. in *Clodium* jure quidem invehitur; at ita, ut laudes suas pleno gutture ebuccinet. *Ac vide* (inquit) *quam ista tui latrocinii tela contemserim. Jactam & immissam a te nefariam in me injuriam semper duxi: pervenisse ad me, nunquam putavi: nisi forte cum parietes disturbabas, aut cum tectis sceleratas faces inferebas, meorum aliquid ruere, aut deflagrare arbitrabare. Nihil neque meum est, neque cujusquam, quod auferri, quod eripi, quod amitti potest. Si mihi eripuisses divinam animi mei constantiam, meas curas, vigilias, consilia, quibus respublica, te invitissimo, stat; si hujus æterni beneficii immortalem memoriam delevisses, multo etiam magis, si illam mentem, unde hæc consilia emanarunt, mihi eripuisses, tum ego accepisse me confiterer injuriam.* Neque diffitetur ipse *Cicero* se hoc vitio laborare *lib.* IX. *Epist. ad divers.* ad *Dolabellam* generum, *Sum* (inquit) *avidior, quam satis est, gloriæ:* & paucis interjectis: *Etsi contentus eram tua gloria, satisque ex ea magnam lætitiam voluptatemque capiebam, tamen non possum non confiteri, cumulari me maximo gaudio, quod vulgi hominum opinio socium me adscribat tuis laudibus. Attico* ita scribit lib. I. Epist. 10. *Laudis avidissimi semper fuimus, & præter cæteros* φιλέλληνες *& fumus & habemur, statimque me ambitio quædam ad honorum studium, te autem minime*

(*) Non potuit non molesta esse Romanis, & invidiam Ciceroni concitare frequentior & intempestiva hæc meritorum suorum in rempublicam laudatio: etenim ut Sosia ille Terentianus humani ingenii indolem scite expressit:

– – – – Isthæc commemoratio
Quasi exprobratio est immemoris beneficii.

minime reprehendenda ratio ad honestum otium duxit. Ipsemet sensit hanc laudis cupiditatem aliorum obtrectationibus obnoxiam esse; hinc in *Oratione* pro *domo sua* ita ait: *Quoniam*, inquit, hoc *reprehendis, quod solere me dicas de me ipso gloriosius prædicare, quis unquam audivit, cum ego de me* (*) *nisi coactus ac necessario dicerem? Nam si cum mihi furta, largitiones, libidines, objiciuntur, ego respondere soleo, meis consiliis, periculis, laboribus, patriam esse conservatam, non tam sum existimandus de gestis rebus gloriari, quam de objectis non confiteri.* Sed quis non videt eloquentissimum Consulem rethoricari? Probandum esset se objectorum criminum reum non esse, non vero ad alia recte facta provocandum. Taxat hanc ambitionem in *Cicerone* ipse *Schottus*; sed excusare nititur dicendo: *Quæ cum ita sint, efficitur, quod jam disputatum est, puerorum, opificum, poëtarum, militarium, ac denique philosophorum, hoc gloriæ studium cum Cicerone commune fuisse, excusationemque quandam habere, ut gentium vitia.* At æternæ sunt, *Schotte*, virtutis & vitiorum leges, neque in uno excusari, in altero reprehendi possunt. Hinc recte mea opinione *Plutarchus* in vita magni hujus viri dixit: *Fuit ejus auctoritas in civitate summa: verum invidiam conflavit sibi nullo quidem ille flagitio; sed quod*

(*) Pari ferme ratione Ciceronis defensionem suscepit elegantissimus scriptor Gallus, Abbas de SAINTREAL, operum Tom. III. part. II. in notis ad epistolas Ciceronis ad Atticum passim, inprimis vero ad libr. I. epist. XIV. pag. 485. seq. ubi inter alia hunc in modum disserit: „ Le „ réproche qu'on lui fait le plus communement, c'est celui de s'être „ trop vanté; & dans le vrai, à n'en juger que par ses actions publiques, „ comme ceux qui le blâment en jugent, il seroit difficile de n'être pas de „ leur avis. Mais s'il y a des cas, comme il y en a sans doute, où un „ homme d'état peut avoir de bonnes raisons de se donner des airs de „ vanité en public; avant que de prononcer contre Ciceron, sur ceux „ qu'il s'est donné dans ses oraisons, il faut examiner s'il n'étoit point „ dans ce cas-là. Or il est évident par ces lettres, qu'il y étoit, si „ jamais homme y fut; & que si son panchant le portoit à se vanter, „ jamais passion ne se satisfit avec tant de raison, que la sienne. „ Quod dein pluribus confirmat, tandemque ita concludit: „ Il étoit donc „ necessaire qu'il parlât de lui même aussi magnifiquement qu'il faisoit „ quelquefois. Tout ce qu'on peut dire, est qu'il faisoit autant par „ vanité, que par raison: mais il est difficile d'avoir cette pensée, si „ l'on considére de quelle maniere il rapporte dans cette lettre (ad Attic. libr. I. epist. 14.) un discours qu'il avoit fait à sa loüange, &c. &c. Conf. eundem p. 559. 605. 606.

se ipse laudaret, & celebraret assidue, offendit multos: Ubique enim, sive in senatu, sive in concione, sive in judiciis, habuit in ore Catilinam, & Lentulum. Libros denique & scripta laudibus implevit suis, jucundissimamque suam & venustissimam dictionem odiosam reddidit & ingratam auditoribus, hac eum, quasi morbo aliquo, semper comitante importunitate.

IV.

Sed pergamus ad alia, quæ naturam indolemque ingenii *Ciceronis* nobis possunt manifestam facere. Quibus hæc temperamenti inest ratio, ii ut plurimum *vivida imaginandi dicendique* vi instructi sunt, præterea in variis vitæ casibus *varii*, *tristitiæque* cumprimis, & *meticulositati*, dediti. Et ad primum quidem quod attinet, nemo ignorat, *Ciceronem* eloquentiæ laude cunctos ætatis suæ superasse, neque quemquam ita dicendo valuisse ut eum *elegantia* sermonis, & dicendi peritia æquaret. Cum autem eloquentia, vel in *ipso dicendi genere* & *stylo*, vel in *ipsa natura rerum*, quæ proferuntur, consistat; dubium non est, quin si dicendi genus, stylumque ejus consideres, hanc eloquentiæ laudem *Ciceroni* erepturus nemo sit. Quod autem ad *res ipsas*, seu latentem sub verbis sensum spectat, nullus dubio asserere multoties nostrum a genuina eloquentiæ norma recessisse. (*) *Veri nominis*

(*) Aliam sibi veræ eloquentiæ formam proposuit Cicero, quæ quanquam a sapientia non esset sejuncta, multo tamen latius pateret, & artificio uteretur ad persuadendum ea, quæ alias sapientia frustra præciperet ac inculcaret: Hinc de oratore, lib. I. c. 12. „ Maximam, inquit, Ora„ toris vim existere in hominum mentibus, vel ad iram, aut ad odium, „ aut dolorem incitandis; vel ab hisce iisdem permotionibus ad lenita„ tem misericordiamque revocandis. „ Equidem si res tantum nobis esset cum hominibus errori obnoxiis, aut officiorum ignaris, nullis vero affectibus in transversum actis; omnino sufficeret res ordine dicere, clare exponere ac probare, ut persuaderentur; neque ita eloquentia a sapientia vel tantillum differret: Sed fere alloquimur homines, qui præter errores adeo obnoxii sunt affectibus, ut persuaderi non possint, nisi ea afferas, quæ non ad docendum tantum, sed etiam ad commovendum faciunt. Est itaque Oratoris, sapientiam reddere amabilem, atque efficere, ut homines qui affectibus ducuntur, ejus pulchritudinem persentiscant, mirentur, ament; quorsum spectant omnia Rhetorum artificia. Ut adeo recte CANZIUS pronuntiaverit, oratoriam nihil esse quam sapientiam ornate loquentem. Egregius extat in hanc rem locus in dia-

minis eloquentia iisdem nititur legibus, quibus *ars ratiocinandi*. Qui recte de argumento aliquo loqui vult, eum prius oportet recte de eodem ratiocinari: ad recte autem cogitandum requiritur, ut quis perspicuam rei, de qua agitur, notionem animo habeat impressam, adeoque statum, ut vocant, quæstionis rite intelligat; ut quicquid probat, ex certis immotisque, quantum natura rei patitur, repetat principiis; ut omnia, quæ ad quæstionem resolvendam vel probandam nihil conferunt, resecet &c. Orator nullum alium scopum habere debet, quam hunc potissimum, ut nimirum probet, quod probandum est, & aliis persuadendum in se suscepit. Efficiendum igitur, ut verbis utatur adeo perspicuis & ab omni æquivocatione remotis, ut auditores non possint non intelligere statum quæstionis: argumenta eum in finem adhibere debet simplicissima, efficacissima, & ingenio auditorum attemperata; nihil adferre, quod pretium rei minuere, vel ultra modum extollere possit; meteora, emblemata, figuras, verbo, omnes locutiones obscuras & minus proprias, quantum fieri potest, evitare debet, & quæ alia sunt, quæ ad veram eloquentiam faciunt, de quibus *Lokius* de intellectu humano, *Clericus* in *arte critica* & *Parrhasianis*, *Werenfelsius* de meteoris orationis, aliique viri docti, observanda monuerunt. Si ad *hanc normam* ipsius eloquentiam exigamus, patebit, non semel eum ab hac regula discessisse: & quis nescit stylum ejus ita comparatum, ut vocibus, phrasibusque idem significantibus scateat? quoties atrocia minuere, exigua extollere solet? quoties pro affectibus suis rethoricationibus undiquaque quæsitis, posthabita veritate, utitur? Rem exemplis demonstravit *eruditissimus* (pene dixissem celeberrimus) *Clericus* in *Quæst. Hieronym.* pag. 248. sqq. Adferamus quædam ex iis: in genere de *Cicerone ait* cl. vir: *Cicero dum modo dicat, quod ad rem præ-*

logo de causis corruptæ eloquentiæ: „ Is est Orator, qui de omni quæ„ stione (non tantum vere & perspicue,) sed pulchre & ornate, & ad „ persuadendum apte dicere, pro dignitate rerum, ad utilitatem tem„ porum, cum voluptate audientium possit. Hæc sibi illi veteres per„ suadebant; ad hæc efficienda intelligebant opus esse, non ut Rhe„ torum scholis declamarent, - - - sed ut his artibus pectus imple„ rent, in quibus de bonis ac malis, de honesto ac turpi, de justo & „ injusto disputatur: - - - De quibus nemo copiose & varie & ornate „ dicere potest, nisi qui cognovit naturam humanam, & vim virtutum, „ pravitatemque vitiorum, & intellectum eorum, quæ nec in virtutibus „ nec in vitiis numerantur, &c. &c.

sentem facit, poteſque audientes commovere, non tantum non magnopere quærit an verum ſit; ſed ne id quidem curat, an aliter alias ſit locutus. Quod vitium fuit declamatoris, in utrumque dicere parati, & victoriam, non veritatem ſpectantis. - - Rem non diffitetur Cicero in oratione pro Cluentio, cap. L. *Inſimulatus enim inconſtantiæ, quod male antea ſenſiſſet de Cluentio, deque judicio, quo ille vitricum reum peregerat, quaſi pecunia corrupto, eſſet locutus; perelegantur quidem ſe tuetur, ſed ita, ut culpam fateatur, quam tamen conſuetudine cæterorum oratorum elevat. Recitavit, inquit, ex neſcio qua Attius (Cluentii accuſator) oratione, quam meam eſſe dicebat, cohortationem quandam judicum ad honeſte judicandum, & commemorationem, cum illorum judiciorum, quæ probata non eſſent, tum illius ipſius judicii Juniani (quo Cluentius oppreſſerat vitricum) perinde quaſi ego non ab initio hujus defenſionis dixerim, invidioſum fuiſſe illud judicium, aut cum de infamia judiciorum diſputarem, potuerim illud, quod tam populare eſſet, in illo tempore præterire. Ego vero, ſi quid ejuſmodi dixi, neque cognitum commemoravi, neque pro teſtimonio dixi, & illa oratio potius temporis mei, quam judicii & auctoritatis fuit. Cum enim accuſarem (C. Verrem in I. actione) & mihi initio propoſuiſſem, ut animos & populi Romani & judicum commoverem; cumque omnes offenſiones judiciorum, non ex mea opinione, ſed ex hominum rumore proferrem, iſtam rem, quæ tam populariter eſſet agitata, præterire non potui.* Quis hiſce lectis (inquit) cl. *Clericus non crederet, ſi non antea, at nunc Ciceronem ex animo loqui, & falſam invidiam, quemadmodum initio orationis contendit, Cluentio conflatam fuiſſe? Attamen cum ſecundum eum jus dictum eſſet, ſe tenebras* (verba ſunt *Quintiliani de inſtit. orat. lib. II. cap.* 17.) *offudiſſe judicibus, in cauſſa Cluentii gloriatus eſt.* Pergit vero ipſe apertius rem declarare hiſce verbis: *Sed errat vehementer, ſi quis in orationibus noſtris, quas in judiciis habuimus, auctoritates noſtras conſignatas ſe habere arbitratur; omnes enim illæ orationes cauſarum & temporum ſunt, non hominum ipſorum ac patronorum. Nam ſi cauſſæ ipſæ pro ſe loqui poſſent, nemo adhiberet Oratorem; nunc adhibemur, ut ea dicamus, non quæ noſtra auctoritate conſtituantur; ſed quæ ex re ipſa, cauſſaque ducantur.* Poſtea affert exemplum L. *Craſſi*, qui cum ſimile quid ei objiceretur, in reſpondendo expoſuit utriuſque rationem temporis, ut oratio ex re & cauſſa habita videretur. *At ſi hoc liceat Oratori, non amplius definiendus, ut docent*

Cicero

Cicero & Quintilianus non uno loco, vir bonus, dicendi peritus; sed vir callidus, sentiendi pro re nata, & dissimulandi peritus. Hactenus *Clericus*. Cujus sequentia etiam, quæ adfert, lectione digna sunt. Non jam dicam, hanc agendi rationem, virum, qualis fuit *Cicero*, quammaxime dedecere: hoc unum observo, consuetudinem etiam, vel potius imaginationis vim, qua exornatus fuit vir eximius, ultra quam veritatis regulæ sustinent, eum rapuisse sæpissime; (*) nec enim malitiæ semper, aut soli studio defendendi quod voluerat atribuerim, quod orationibus sæpe veritatis limites transgressus erat; sed id crediderim, multas varias rationes illius animo obversantes, aliquando eum ita turbasse, ut quas potissimum adduceret, ignoraverit. Quo ingenio ornatus fuerit patet ex eo etiam, quod ad *jocos*, *verborum lusus & sales* proferendos fuerit quammaxime *inclinatus*. Nota est *Catonis junioris*, audita *Ciceronis* pro *L. Muræna* oratione, in qua Stoicorum παραδοξα falsæ risit, vox: *O quam ridiculum Consulem habemus!* *Plutarchus* in vita *Ciceronis*: Ἡ δε περι τα σκωμματα και την παιδιαν ταυτην ἐυτραπελια δικανικον μεν ἐδοκει και γλαφυρον. Χρωμενος δε αὐτη καταυρως πολλις ἐλιπει, και κακοηθειας ἐλαμβανε δοξαν. Iterumque: Κικερων δε πολλαχυ τω σκωπτικω προς την βωμολοχυν ἐκφερομενος και πραγματα σπυδης ἀξια γελωτι και παιδια κατειρωνευομενος ἐν ταις δικαις εις το χειροδες ὠφειδει τυ πρεποντος. Pluribus hoc ostendit *Schottus* in defensione *Ciceronis*, cap. 5. & 6. Quin hæc ostendant vim imaginationis, animique ad voluptates inclinantis impetus nemo dubitaverit. Eodem ex fonte repetendum, (**) quod ex lusu verborum magnam

(*) Huc trahi potest, quod habet Autor dialogi de causis corruptæ eloquentiæ: „ Cicero his (ut opinor) verbis, quicquid in eloquentia effecerit, id se non Rhetorum, sed Academiæ spatio consecutum. „ Cum enim, ut ipse Cicero circa finem libri II. de divinatione ait, proprium sit Academiæ judicium suum nullum interponere, ea probare quæ simillima veri videantur, conferre causas, & quid in quamque sententiam dici possit expromere, nulla adhibita sua auctoritate judicium audientium relinquere integrum ac liberum; hæc oratorem ad tractandas causas probabiles maxime idoneum formare potuit.

(**) Ridiculum aliquando magis, quam facetum fuisse Ciceronem agnoscunt multi. Auctor dial. de causis cor. eloq. postquam judicium suum de Cicerone oratore pluribus explicasset, subjungit: „ Fugiat fœdam & insulsam „ scurrilitatem, variet compositionem, nec omnes clausulas uno & eo-

gnam captaverit ingenii laudem: ex gr. act. VI. in *Verrem* inter alia dixit, fore ut omnia *verreret*, cum diceretur *Verres*. *Herculi* quoque, quem expilaverat, moleſtiorem ait fuiſſe *apro Erymanthio*, Sacerdotem ad hæc malum cui *Verres* ſucceſſerat, qui tum nequam *Verrem* ſacrificaſſet, quaſi porcum ſacrificare oportuerit. Cum in eodem *Verris* judicio teſtem roganti dixiſſet *Hortenſius*, non intelligo hæc ænigmata, at qui debes, inquit *Cicero*, *cum Sphingem domi habeas*, acceperat autem illam a *Verre* æneam ingentis pretii Sphingem, ut in *Ciceronis* vita Plutarchus refert. Hæc nimirum multum faciunt ad accuſandum Verrem! Patet tertio temperamenti illius ſanguinei vis & efficacia ex *inconſtantia*, & *levitate* in *ratiocinando* & *agendo*: exempla affert cap. X. doctiſſimus *Schottus*, pauca ex eo excerpemus. *Jurisprudentiam rei militari* longe poſtponit in *Muræniana*, cauſſæ nimirum ſubſerviens. At in *Officiis* ſui immemor, *Togam Sago*, conſulatus ſui prædicandi gratia, longe judicat præſtantiorem, tritum illum verſum adhibens,

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Latinam linguam *inopem* deprædicat *Orat. pro Cæcina.* Lib. III. *de finibus* & I. de Nat. D. *Divitem* contra, atque adeo græca *locupletiorem* principio libri I. & III. de finibus pronuntiat. Epiſtola quoque ad Q. *fratrem* Græcis accepta fert omnia. *Tuſculana* vero altera Græciam verborum penuria laborare contendit. Poëtas vituperare libro I. de N. D. videtur; eoſdem in ea quam pro *Archia Poëta* habuit ſic defendit,

„ dem modo determinet. Nolo irridere ROTAM FORTUNÆ & JUS VERRINUM, & illud tertio quoque ſenſu in omnibus pro ſententia poſitum „ ESSE VIDEATUR „ Elegantiſſimus & acris judicii vir G. Fr. MEJERUS Halenſis, in nuper edito libello de ſalibus & facetiis lectu digniſſimo §. 55. ita judicat: „ Zu dieſem Klappervverk in Scherzen rechne „ ich alle Zvveideutigkeiten, Anſpielungen auf Nahmen, Verſezungen „ der Buchſtaben &c. und vvie dieſe Kindereyen alle heiſſen mœgen. „ Des Cicero Jus Verrinum iſt ein zu oft gepeitſchter Spaſs, als daſs ich „ nœthig hætte denſelben zu tadeln. Man findet mehr dergleichen „ in eben dieſem Schriftſteller, inſonderheit in ſeinen Briefen und in „ den Reden vvider den Verres. „ Adeo verum eſt quod ipſe Cicero de orat. lib. II. obſervaverat: „ Non ſunt omnia ridicula faceta. „ Ciceronem tamen data opera acriter defendit Fr. VAVASSOR de ludicra dictione cap. VII, & IX. ubi omnia ejus jocoſe dicta collegit.

defendit, & laudibus in cœlum tollit, ut vel Heracleenſem hominem Poëticæ nomine romana donandum civitate confirmet. Horum fabulas etiam rejicit lib. III. de Nat. D. utitur tamen non raro ornatus gratia fabuloſis narrationibus, ut in *Verrinis actionibus* de *Proſerpina*; item Tuſculana tertia fuſe narrat, *Niobem* in *lapidem*, *Hecubam Priami in canem ob maledicentiam eſſe converſam.* Ita *Stoicos* mox *laudat*, mox turpiter *exagitat.* Quid cum *uxore Terentia*, *Cæſare*, *Pompejo* actum ſit, norunt eruditi omnes: conferatur libellus, cui titulus: *Hiſtoire des quatre Cicerons*, & *diſſertatio diario literario cui titulus*: le *Journal literaire*, inſerta. Ad hæc quin natura multum contulerit, dubitare non poſſumus. Denique idem probat nimia ejus *mollities & triſtitia*, quam in morte *Tulliæ* ſuæ, & cum in exilio eſſet, demonſtravit, cum tamen videri vellet vir conſtantiſſimus fortiſſimuſque. In morte filiæ omnes amicorum conſolationes aſpernatus eſt, neque *ullum* in dolore adhibuit modum. Sane illi dictum eſſe debuiſſet illud *Phædri*

Parce oportet gaudere & ſenſim quæri,
Totam quia vitam miſcet dolor & gaudium.

(*) At expertus eſt *Cicero* aliud eſſe de virtute loqui, aliud eam exercere. In hac animi *Ciceronis* indole exponenda, ſtudio prolixior fui,

(*) Non poſſum hic ſilentio præterire, quæ noviſſime de Ciceronis ingenio legi dans la Bibliotheque critique, ou Memoires pour ſervir à l'hiſtoire litteraire ancienne & moderne; qui libellus hoc anno Berolini edi cœptus eſt, particul. II. p. 109. ſeq. C'eſt dommage qu'un homme qui penſoit & qui parloit auſſi bien que Ciceron, ait eu des foibleſſes auſſi grandes que l'étoient celles, qui ont terni la gloire de ce célébre Romain. On découvre dans le cours de ſa vie un nombre de baſſeſſes indignes d'un grand homme. Il rampoit ſervilement devant Céſar, lorſqu'il étoit le maître, & lui prodiguoit les loüanges les plus flateuſes: & bien loin de conſerver dans ſes diſcours la ſage retenue d'un Philoſophe, il tenoit le langage d'un courtiſan adulateur. Dès que Céſar fut mort, ce même Ciceron, qui vantoit ſi fort ſon équité, le traita de Tyran, applaudit à ſes meurtriers, les éleva juſqu'au ciel, „ Sed ex „ plurimis malis, quæ (a Cæſare) Reip. ſunt inuſta, hoc tamen boni „ eſt, quod didicit jam populus romanus, quantum cuique crederet, „ quibus ſe committeret, a quibus caveret. Hæc igitur non cogitas? „ nec intelligis ſatis eſſe viris fortibus didiciſſe, quam ſit re pulcrum, „ beneficio gratum, fama glorioſum, Tyrannum occidere. „ Ce n'eſt pas à un de ſes amis que Ciceron parloit ainſi, c'étoit devant le peuple

ſui, vel eum in finem, ut eo melius de hominis hujus ſententia circa Religionem judicare poſſimus.

V.

Devenimus nunc ad caput cauſæ, inquiſituri, utrum *Cicero Atheus*, & omnis Religionis hoſtis atque irriſor fuerit: Cl. *Reimannus*

romain. Un Philoſophe ſera toujours choqué après avoir lû ce paſſage de la ſeconde Philippique, lorſqu'il jettera ſes yeux ſur le commencement de l'Oraiſon pour le Roi Dejotarus: „ Perturbat me, C. Cæſar, etiam „ illud interdum: quod tamen, cum te penitus recognovi, timere deſino. „ Re enim iniquum eſt, ſed tua ſapientia fit æquiſſimum. - - - - „ Nemo enim fere eſt, qui ſui periculi judex, non ſibi ſe æquiorem, „ quam res, præbeat. Sed tua, Cæſar, præſtans ſingularisque natura „ hunc mihi metum minuit. „ Il eſt difficile de n'être pas indigné de voir un Philoſophe, tel que Ciceron, qui ſe piquoit de la plus auſtere vertu, pouſſer l'adulation auſſi loin, pour un homme qu'il régardoit comme le raviſſeur & le deſtructeur de la liberté publique, enfin comme un Tyran odieux. Ce ſeroit envain que, pour excuſer ſa diſſimulation, on diroit, qu'il étoit néceſſité de flatter Céſar pour le rendre favorable à Dejotarus. Il eſt un juſte milieu entre un froid compliment, & un Eloge qui ne convient qu'à la plus eminente vertu. On peut loüer un homme, dont on veut captiver la bienveillance, avec dignité, ſans tomber dans la baſſe & lache flatterie. Après avoir dit ce que nous penſons des defauts que nous croyons appercevoir dans le caractere de Ciceron, nous l'excuſerons ſur le réproche que lui font quelques perſonnes, d'avoir toujours paru indecis dans les matieres philoſophiques, qu'il a traitées. Ciceron étoit doué d'une ſi grande pénétration; il voioit ſi bien le pour & le contre d'un ſyſtéme, qu'il ne ſe determinoit qu'apres avoir bien conſideré les differens ſentimens. Il faiſoit gloire de ſuſpendre ſon jugement dans les queſtions qui lui paroiſſoient douteuſes; & il croioit n'apercevoir que de la probabilité dans la plûpart de celles, où des gens moins éclairés que lui croioient découvrir de l'évidence. Il avoüoit franchement qu'étant homme & par conſequent très ſujet à ſe tromper, on devoit être ſatisfait, s'il ſoutenoit ſes opinions ſeulement comme probables: „ Æquum eſt enim, dit-il, meminiſſe, & me qui „ diſſeram hominem eſſe, & qui judicetis, ut ſi probabilia dicuntur, „ nihil ultra requiratis. „ Tuſcul. quæſt. lib. I. Ciceron étoit de la ſecte des Academiciens, dans laquelle on avoit accoutumé de rapporter egalement tout ce qui favoriſoit & détruiſoit l'opinion, qu'on vouloit établir: ainſi Ciceron écrivant dans l'eſprit de la ſecte à laquelle il étoit attaché, il eſt naturel, qu'il ait traité certaines queſtions dans le goût des Sceptiques.

nus adducit in historia Atheismi J. *Jaquelot*, J. P. *Grünebergium*, *Struvium*, *Löscherum*, *Cæsarem Vaninum*, *Collinum*, *Tolandum*, gravissimi criminis reum peragentes nobilissimum virum. Non equidem adducit rationes illorum virorum doctorum omnes, sed generales duntaxat. Ad manus nobis non sunt omnium illorum citatorum auctorum libelli, neque tamen silentio præteribimus accusationes, quas quidem contra eum allatas esse scimus: antequam autem rationes, quibus ipsum defendimus, in medium adferimus, quædam præmonenda esse ducimus. Et *primo* quidem notum est, *Ciceronem* in scriptis suis non solum plures semper personas loquentes induxisse, ut sæpius ignores, cujus potissimum sententiæ album adjiciat calculum; sed & ob nimium eloquentiam suam probandi studium, æstu sæpe abreptum fuisse adeo, ut plura dixerit, quam forte ipse cogitaverat; unde difficile est perquam, mentem ipsius ubique intelligere. (2) Diversarum sectarum principia admittebat. *Academiæ novæ*, & *veteri*, imo *Stoicorum* etiam & *Peripateticorum decretis erat addictus*, uni tamen magis quam alteri. Hinc denuo difficile est sententiam ipsius capere. (3) Certum est, libertatem summam philosophandi viris eruditis Romæ fuisse concessam. *Epicurei* non minus libere sententiam suam proferebant in medium, quam alii: unde sequitur, *Ciceronem*, si quidem in *Epicuri* castra voluisset digredi, aut opiniones etiam periculosas fovere, sine metu pœnæ eas tueri & defendere potuisse. Accedit (4.) quod superstitiosas opiniones publice receptas (quod omnium minime sacrificuli pati possunt) acerbissime & liberrime taxaverit atque perstrinxerit. Quæ certe efficiunt, ut credamus, eum locutum esse, ut sensit; neque omnem religionem proscripsisse. Hisce in antecessum notatis, probabimus *Ciceronem* (*) Deum, mentem præstantissimam admisisse: (2.) Ejus providam curam in dubium non vocasse: (3.) leges

(*) Erasmus in præfat. ad Tuscul. Ciceronis: „ Ubi nunc agat anima „ Ciceronis, fortasse non est humani judicii pronunciare. Me certe non „ admodum adversum habituri sunt in ferendis calculis, qui sperant eum „ apud superos quietam & tranquillam vitam agere. Nulli dubium esse „ potest, quin crediderit aliquod esse Numen, quo nihil esset neque „ majus, neque melius. Porro quid senserit de animorum immortali„ tate, quid de diversa sorte præmiisque vitæ futuræ, tum quanta fue„ rit sinceræ conscientiæ fiducia; si non satis declarant tot ejus libri, „ certe vel una illa epistola satis arguit, quam ad Octavium scribit, „ jam, ut apparet, destinata morte. „

quasdam naturales a Deo mortalibus concessas agnovisse : & (4.) tandem opinionem de immortalitate mentis inter ea retulisse, quæ maxime probabilia, & rationi quammaxime consentanea esse videntur. Et ad primum quidem quod attinet, ita incipit Cicero primum suum librum de natura Deorum: *Cum multæ res* (inquit) *in philosophia nequaquam satis adhuc explicatæ sunt, tum perdifficilis Brute* (quod tu minime ignoras) *& perobscura quæstio de natura Deorum, quæ & ad agnitionem animi pulcherrima est, & ad moderandam religionem necessaria.* Videtur hic *Cicero* non obscure innuere, quid de Deo, ejusque natura sentiat. Doctissimus *Davisius* recte mea opinione monet, hanc fuisse sententiam Ciceronis : cum multi Philosophi mentem divinam esse censuerint, hanc disputationem animo cognoscendo fore utilem, quod indagata Deorum natura simul eluceseeret mentis humanæ ratio. Illustris *Bouhier* in *Davisii* sententiam concedit, & postquam sententiam ipsius *Ciceronis* de mente humana explicuisset, addit: „ Quæ vel ideo adjicimus, „ quod aliqualiter mentem Ciceronis de natura Dei pandant. „ Locis illis, inquit ill. *Bouhier*, possis addere de *Somn. Scip.* cap. VIII. ubi sub persona *Scipionis Africani* ita differit: „ Tu vero enitere, & sic habeto, te non esse mortalem, sed corpus hoc: nec „ enim tu is es, quem forma ista declarat; sed mens cujusque, is „ est quisque : non ea figura, quæ digito demonstrari potest. „ Deum te igitur scito esse; siquidem Deus est, qui viget, qui „ sentit, qui meminit, qui providet, qui tam regit, & moderatur, & movet id corpus, cui præpositus est, quam hunc mundum ille princeps Deus : & ut mundum ex quadam parte „ mortalem ipse Deus æternus, sic fragile corpus animus sempiternus movet. Nam quod semper movetur, æternum est, &c. „ Et illud e fragmento *Timæi*, pag. m. 696. *Animum igitur cum ille procurator mundi Deus ex sua mente & divinitate genuisset.* Tertium illud e libro I. de *divinat.* cap. 49. quod videtur ad illius explicationem esse scriptum. *A natura Deorum, ut doctissimis sapientissimisque placuit, &c.* Et lib. V. *Tusc.* cap. 13. *Humanus autem animus decerptus ex mente divina &c.* Hæc loca satis perspicue videntur docere, nonsolum quid de mentis humanæ natura senserit *Cicero*; sed & eundem institutа cum mentis humanæ natura comparatione professum, Deum existere, naturam ejus esse intellectua-

lem,

lem, esse *vigentem*, *sentientem*, & *omnibus prospicientem*. Hoc ipso libro, I. sect. ait: *Maxime probabile esse*, *Deos esse*, & *eo nos omnes duce natura vehi*. Sect. IV. gravissima *incommoda*, quæ cum sententia eorum, qui Deos negant, conjuncta sunt, profert, taciturus uti videtur, aut mitius locuturus, si ipsemet *Atheus* plane & religionis hostis fuisset. *Atque haud scio* (ait) *an pietate adversus Deos sublata*, *fides etiam*, & *societas humani generis*, & *una excellentissima virtus justitia tollatur*. In libris de *divinatione*, ut notum est, deceptrices illas & divinatorias artes sustulit, falsæ explosit; at ita tamen, ut simul religionem non omnem subverteret. *Explodatur* (inquit lib. II. sect. 148.) *hæc quoque somniorum divinatio pariter cum cæteris*: *nam ut vere loquamur*, *superstitio fusa per gentes*, *oppressit omnium fere animos*, *atque hominum imbecillitatem occupavit*. *Quod* & *in iis libris dictum est*, *qui sunt de natura Deorum*: & *hac disputatione id maxime egimus*. *Multum enim* & *nobismetipsis* & *nostris profuturi videbamur*, *si eam funditus sustulissemus*. *Nec enim vero* (*id enim diligenter intelligi volo*) *superstitione tollenda religio tollitur*. *Nam* & *Majorum instituta tueri sacris cærimoniisque retinendit*, *sapientis est*: & *esse præstantem aliquam æternamque naturam*, & *eam suspiciendam*, *admirandamque hominum generi*, *pulchritudo mundi*, *ordoque rerum cælestium cogit confiteri*: *quamobrem ut religio propaganda est*, *quæ est juncta cum cognitione naturæ*; *sic superstitionis stirpes omnes ejiciendæ sunt*. In genere notum est, quod *Cicero* systema *Epicuri* plane repudiaverit, atque cum primis, quemadmodum ex lib. I. sect. 18. de *finibus*, & aliis locis constat, ob id quammaxime taxaverit, quod de materia quidem identidem locutus fuerit Epicurus, vim autem & causam efficiendi reliquerit. *Lactantius*, qui certe *Ciceroni* alias parum favet lib. I. de falsa relig. §. 24. „ Quem „ (sc. Platonem) Cicero secutus est, atque imitatus in plurimis, „ Deum frequenter confitetur, ac supremum vocat in iis libris, „ quos de legibus scripsit; ab eoque regi mundum argumentatur, „ cum disputat hoc modo. Nihil est præstantius Deo: ab eo igitur „ regi mundum necesse est: nulli igitur naturæ est obediens aut subjectus Deus; omnem ergo regit ipse naturam. Quid autem sit „ Deus, *in Consolatione definit*: nec vero Deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam & libera, & segregata ab omni secretione mortali, omnia

„ sentiens & movens. „ In oratione pro *Sext. Roscio Amerino* sect. 131. ita loquitur: „ Etenim si Jupiter optimus maximus, cujus „ nutu & arbitrio cœlum, terra, mariaque reguntur, sæpe ven„ tis vehementioribus, aut immoderatis tempestatibus, aut nimio „ calore, aut intolerabili frigore, hominibus nocuit, urbes de„ levit, fruges perdidit, quorum nihil perniciei causa, divino con„ silio, sed vi ipsa & magnitudine rerum factum putamus; at con„ tra, commoda quibus utimur, lucemque qua fruimur, spiritum„ que quem ducimus, ab eo nobis dari & impertiri videmus. „ Supra jam audivimus, Deum ex sententia *Ciceronis* purissimam mentem esse. Extat præterea præclarus locus *Tusc. Quæst. lib. I. sect. 66.* „ Animorum (*inquit*) nulla in terris origo inveniri potest: nihil „ enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra „ natum, atque fictum esse videatur: nihil ne aut humidum qui„ dem, aut flabile, aut igneum. His enim in naturis nihil inest, „ quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quod & præ„ terita teneat, & futura prævideat, & complecti possit præsentia, „ quæ sola divina sunt. Nec invenietur unquam, unde ad homi„ nem venire possint, nisi a Deo. Singularis est ergo quædam „ natura atque vis animi, sejuncta ab his usitatis notisque naturis. „ Ita quicquid est illud quod sentit, quod sapit, quod vult, quod „ viget, cœleste & divinum est, ob eamque rem æternum sit ne„ cesse est: nec vero Deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio mo„ do intelligi potest, nisi mens soluta quædam & libera, segre„ gata ab omni concretione mortali, omnia sentiens & movens, ipsaque „ prædita motu sempiterno. „ Hisce recitatis, sectione 67. 68. & 69. progreditur ad vim, potentiamque Dei, ejusdemque sapientiam in mundi adspectabilis regimine elucentem, celebrandam. Quo facto sect. 70. ita pergit: „ Hæc igitur, & alia innumerabilia cum cer„ nimus, possumusne dubitare, quin his præsit aliquis vel effector, „ si hæc nata sunt, ut Platoni videtur: vel si semper fuerint, ut „ Aristoteli placet, moderator tanti operis & muneris? Sic men„ tem hominis, quamvis eam non videas, ut Deum non vides; „ tamen ut Deum agnosces ex operibus ejus, sic ex memoria rerum, & „ inventione, & celeritate motus, omnique pulchritudine virtutis vim „ divinam (alii legunt *divinæ*, quod rectius esse videtur) mentis „ agnoscito. In quo igitur loco est? credo equidem in capite, &

„ cur

„ cur credam, afferre possum: sed alias. Nunc ubi ubi sit ani-
„ mus, certe quidem in te est. Quæ est ei natura? propria puto
„ & sua. Sed fac igneam, fac spirabilem: nihil ad id, de quo agi-
„ mus. Illud modo videto, ut Deum noris, etsi ejus ignores &
„ locum & faciem; sic animum tibi tuum notum esse oportere,
„ etiam si ejus ignores & locum & formam. In animi autem cog-
„ nitione dubitare non possumus, nisi plane in physicis plumbei
„ sumus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum,
„ nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Quod
„ cum ita sit, certe nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec
„ distrahi potest, nec interire igitur. Est enim interitus qua-
„ si discessus ac secretio ac direptus earum partium, quæ ante
„ interitum junctione aliqua tenebantur. „ Ex his locis patet, *Ciceronem* nonsolum æternam aliquam, præstantissimamque naturam admisisse; sed & eandem ab omni plane re concreta, atque in oculos incurrente solicite accurateque separasse. Verum est, *Ciceronem* in eo *Platonem* aliosque secutum, quod nempe materiæ æternam tribuerit subsistentiam: testis est *Lactantius*, lib. II. cap. 8. „ Nam Cicero (*inquit*) de natura Deorum dispu-
„ tans, sic ait: Primum igitur non est probabile, eam materiam re-
„ rum, unde orta sunt omnia, esse divina providentia effectam,
„ sed & habere & habuisse vim & naturam suam. Ut igitur fa-
„ ber, quum quid ædificaturus est, non ipse facit materiam, sed
„ ea utitur, quæ sit parata, fictorque item cera; sic isti proviben-
„ tiæ divinæ materiam præsto esse oportuerit, non quam ipse fa-
„ ceret, sed quam haberet paratam. Quod si non est a Deo ma-
„ teria facta, ne terra quidem & aqua, & aer & ignis a Deo fa-
„ ctus est. O quam multa sunt vitia in his decem versibus! Pri-
„ mum, quod is, qui in aliis disputationibus & libris fere omni-
„ bus, providentiæ fuerit assertor, & qui acerrimis argumentis
„ impugnaverit eos, qui providentiam non esse dixerunt; idem
„ nunc quasi proditor aliquis, aut transfuga providentiam cona-
„ tus est tollere. „ At male ratiocinatur *Lactantius*, si ex his verbis Ciceronis concludit, omnem providam Dei curam ab eo prorsus fuisse negatam, quod materiæ æternam tribuerit existentiam. Omnes enim veteres Philosophi creationem ex nihilo inficiabantur, saltem concipere non poterant, qua ratione ἐξ οὐκ ὄντων a Deo pro-

duci potuerit; hoc tamen non obstante, Deo potentiam tribuebant ipsam materiam variis modis, quantum natura ipsius patiebatur, movendi & fingendi. Hinc non sequitur, hic vel ille æternitatem materiæ admittit; ergo vel existentiam Dei, vel ejusdem providam in omnia curam negat. De quo tamen pluribus egimus in dissertat. nostris *de atheismo Platoni impacto*, quæ in *amœnit. litt. celeberrimi & amicissimi Schelhornii* legi possunt. Cum primis autem clarissime ex libris *de legibus* patet, Deum mentem purissimam, universitati rerum omnium, hominibus cum primis, prospicientem, leges dedisse naturæ humanæ maxime consentaneas. Lib. I. sect. 21. sqq. incipit demonstrare, quod jus omne repetendum sit a Deo: „ Dasne igitur (*inquit*) hoc nobis, Pomponi, Deorum immor„ talium vi, natura, ratione, potestate, mente, numine, sive quod „ est aliud verbum, quo planius significem, quod volo, naturam „ omnem regi? nam si hoc non probas, ab eo nobis causa or„ dienda est potissimum. - - - Animal hoc providum, sa„ gax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & consilii, „ quem vocamus hominem, præclara quadam conditione genera„ tum esse a supremo Deo. Solum est enim ex tot animantium ge„ neribus atque naturis particeps rationis & cogitationis, cum cæ„ tera omnia sint expertia. Quid est autem, non dicam in ho„ mine, sed in omni cœlo atque terra ratione divinius? quæ cum „ adolevit, atque perfecta est, nominatur rite sapientia. Est igi„ tur, quia nihil ratione melius, eaque & in homine & in Deo; „ prima homini cum Deo rationis societas. Inter quos autem ra„ tio, inter eosdem etiam recta ratio communis est. Quæ cum sit „ lex, lege quoque consociati homines cum Diis putandi sumus. „ Inter quos porro est communio legis, inter eos communio juris „ est. - - - - Itaque ex tot generibus nullum est animal, „ præter hominem, quod habeat aliquam notitiam Dei, ipsis„ que in hominibus nulla gens est, neque tam immansueta, neque „ tam fera, quæ non, etiamsi ignoret, qualem habere Deum de„ ceat, tamen habendum sciat. Ex quo efficitur illud, ut is „ agnoscat Deum, qui, unde ortus sit, quasi recordetur ac noscat. „ Jam vero virtus eadem in homine ac Deo est, neque ullo alio „ ingenio præterea. Est autem virtus nihil aliud, quam in se per„ fecta & ad summum perducta natura. Est igitur homini cum

Deo

„ Deo similitudo. Quod cum ita sit, quæ tandem potest esse pro-
„ prior certiorve cognatio? Itaque ad hominum commoditates &
„ usus tantam rerum ubertatem natura largita est, ut ea quæ gig-
„ nuntur donata consulto nobis, non fortuito nata videantur: nec
„ solum ea, quæ frugibus atque baccis terræ fœtu profunduntur,
„ sed etiam pecudes; quod perspicuum sit, partim esse ad usum
„ hominum, partim ad fructum, partim ad vescendum procrea-
„ tas. - - - - Quibus ratio a natura data est, iisdem etiam
„ recta ratio data est; ergo & lex, quæ est recta ratio in juben-
„ do & vetando. Si lex, jus quoque. At omnibus ratio. Jus
„ igitur datum est omnibus: rectequc Socrates eum execrari so-
„ lebat, qui primus utilitatem a natura sejunxisset. - - - -
„ Tum autem qui non ipso honesto movemur, ut boni viri
„ simus, sed utilitate aliqua atque fructu, callidi sumus, non
„ boni. Nam quid faciet is homo in tenebris, qui nil timet nisi
„ testem, vel judicem? Quid in deserto loco nactus, quem mul-
„ to auro spoliare possit, imbecillum atque solum? Noster qui-
„ dem hic natura justus vir ac bonus, etiam colloquetur, juva-
„ bit, in viam deducet. Is vero, qui nihil alterius causa facit,
„ & metitur suis commodis omnia, videtis credo, quid sit actu-
„ rus. „ Similiter lib. II. §. 8. seq. præclare de hoc argumento
loquitur, dicens: „ Hanc igitur video sapientissimorum fuisse sen-
„ tentiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque
„ scitum aliquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod
„ universum mundum regeret imperandi prohibendique sapientia.
„ Ita principem legem illam, & ultimam, mentem esse dicebant,
„ omnia ratione aut cogentis, aut vetantis Dei: ex qua illa lex,
„ quam Dii humano generi dederunt, recte est laudata. Est enim
„ ratio mensque sapientis ad jubendum & ad deterrendum idonea.
„ Q. Aliquoties jam iste locus a te tactus est: sed antequam ad po-
„ pulares leges venias, vim istius cœlestis legis explana, si pla-
„ cet, ne æstus nos consuetudinis absorbeat, & ad sermonis mo-
„ rem usitati trahat. M. A. parvis enim, Quincte, didicimus,
„ *si in jus vocat*, atque ejusmodi leges alias nominare. Sed
„ vero intelligi sic oportet, & hæc, & alia jussa ac vetita popu-
„ lorum vim habere ad recte facta vocandi, & a peccatis avo-
„ candi: quæ vis non modo senior est, quam ætas populorum
„ & civitatum, sed æqualis illius, cœlum atque terras tuentis &

„ regentis

„ regentis Dei. Neque enim esse mens divina sine ratione po-
„ test, nec ratio divina non hanc vim in rectis pravisque sancien-
„ dis habere: nec, quia nusquam erat scriptum, ut contra omneis
„ hostium copias in ponte unus assisteret, a tergoque pontem in-
„ terscindi juberet, idcirco minus Coclitem illum rem gessisse tan-
„ tam, fortitudinis lege atque imperio putabimus: nec si regnante
„ Tarquinio nulla erat Romæ scripta lex de stupris, idcirco non
„ contra legem illam æternam Sext. Tarquinius vim Lucretiæ,
„ Tricipitini filiæ, attulit. Erat enim ratio profecta a rerum na-
„ tura, & ad recte faciendum impellens, & a delicto avocans;
„ quæ non tum denique incipit lex esse, cum scripta est, sed tum,
„ cum orta est: orta autem simul est cum mente divina. Quam-
„ obrem lex vera atque princeps, apta ad jubendum & vetandum,
„ ratio est recta summi Jovis. - - - Ergo est lex justorum
„ injustorumque distinctio, ad illam antiquissimam & rerum omnium
„ principem expressa naturam, ad quam leges hominum dirigun-
„ tur, quæ supplicio improbos afficiunt, defendunt & tuentur
„ bonos. - - - Sit igitur hoc jam a principio persuasum civi-
„ bus, dominos esse omnium rerum ac moderatores Deos, eaque
„ quæ gerantur, eorum geri judicio, ac numine; eosdemque op-
„ time de genere hominum mereri, & qualis quisque sit, quid
„ agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate religiones
„ colat, intueri: piorumque & impiorum habere rationem. His
„ enim rebus imbutæ mentes haud sane abhorrebunt ab utili &
„ a vera sententia. Quid est enim verius, quam neminem esse
„ oportere tam stulte arrogantem, ut in se mentem & rationem
„ putet inesse, in cœlo mundoque non putet? - - Quem vero astro-
„ rum ordines, quem dierum noctiumve vicissitudines, quem
„ mensium temperatio, quemque ea, quæ gignuntur nobis ad fruen-
„ dum, non gratum esse cogant; hunc hominem omnino nume-
„ rare qui decet? Cumque omnia, quæ rationem habent, præ-
„ stent iis, quæ sint rationis expertia, nefasque sit dicere, ul-
„ lam rem præstare naturæ omnium rerum; rationem inesse in
„ ea, confitendum est. Utiles autem esse opiniones has, quis ne-
„ get, cum intelligat, quam multa firmentur jurejurando, quantæ
„ salutis sint fœderum religiones? quam multos divini supplicii metus
„ a scelere revocarit? quamque sancta sit societas civium inter
ipsos.

„ ipsos, Diis immortalibus interpositis tum judicibus, tum testi-
„ bus? „ Adde denique præclarum *locum*, qui in fragmentis *Cice-
ronis* pag. m. 668. ex *Lactantio* adducitur; sonat autem ita: „ Est
„ quidem vera lex, recta ratio, naturæ congruens, diffusa in omnes,
„ constans, sempiterna, quæ vocet ad officium jubendo, vetando
„ a fraude deterreat, quæ tamen neque probos frustra jubet aut
„ vetat, nec improbos jubendo aut vetando movet. Huic legi nec
„ obrogari fas est, neque derogari ex hac al'quid licet, neque tota
„ abrogari potest. Nec vero aut per Senatum, aut per Populum
„ solvi hac lege possumus. Neque est quærendus explanator, aut
„ interpres ejus alius: nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia
„ nunc, alia posthac: sed & omnes gentes, & omni tempore una
„ lex & sempiterna & immortalis continebit: unusque erit commu-
„ nis quasi magister & imperator omnium Deus ille, legis hujus
„ inventor, disceptator, lator: cui qui non parebit, ipse se fugiet,
„ ac naturam hominis aspernabitur, atque hoc ipso luet maximas
„ pœnas, etiam si cætera supplicia, quæ putantur, effugerit. „
Ex hisce, quæ adduximus, locis patet, *Ciceronem* agnovisse [1.]
Deum esse mentem purissimam præstantissimamque. [2.] Ab eo-
dem omnis juris & obligationis vinculum esse petendum. [3.] In
rectæ rationis principiis latere leges illas naturales. [4.] Illarum
observationem reipublicæ in universum, in specie autem omnibus
hominibus utilem esse. [5.] *Epicuri*, aliorumque opinionem, qui
utilitate omnia metiuntur, contrariam esse hominum felicitati. [6.]
Leges denique illas naturales æternas esse, immutabiles & perenna-
turas. *Tusc. Quæst. lib. I. sect.* 30. omnibus mortalibus insitam de
Deo opinionem esse ait, non instituto, neque legibus natam. Hæc
certe loca omnia, non *ex ore interlocutorum*, sed *ipsius Ciceronis*
petita, videntur perspicue satis probare, eum existentiam provideu-
tiamque supremi Numinis admisisse. Addam coronidis loco præcla-
rum locum *Ciceronis*, extantem in orat. pro *Milone* sect. 30. p. 924.
sq. edit. Grævii, ita autem loquitur *Cicero*: „ Sed hujus beneficii
„ gratiam, Judices, fortuna populi Romani, & vestra felicitas, & Dii
„ immortales sibi deberi putant. Nec vero quisquam aliter arbitrari
„ potest, nisi qui nullam majestatem esse ducit, numenve divi-
„ num: quem neque imperii vestri magnitudo, neque sol ille, nec
„ cœli signorumque motus, nec vicissitudines rerum atque ordines mo-

„ vent, neque id quod maximum est, majorum nostrorum sapien-
„ tia: qui sacra, qui cæremonias, qui auspicia & ipsi sanctissime
„ coluerunt, & nobis suis posteris prodiderunt. Est, est profecto
„ illa vis: neque in his corporibus, atque in hac imbecillitate
„ nostra inest quiddam, quod vigeat & sentiat, & non inest
„ in hoc tanto naturæ tam præclaro motu: nisi forte idcirco esse
„ non putant, quia non apparet, nec cernitur: proinde quasi no-
„ stram ipsam mentem, qua sapimus, qua providemus, qua hæc
„ ipsa agimus ac dicimus, videre, aut plane qualis, aut ubi sit,
„ sentire possimus.„ Partem hujus loci adduxit *Cudworthus* Tom. I. pag. 520. probaturus *Ciceronem* unum admisisse numen æternum. At displicet hæc argumentatio cl. *Moshemio*, dicenti: „ Vir D. ex
„ eo censet patere, unum tantum a Cicerone Deum hic esse indi-
„ catum, quod hanc vim divinam cum animo comparat humano,
„ qui unus est, orator disertissimus: sed re ipsa docet, Cicero-
„ nem non tam late hanc comparationem patere voluisse, quippe
„ quæ his unice continetur finibus: quemadmodum animus noster,
„ tametsi non cernitur, est tamen & existit, ita etiam vis illa divina,
„ licet a nobis haud conspiciatur, nihilo minus tamen vere existit.„ Ita doctiss. *Moshemius*. At non robore destituta mihi videtur collectio *Cudworthi*. Quamvis enim directe non probet unitatem numinis ratiocinatio *Ciceronis*, probat tamen hoc, tam certum inesse mundo mentem præstantissimam, quam certum, corpus a mente sentiente & vigente moveri. At instat Vir *doctus* dicendo, vim illam divinam & Deos immortales unum idemque significare. Verum est Ciceronem heic loci, præter argumentum pro existentia Dei, populares rationes addere, ut gratiam judicum populique captaret; at rerum ipsarum natura longe discreta est. Aliud sunt; Fortuna, Albani tumuli, Jupiter latiaris; & aliud vis illa sentiens, & vigens in tanto naturæ motu. Certe neque *Cicero*, neque plebs ipsa, hæc confundere solebant. Voluit *Cicero* more suo viris eruditis & amicis, simul atque iis, qui patrium cultum reverebantur, facere satis. Hinc vera fallis miscens, una oratione res diversas proposuit.

VI.

Sed videamus quid *Cicero* de mentis natura statuque ejus post mortem senserit. Fatemur, præstantissimum in cæteris virum hæ-

rere

rere aliquando circa hoc argumentum, neque satis sibi constare. Idem contigit *incomparabili Philosopho Socrati*. Qui argumenta, quibus nititur hæc veritas, perpendit, haud mirabitur, veteres parum sibi hac in parte constitisse. Quod non eum in finem dicimus, ut errores eorum excusare, sed felicitatem nostram deprædicare velimus. Videntur autem diversissimæ Philosophorum de natura mentis opiniones *Ciceronem* turbasse. Quod autem ad ipsius *Ciceronis* de hoc argumento sententiam spectat, certum est, eum credidisse, [1.] menti inesse vim intelligendi, sentiendi, volendi, ratiocinandi, licet natura ejus non satis intelligatur: [2.] eam esse originis divinæ: [3.] probabile quammaxime, eam post mortem subsistere. Eam autem sententiam animo ipsius insedisse jam quidem probandum est. Postquam *Cicero Tusc. Quæst.* lib. I. sect. 24. diversas veterum Philosophorum sententias de mentis natura enarrasset, ita concludit: „ Nam si cor, aut sanguis, aut cerebrum est animus, certe, quoniam est corpus, interibit cum reliquo corpore: „ si anima (*addendum, judice P. Victorio*, aër) fortasse, dissipabitur: „ si ignis est, extinguetur: si est Aristoxeni harmonia, dissolvetur. „ Sect. 46. corpori sensum detrahit, mentique soli eum competere perhibet: „ Nos enim ne nunc quidem (*inquit*) oculis „ cernimus ea, quæ videmus: neque enim est ullus sensus in cor- „ pore, sed, ut non solum Physici docent, verum etiam Medici, „ qui ista aperta & patefacta viderunt, viæ quasi quædam sunt ad „ oculos, ad aures, ad nares, a sede animi perforatæ. Itaque „ sæpe aut cogitatione, aut aliqua vi morbi impediti, apertis atque „ integris & oculis & auribus, nec videmus, nec audimus: ut fa- „ cile intelligi possit, animum & videre, & audire, non eas partes, „ quæ quasi fenestræ sunt animi: quibus tamen sentire nihil queat „ mens, nisi id agat & adsit. Quid, quod eadem mente res dissi- „ millimas comprehendimus, ut colorem, saporem, calorem, odorem, „ sonum? Quæ nunquam quinque nuntiis animus cognosceret, nisi „ ad eum omnia referrentur, & idem omnium judex solus esset. „ Atque ea profecto tum multo puriora & dilucidiora cernentur, „ cum quo natura fert, liber animus pervenerit. Nam nunc qui- „ dem, quanquam foramina illa, quæ patent ad animum a corpore, „ callidissimo artificio natura fabricata est, tamen terrenis concre- „ tisque corporibus sunt interspta quodammodo. Cum autem ni-

„ hil erit præter animum : nulla res objecta impediet, quo minus „ percipiat, quale quidque sit. „ Sect. 50. eorum objectioni occurrit, qui asserunt, mentem destructo corpore mortali consistere non posse. „ Sed plurimi (*inquit*) contra nituntur, animosque, „ quasi capite damnatos, morte multant, neque aliud est quicquam „ cur incredibilis his animorum videatur æternitas, nisi quod ne„ queunt, qualis animus sit vacans corpore, intelligere, & cogita„ tione comprehendere. Quasi vero intelligant, qualis sit in ipso „ corpore, quæ conformatio, quæ magnitudo, qui locus: ut si „ jam possent in homine uno cerni omnia, quæ nunc tecta sunt, „ casurusne in conspectum videatur animus: an tanta sit ejus te„ nuitas, ut fugiat aciem. Hæc reputent isti, qui negant animum „ sine corpore se intelligere posse. Videbunt, quem in ipso corpore „ intelligant. Mihi quidem naturam animi intuenti multo difficilior „ occurrit cogitatio, multoque obscurior, qualis animus in corpore „ sit, tanquam alienæ domui, quam qualis cum exierit, & in libe„ rum cœlum, quasi in domum suam, venerit. Si enim, quod „ nunquam vidimus, id quale sit, intelligere non possumus, certe „ & Deum ipsum, & divinum animum corpore liberatum, cogita„ tione complecti non possumus. „ Sect. 54. argumentum *Socratis* vel *Platonis* de perpetuo motu mentis ad immortalem naturam significandam probat. Sect. 60. & sq. denuo, licet cujus naturæ sit non definiat, in ea sententia persistit: *Originem* ejus plane esse *divinam* & *cælestem*. „ Quorsum igitur (*inquit*) hæc spectat oratio? Quæ „ sit illa vis & unde sit, intelligendum puto. Non est certe nec cor„ dis, nec sanguinis, nec cerebri, nec atomorum. Anima sit ani„ mus, ignisve, nescio: nec me pudet, ut istos, fateri nescire quod „ nesciam. Illud, si ulla alia de re obscura affirmare possem, sive „ anima, sive ignis sit animus, eum jurarem esse divinum. Quid „ enim obsecro te, terrane tibi, aut hoc nebuloso & caliginoso „ cœlo aut fata aut concreta videtur tanta vis memoriæ? si, quid „ sit hoc, non vides: at quale sit vides. „ Sect. 66. ait nihil in animis *mixtum*, *concretum*, aut *ex terra natum*. Sect. 71. inquit: „ In animi autem cognitione dubitare non possumus, nisi plane in „ physicis plumbei sumus, quin nihil sit animis admixtum, nihil „ concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex: „ quod cum ita sit, certe nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec

„ distrahi

„ distrahi potest: nec interire igitur: est enim interitus quasi dis-
„ cessus & secretio ac direptus earum partium, quæ ante interitum
„ junctione aliqua tenebantur. „ Sect. 70. admiranda naturæ opera recensens, ait, eadem satis probare, causam tantorum effectuum esse præstantissimam sapientissimamque, similique ratione ex mirandis mentis operationibus recte inferri posse, causam illarum esse substantiam intelligentem, & a rebus corporeis plane secretam: „ Hæc igi-
„ tur, & alia (*inquit*) innumerabilia cum cernimus, possumusne
„ dubitare, quin his præsit aliquis vel effector, si hæc nata sunt,
„ ut Platoni videtur: vel si semper fuerint, ut Aristoteli placebat,
„ moderator tanti operis & muneris? sic mentem hominis, quam-
„ vis eam non videas, ut Deum non vides, tamen ut Deum agnos-
„ cis ex operibus ejus; sic ex memoria rerum & inventione, & cele-
„ ritate motus, omnique pulchritudine virtutis vim divinam mentis ag-
„ noscito. „ In dialogo de *Amicitia* ita ait sect. 13. „ Neque assentior
„ iis, qui hæc nuper disserere cœperunt, cum corporibus simul animas
„ interire, atque omnia morte deleri: plus apud me antiquorum au-
„ ctoritas valet, vel nostrorum majorum, qui mortuis tam reli-
„ giosa jura tribuerunt: quod non feciissent profecto, si nihil ad
„ eos pertinere arbitrarentur: vel eorum, qui in hac terra fuerunt,
„ magnamque Græciam, quæ nunc quidem deleta est, tum flore-
„ bat, institutis & præceptis suis erudierunt; vel ejus, qui Apolli-
„ nis oraculo sapientissimus est judicatus, qui non tum hoc, tum
„ illud, ut in plerisque, sed idem dicebat semper, animos homi-
„ num esse divinos, iisque cum e corpore excessissent, reditum ad
„ cœlum patere. „ Notum est ejus dictum in *Catone Majore* §. 84:
„ O præclarum diem, cum ad illud divinum animorum concilium
„ cœtumque proficiscar, cumque ex hac turba & colluvione disce-
„ dam. Proficiscar enim non ad eos solum viros, de quibus ante dixi:
„ sed etiam ad Catonem meum, quo nemo vir melior natus est, nemo
„ pietate præstantior: cujus a me corpus crematum est, quod contra
„ decuit ab illo meum. Animus vero non me deserens, sed respectans, in
„ ea profecto loca discessit, quo mihi ipsi cernebat esse veniendum. --
„ Quod si in hoc erro, quod animos hominum immortales esse
„ credam, lubenter erro; nec mihi hunc errorem, quo delector,
„ dum vivo, extorqueri volo. Sin mortuus, ut quidam minuti
„ Philosophi censent, nihil sentiam; non vereor, ne hunc errorem

„ meum mortui Philosophi irrideant „ Circa *pœnas*, quæ sceleratos manent, dubie locutus est *Cicero*. Ex. gr. in fine *orationis* I. *Catilin.* precibus ad *Jovem* factis ita loquitur: „ Omnes bonorum „ inimicos, hostes patriæ, latrones Italiæ, sceleris fœdere inter „ se ac nefaria societate conjunctos, æternis supplicis vivos, mor- „ tuosque mactabis. „ In *oratione* autem pro *Cluentio* cap. LXI. ubi de *Oppiano* sceleratissimo mortuo agit, inquit: „ Quid tandem „ illi mali mors intulit? nisi forte ineptiis ac fabulis ducimur, ut „ existimemus, eum apud inferos impiorum supplicia perferre - - - „ actum esse præcipitem in sceleratorum sedem atque regionem. „ Quæ si falsa sunt, id quod omnes intelligunt, quid ei tandem „ aliud mors eripuit præter sensum doloris? „ Quamvis hæc, quantum ad disputationis summam pertinent, parum ad rem nostram faciant; minus tamen credibile est, si ea omnia, quæ de mentis immortalitate supra dicta sunt, perpendantur, omnes pœnas post mortem sceleratis infligendas negasse *Ciceronem*, licet inter fabulas merito retulerit, quæ de *pœnarum ratione modoque* dicuntur. Atque hæc quidem ea sunt, quæ faciunt ut credamus, *Ciceronem* inter eos referri non debere, qui *Religioni* prorsus *bellum indixerunt*.

VII.

Superest ut Virorum doctorum argumenta, quibus *Ciceronem* atheismi suspectum reddere volunt, expendamus. *Collinus*, *celebris Anglus*, qui scriptis suis, quibus religionem impugnavit, famam nactus est, in notissimo de *libertate cogitandi* libello multa adfert, quibus religionem *Ciceronis* suspectam reddat: In genere conqueritur, multa argumenta, pro existentia numinis allata, *Ciceroni* tribui, quæ tamen interlocutoribus sint adscribenda. In quo recte judicat *Collinus:* sunt enim qui nullo habito personarum, quæ loquentes inducuntur, respectu, quidlibet ipsi *Ciceroni* tribuunt. Ita multi argumenta a *Balbo Stoico*, pro existentia numinis allata, *Ciceroni* perperam adscribunt. Posthac *Collinus Ciceronem* refert inter *Scepticos*; in quo tamen fallitur: verum est *Academiæ novæ* addictum fuisse *Ciceronem*, (*) at ita tamen, ut *Academiam veterem* seu *Plato-*

(*) Doctissimus Vir OLIVETUS in Præfatione ad Quæstiones Tusculanas p. 19. Un vrai Academicien & honnête-homme, tel qu'étoit Ciceron,

Platonicam Philosophiam, *Stoicamque* simul amplexus fuerit. Et de posteriore quidem ipsemet *ad filium de Off. lib. I. sect.* 2. ita loquitur: *Sed tamen nostra legens, non multum a Peripateticis dissidentia: quoniam utrique, & Socratici & Stoici* (ita enim legendum esse, non *Platonici*, recte monuit *D. Grævius*) *esse volumus.* Hinc eodem libro sect. 6. ait: *Sequemur igitur hoc quidem tempore, & hac in quæstione potissimum Stoicos, non ut interpretes, sed ut solemus, e fontibus eorum, judicio arbitrioque nostro hauriemus &c.* Ipsemet declarat, cui potissimum *sectæ* sit addictus, lib. 2. *de officiis* sect. 7. ita ait: „ Occurritur autem nobis, & quidem a doctis & eruditis, quærentibus, „ satisne constanter facere videamur, qui, cum percipi nihil posse „ dicamus, tamen & aliis de rebus disserere soleamus, & hoc ipso „ tempore præcepta officii persequamur. Quibus vellem satis cognita esset nostra sententia. Non enim sumus ii, quorum vagetur „ animus errore, nec habeat unquam quid sequatur. Quæ enim esset „ ista mens, vel quæ vita potius, non modo disputandi, sed vivendi „ ratione sublata? Nos autem, ut cæteri, alia certa, alia incerta, „ esse dicunt; sic ab his dissentientes alia probabilia, contra, alia „ non probabilia esse dicimus. Quid est igitur quod me impediat, „ ea, quæ mihi probabilia videantur, sequi: quæ contra, improba„ re: atque affirmandi arrogantiam vitantem, fugere temeritatem, „ quæ a sapientia dissidet plurimum? Contra autem omnia disputatur a nostris, quod hoc ipsum probabile elucere non posset, nisi „ ex utraque parte caussarum esset facta contentio. „ (†) Idem fatetur

n'étoit donc pas, comme quelques Auteurs l'ont pensé trop legérement, un homme, qui ne crût rien. C'étoit un Philosophe, qui ne déférant à la simple autorité d'aucune secte en particulier, se reservoit le droit d'examiner le pour & contre de toutes les opinions, & n'usoit de cette liberté, que pour s'attacher à ce qu'il jugeoit le moins douteux & le plus sain.

(†) Sunt insuper alia loca, ex quibus patet, *Ciceronem*, Academicorum sectæ fuisse addictum. Ita *Tusc. Quæst. lib. IV.* §. 7. inquit: *Sed defendat quod quisque sentit; sunt enim judicia libera: nos institutum tenebimus, nullisque unius disciplinæ legibus adstricti, quibus in philosophia necessario pareamus, quid sit in quaque re maxime probabile, semper requiremus. quod cum sæpe alias, tum nuper in Tusculano studiose egimus. De Nat. D. lib. I. sect.* 10. ita loquitur: *Qui autem requirunt,*

fatetur *Plutarchus* in vita ipsius. Quod si igitur ea, quæ maxime probabilia sunt, secutus est *Cicero*, inter veri nominis *Scepticos* referri non poterit. Sunt & fuerunt doctissimi viri, qui existimarunt, si excipias principia *Mathematicorum*, & *Methaphysices* fundamenta, reliquas disciplinas mera niti probabilitate; cum autem *Cicero* de rebus naturalibus & moralibus ut plurimum egerit, mirum non est, eum existimasse ea, quæ vero essent proxima, sequenda. Neque video, quam periculosa sit illa, si etiam ad res theologicas referatur, sententia. Quod si enim quis existimet, argumenta quæ pro existentia numinis adferri possunt, non solum esse maxime probabilia, sed & omnibus dubiis, quæ contra capitalem hanc veritatem fieri possunt, superiora esse, is certe nil defendit, quod maximopere in tali reprehendas; scio alios aliter plane sentire. *Hæc enim fere* [verba sunt doctissimi *Grævii* ad citatum locum *Ciceronis*] *est omnium scholarum & in iis docentium ratio, cujuscunque sint sectæ, ut quæcunque tradunt, iis sint habeanturque Euclidea. Hæc quidem temeritas sæpe derisa est a sapientibus, & lepide inprimis exagitata non uno in loco a Luciano.* Sunt viri docti, qui existumant, *Ciceronem* sub *Cottæ Academici* persona latere, atque in III. libro de Nat. D. *Ciceronis* cogitata proferri: at id non adeo certum videtur. Ad finem enim hujus disputationis hæc leguntur: „ Quæ cum dixisset, „ Cotta finem fecit. Lucilius autem, (*Stoicus*) vehementius, in„ quit, tu quidem Cotta invectus es in eam Stoicorum rationem, „ quæ de providentia Deorum ab illis sanctissime & providentissime „ constituta est. Sed quoniam advesperascit, dabis diem nobis ali„ quem, ut contra ista dicamus; est enim mihi tecum pro aris & „ focis

quid quaque de re ipsi sentiamus, curiosius id faciunt, quam necesse est. Non enim tam auctores in disputando, quam rationis momenta quærenda sunt. Sect. 12. *Non enim sumus ii, quibus nihil verum esse videatur: sed ii, qui omnibus veris falsa quædam adjuncta esse dicamus, tanta similitudine, ut in iis nulla insit certa judicandi & assentiendi nota. Ex quo existit & illud, multa esse probabilia: quæ quanquam non perciperentur, tamen quia usum haberent quendam insignem & illustrem, his sapientis vita regeretur.* Similiter de *Divinat. lib. I. cap.* 7. & multis aliis in locis.

„ focis certamen, & pro Deorum templis atque delubris, proque „ urbis muris, quos vos, pontifices sanctos esse dicitis, diligentius„ que urbem religione, quam ipsis mœnibus cingitis. Quæ deseri „ a me, dum quidem spirare potero, nefas judico. - - - Hæc cum „ essent dicta, ita discessimus, ut Vellejo Cottæ disputatio verior, „ mihi Balbi ad veritatis similitudinem videretur esse propensior. „ Ex quibus patet, *Ciceroni* argumenta a *Stoicis* ad existentiam & providentiam numinis probandam allata, non solum esse visa verisimiliora; sed & eum in sequente congressu pluribus hanc sententiam exornare voluisse. (†) Nec fortiora ad hoc probandum adfert argu-

(†) Mecum sentit CUDWORTHUS, Tom. I. pag. 519. dissentiente cl. MOSHEMIO ad h. l. existimat enim, CICERONEM loqui, ut Academicum decebat, hoc genus hominum eas probasse sententias, in quibus maximam ducebant esse verisimilitudinem; nullam autem pro explorate certa veraque habuisse. At forte dissensus est magis in verbis, quam in re ipsa. CICERO tertiæ Academiæ decretis adhæsit, quæ verisimilia admittebat. Quod si igitur [ut totidem verbis fatetur] ei BALBI argumenta verisimiliora visa sunt VELLEII objectionibus, concludendum, eum existumasse, magis credibile esse numen esse. Paulo duriores, pene dixerim iniquiores, in Ciceronem videntur esse, qui eum nihil eorum vere credidisse perhibent, quæ de existentia & providentia numinis infinitis prope locis operum suorum aperte declaravit. Quod si enim in iis libris, quæ ad Philosophiam pertinent, clare ostendit, se in eam propendere sententiam, quæ Numinis existentiam ac providentiam adstruit, excipiunt Ciceronem recentioris Academiæ rationes & instituta secutum certi nihil decernere: incertam ergo prorsus & dubiam h. e nullam, magni illius oratoris fuisse religionem. At æquus rerum arbiter non facile omnem abjudicabit religionem illi, qui asserit doctrinam de Dei existentia ac providentia summam habere, quam quidem habere possit, probabilitatem ac veri speciem, quanquam non admittat, in divinis rebus dari summam demonstrationis certitudinem. Præterea fingunt, non probant, Ciceronem in iis de natura Deorum libris sub Pontificis Cottæ persona ipsum Stoicorum de providentia divina veriorem sententiam ita convellere, ut facile appareat, eum omnem religionem funditus evertere voluisse; quæ clariss. Viri J. M. GESSNERI in vita Ciceronis §. 98. criminatio est, inani hoc prætextu incrustata, quod Cottæ in hac disputatione q. victoria tribuatur, weil Cotta das letzte Wort und Recht behælt. Sed quid hoc aliud est, quam meris suspicionibus fictisque commentis aliquem graviss. atrocissimique criminis reum peragere? Cujus commatis etiam illud est, quod idem clariss. Gessnerus Ciceroni fidem haberi non posse sibi persuadet, cum in extrema de Natura Deorum disputatione non obscure ostendit, videri sibi veriorem Stoici Balbi sententiam; quasi non

menta *Illustris Huetius*, libello de *Imbecillitate ingenii humani* Lib. I. C. 14. quem vide. Sunt tandem alii Viri docti, inter quos est *Cl. Reimannus*, *Hist. Atheismi* pag. 274. qui contendunt, *Tolandum*, *infelicem*

serio ageret hic Cicero. Verba accusationis ita habent: „ Die Furcht „ betrogen zu vverden, machte, dass er von der Religion so vvenig, „ als von andern Dingen etvvas positives statuiren vvollen; aber die „ Furcht für einen gottlosen Menschen und Verächter der Götter angese„ hen zu vverden, machte, dass er nicht allein in den Orationibus, die „ er vor dem Volk gehalten, von den Diis immortalibus, dem Jove „ Optimo Maximo, der Minerva Custode Urbis, von der Heiligkeit der „ Auguriorum und Auspiciorum &c. einen Hauffen schvvazet, sondern „ auch selbst NB. die Bücher de N. D. also beschliesset, dass er sagt: „ Ihm sey des Stoici Balbi Meynung von den Göttern vvahrscheinlich „ vorgekommen. „ Hujusmodi autem accusatio si valeat, quis erit innocens? Quicquid etiam profitearis, illi semper clamabunt, te non serio, nec ex animi sententia loqui. Denique si producantur loca ex orationibus Ciceronis, singularem in Deum aut Deos pietatem spirantia, excipiunt, in illis ad vulgi opinionem loqui oratorem, nec quod ipse significat, tam id spectasse, quod veritas, quam quod res & causa, quam agebat, flagitare videbatur. Quanquam autem isthoc non plane abnuere velim, occurrunt tamen loca, in quibus Cicero diserte profitetur, se verum animi sensum de religione explicare; cujus generis ille locus de haruspicum responsis c. 9. ubi quid de religionibus Rom. publicis sentiat, exponit, seque adversus religionis contemtum vindicat ac defendit: „ Ne„ que is sum, inquit, qui, si cui forte videor plus, quam ceteri, qui „ æque atque ego sunt occupati, versari in studio litterarum, his dele„ cter, aut utar omnino litteris, quæ nostros animos deterrent, atque „ avocant a religione. Ego vero primum habeo auctores ac magistros „ religionum colendarum, majores nostros: quorum mihi tanta fuisse „ sapientia videtur, ut satis superque prudentes sint, qui illorum pru„ dentiam, non dicam assequi, sed quanta fuerit perspicere possint. - - - „ Deinde etiam cognovi, multa homines doctissimos sapientissimosque „ & dixisse, & scripta de Deorum immortalium numine reliquisse; quæ quan„ quam divinitus perscripta video, tamen ejusmodi sunt, ut ea majores „ nostri docuisse illos, non ab illis didicisse videantur. Etenim quis „ est tam vecors, qui aut, cum suspexerit in cœlum, Deos esse non „ sentiat, & ea, quæ tanta mente fiunt, ut vix quisquam arte ulla ordi„ nem rerum, ac necessitudinem persequi possit, casu fieri putet: aut, „ cum Deos esse intellexerit, non intelligat, eorum numine hoc tantum „ imperium & natum & auctum & retentum? Quam volumus licet P. C. „ ipsi nos amemus; tamen nec numero Hispanos, nec robore Gal„ los &c. &c. - - - sed pietate ac religione, atque hac una sapientia, „ quod Deorum immortalium numine omnia regi gubernarique perspexi„ mus, omnes gentes nationesque superavimus. „

felicem illum *Religionis Christianæ & Mosaicæ oppugnatorem*, *Ciceronem* inter *Pantheistas*, id est, *Spinozæ* antecessores retulisse. Cum autem etiam in hoste laudanda sit virtus, & immutabiles sint leges veritatis, ipsissima *Tolandi* verba adponam, ut quid de *Cicerone* judicaverit quilibet intelligat. Ita autem ille in libello quem *origenes judaicas* adpellat: „Fateris Auguste dulcissime, me recte omnino „ affirmare in Adeisidæmone meo, nobiliores fere omnes & doctio„ res Romanos cultum sacrum a Numa Pompilio traditum vel tradi „ creditum pro politico habuisse commento, & ut cum Cicerone „ loquar, eos persuasos fuisse totam de Diis immortalibus opinio„ nem fictam esse ab hominibus sapientibus reipublicæ caussa: ut „ quos ratio non posset, eos ad officium religio duceret: errabat „ *enim* [*ut alibi scribit Cicero*] *multis in rebus antiquitas, quam* „ *vel usu jam, vel doctrina, vel vetustate immutatam videmus:* „ *retinetur autem & ad opinionem vulgi, & ad magnas utilitates* „ *reipublicæ, mos, religio, disciplina, jus augurum, collegii au*„ *ctoritas.* En testem omni exceptione majorem! qui & ipse Augur „ erat. Nec solum in ista fuit sententia, sed totis annisus est viri„ bus, ut alios ad se pertraheret. Ita enim pergit: *Nam ut vere loquamur:* „ *Superstitio fusa per gentes oppressit omnium fere animos, atque homi*„ *num imbecillitatem occupavit, quod & in iis libris dictum est,* „ *qui sunt de Natura Deorum, & hac disputatione id maxime egi*„ *mus*: *multum enim & nobismetipsis & nostris profuturi videba*„ *mur, si eam funditus sustulissemus. Nec vero* [id enim diligenter „ intelligi volo] *superstitione tollenda religio tollitur.* Hoc & de „ me, *inquit Tolandus*, quoque diligentissime intelligi volo; cum „ impugnando superstitionem, religio sit unicum mihi, ut res ipsa „ indicat, propositum & animi sensus. „ Hactenus *Tolandus.* Nemo ex hisce verbis, uti jacent, concludere poterit, *Tolandum* credidisse, *Ciceronem Pantheistam* esse, nisi aliunde huic interpretationi lucem attulerit: certe verba ipsa, licet forte aliud intenderit Tolandus, nil aliud ostendunt, vel præ se ferunt quam hoc: nimirum *Ciceronem*, & doctissimos quosque Romanorum religionem publice receptam pro commentis habuisse, atque publice explosisse. Quod si is scopus fuit *Ciceronis*, & virorum doctorum tum temporis Romæ viventium, ut superstitionem magis magisque in animis hominum extinguerent, laudandi sunt. Quis enim, qui

nasum habet, concoquere poterit sententias, ritusque ineptissimos, & casto Dei cultui rationisque decretis e diametro oppositos? Quam felices fuissent, & verorum Philosophorum nomine digni, si omni metu superato, junctis viribus detestandam superstitionem fortissime oppugnavissent, & ad saluberrima rationis præcepta admittenda viam monstrassent. Si *Tolandus* ingenio suo, quod nactus erat haud vulgare, usus fuisset magis ad veram religionem stabiliendam, quam ad eam deprimendam, saluti suæ magis sine dubio consuluisset. At si *Tolandus* existumavit, *Ciceronem*, dum superstitionem perstrinxit, veram religionem subvertere voluisse, aliis sane, quam quibus usus est, argumentis ei id probandum fuisset. Certe loca allata id minime probant: quod ex ipsa inspectione patebit. Primus locus, ad quem provocat *Tolandus*, extat Lib. I. de N. D. sect. 117. eum cum proxime antecedentibus adponemus, ut quo jure allatus sit, pateat. *Cotta* contra *Vellejum Epicureum* ita insurgit: „ Quid est autem quod eos (sc. *Deos*) veneremur propter admirationem ejus naturæ, in qua „ egregium nihil videmus? Nam superstitione, quod gloriari soletis, „ facile est liberari, cum sustuleris omnem vim Deorum. Nisi „ forte Diagoram, aut Theodorum, qui omnino Deos esse negabant, „ censes superstitiosos esse potuisse. Ego ne Protagoram quidem: „ cui neutrum liquerit, nec esse Deos, nec non esse. Horum enim „ sententiæ omnium non modo superstitionem tollunt, in qua inest „ timor inanis Deorum, sed etiam religionem, quæ Deorum cultu „ pio continetur. Quid? ii, qui dixerunt totam de Diis immortalibus „ opinionem fictam esse ab hominibus sapientibus reipublicæ causa, ut „ quos ratio non posset, eos ad officium religio duceret, nonne omnem „ religionem funditus sustulerunt? „ Patet peccare hic *Tolandum*, si aliud intendit contra rectæ interpretationis regulas. Si enim religionis nomine intelligatur Dei rectus cultus, indubium est, eos qui opinionem de Deo reipubl. caussa fictam putant, sive id *Cotta*, sive *Cicero* dixerit, omnem religionem subvertere: at probandum, *Ciceronem* inter eos fuisse, qui hanc, cujus mentionem facit, opinionem tenuerint: si vero religionis nomine intelligantur ineptæ opiniones de Diis publice receptæ, male concludit, vel *Cicero*, vel *Cotta*, iis rejectis necessario etiam veri nominis tolli cultum; quis enim est tandem nexus inter propositionem illam: *Jupiter Cretensis, non est Deus; ergo etiam non est Rector universitatis rerum?* Quam-

cunque

cunque igitur propositionem admittas, nihil est quod probare possit, *Ciceronem* heic loci omnem religionem tollere voluisse. Alter locus extat lib. II. de *Divinat.* sect. 70. „ Satis multa (*inquit*) de oste„ tis. Auspicia restant, & sortes eæ, quæ ducuntur. Difficilis au„ guri locus ad contradicendum; Marso fortasse, sed Romano facil„ limus. Non enim sumus ii nos augures, qui avium reliquorum„ que signorum observatione futura dicamus: & tamen credo, Ro„ mulum, qui urbem auspicato condidit, habuisse opinionem, esse „ in providendis rebus augurandi scientiam. Errabat enim multis „ in rebus antiquitas: quam vel usu jam, vel doctrina, vel vetu„ state immutatam videmus. Retinetur autem & ad opinionem „ vulgi, & ad magnas utilitates reipubl. mos, religio, disciplina, jus „ augurum, collegii auctoritas. „ At quid tandem ex hisce verbis ad probandam *Ciceronis* impietatem concludi potest? Auguria explodebat ipse *Cicero*, atque in eo suos errare fatetur; retineri tamen opiniones receptas, ob vulgi opinionem. Si pontificiæ religioni addictus vir sapiens, se explodere quidem dicat multos ritus, quos tamen plebis in gratiam proscribendos non putat, num tandem omnia religionis capita eodem loco habere dicendus est? apage has consequentias. Tertius denique locus, quo *Cicero* eodem *Divinat. libr. sect.* 148. ait, superstitionem fusam per gentes omnium fere animos oppressisse, itidem non probat *Ciceronem* religionis omnis hostem fuisse. Quod, ut alia taceam, verba proxime sequentia satis superque docent. Ita enim loquitur: „ Nam majorum instituta „ tueri sacris cæremoniisque retinendis, sapientis est: & esse præ„ stantem aliquam æternamque naturam, & eam suspiciendam admi„ randamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum „ cœlestium cogit confiteri. „ Num ita locutus tandem fuisset *Cicero*, si cum *Tolando* feciset? At nondum satis est. Provocat *Colinus* ad locum *Ciceronis*, qui extat lib. I. *de Inventione*, in quo ait, *eos, qui dent operam Philosophiæ, non arbitrari Deos esse.* At circumstantiæ hujus loci sunt probe considerandæ. Agit *Cicero* de variis argumentum aliquod probandi methodis. *Omnis* (inquit sect. 44.) *argumentatio aut probabilis, aut necessaria debet esse.* Sect. 46. quid probabile vocet, explicat dicendo: *probabile autem est id, quod fere fieri solet, aut quod in opinione positum est, aut quod habet in se ad hæc quandam similitudinem, sive id falsum est, sive verum. In eo genere quod*

fere solet fieri, probabile hujusmodi est: Si mater est, diligit filium; si avarus est, negligit jusjurandum. In eo autem, quod in opinione positum est, hujusmodi sunt probabilia: impiis apud inferos pœnas esse constitutas. Eos, qui Philosophiæ dent operam, non arbitrari Deos esse. Apparet ex hoc, *Ciceronem* non tam hîc docere, quid ipsemet credat; sed quid ex opinione hominum communiter pro vero admittatur. Hodienum apud semidoctos vulgaris illa opinio est, accuratiores *Philosophos*, *Mathematicos*, *Medicos* de religione parum esse persuasos; quod verum, si religionis nomine ineptas, absurdas, & rationi ipsi contrarias opiniones, quæ passim hinc inde a Christianis defenduntur, intelligas. Philosophi enim est, nil temere credere. *Quid enim tam temerarium*, inquit Cicero, *tamque indignum sapientis gravitate, atque constantia, quam aut falsum sentire, aut quod non explorate perceptum sit, & cognitum, sine ulla dubitatione defendere.* Quod si igitur vel maxime *Cicero* inter eos fuisset, qui receptas de religione opiniones explosisset, culpandus certe ideo non foret; sed quod meliora edoctus majori tamen animo restituendo casto cultui non incubuerit. Neque certe in hoc *Inventionis* libro, in quo regulas dialecticas & oratorias more suo tradit, principia *Theologiæ Ciceronianæ* quærenda sunt. Quod si tamen citatus *Collino* locus aliquid probat, alium huic oppositum ex eodem *Inventionis* libro proferam. Sect. nimirum 57. exponit quid ratiocinationis nomine intelligat. *Ratiocinatio* (inquit) *est oratio, ex ipsa re probabile aliquid eliciens, quod expositum & per se cognitum, sua se vi & ratione confirmat. Exemplo rem illustrare aggreditur*, v. gr. *melius accurantur, quæ consilio geruntur, quam quæ sine consilio administrantur.* Additis dein aliis, quæ ad demonstrationis elegantiam pertinere videbantur, ita pergit: *Nihil omnium rerum melius, quam omnis mundus administratur. Nam & signorum ortus & obitus definitum quemdam ordinem servant, & annuæ commutationes non modo quadam ex necessitate semper eodem modo fiunt, verum ad utilitates quoque rerum omnium sunt accommodatæ, & diurnæ nocturnæque vicissitudines, nulla in re unquam mutatæ quidquam nocuerunt: quæ signo sunt omnia, non mediocri quodam consilio naturam mundi administrari: consilio igitur mundus administratur.* Supra diximus, quosdam existumare, sub *Cottæ* persona *latere* voluisse *Ciceronem*. At id certum non esse, jam monuimus. Ponamus autem hoc; ne sic quidem probari poterit

religionis

religionis omnis osorem fuisse nobilissimum virum. Vis argumentum? audi *Cottam* l. III. de N. D. §. 5. in quo ita: *Sed antequam de re, pauca de me. Non enim mediocriter moveor auctoritate tua, Balbe, oratione*que ea, quæ me in perorando cohortabatur, ut meminissem, me & *Cottam esse & pontificem, quod eo credo valebat, ut opiniones, quas a majoribus accepimus, de Diis immortalibus, sacra, cæremonias, religiones*que defenderem. - - - *Et, si id est primum* (ita ex interpunctione *illustris Bouhier* ponenda verba) *quod inter omnes nisi admodum impios convenit, mihi quidem ex animo exuri non potest, esse Deos. Id tamen ipsum, quod mihi persuasum est auctoritate majorum, cur ita sit, nihil tu me doces. Quid est*, inquit *Balbus, si tibi persuasum est, cur a me velis discere? Tum Cotta: Quia sic aggredior*, inquit, *ad hanc disputationem, quasi nil unquam audierim de Diis immortalibus, nihil cogitaverim, rudem me discipulum & integrum accipe, & ea quæ requiro, doce.* Ex his verbis constat *Cottam*, vel *Ciceronem* si mavis, potius exercitii gratia de hac re disputare, quam serena mente propria animi cogitata prodere: hinc de *Divinat. lib. I. sect.* 8. ait *Cicero* de *Cotta. Ipse Cotta sic disputat, ut Stoicorum magis argumenta confutet, quam hominum deleat religionem.* Non probamus methodum illam de rebus gravissimis utramque in partem disputandi; quanquam enim veritas sua luce radiat, notum tamen simul est, multos non eo esse instructos judicio, ut verum a falso facile possint secernere: alios argumentorum, utraque ex parte allatorum, ἰσοσθένεια, in maximas difficultates, ex quibus difficulter eluctantur, conjici. Notum quid multis, qui *P. Baylii Dictionarium* avide perlegerunt, contigerit. Interim, si quis argumentationes *Cottæ* rite perpendat, observabit, non tam genuinam Dei existentiam demonstrandi rationem, quam vero minus accuratas *Stoicorum* ratiunculas rejici. Vide lib. III. sect. 10. 11. 12. 21. 22. 23. 36. 37. 38. Et hæ quidem rationes, illæ sunt, quantum mihi constat, quibus *Ciceronem* atheismi suspectum reddere voluere viri quidam docti. Nulli interim dubitamus, quin fraudes manifestæ sacerdotum, superstitio, argumenta levia & futilia pro existentia numinis allata, ingenium ipsum præterea, *Ciceronem* aliquando turbaverint. Interim si universam ejus philosophandi rationem, indolemque naturæ inspiciamus, quantum cernere datum est, inter eos fuit, qui rectius forsan de religione senserunt, quam locuti sunt.

In

In eandem sententiam concedit *P. Baylius Lexico.* Tom. IV. voce *Spinoza* pag. m. 259. dicens: „Mr. l'Abbé de Dangeau parle de „ certains gens, qui ont la religion dans l'esprit, mais non pas „ dans le cœur: ils sont persuadez de sa verité, sans que leur con„ science soit touchée de l'amour de Dieu. Je crois qu'on peut „ dire, qu'il y a aussi de gens, qui ont la religion dans le cœur, „ & non pas dans l'esprit. Ils la perdent de vûe dès qu'ils la cher„ chent par les voies du raisonnement humain: elle échappe aux „ subtilités, & aux sophismes de leur dialectique: ils ne savent, où „ ils en sont, pendant qu'ils combattent le pour & le contre: mais „ dès qu'ils ne disputent plus, & qu'ils ne font qu'écouter les preu„ ves de sentiment, les instincts de la conscience, le poids de l'édu„ cation, ils sont persuadez d'une religion, & ils y conforment leur „ vie autant, que l'infirmité humaine le permet. Ciceron en étoit „ là: On n'en peut gueres douter, quand on compare ses autres „ livres avec ceux de N. D. où il fait triompher Cotta de tous les „ interlocuteurs, qui soutenoient qu'il y a des Dieux. „ (*) Forte *Baylius imaginem* aliquam animi sui ipsemet *quasi nescius* exhibuit. Quicquid sit, difficile erit dissentientibus probare, *Ciceronem* nulla religionis tactum fuisse cura: dolemus equidem virum tantarum virtutum in debellandis ineptis opinionibus ulterius non esse progressum. At si tempora, quibus vixit, negotia quibus districtus erat, perpendamus; si potestatis, quam in animos hominum habet religio cum lacte quasi materno hausta, memores simus; si plerorumque denique virorum doctissimorum ignaviam vel teporem hodienum in tanta luce in mentem nobis revocemus, haud mirabimur, si vitio seculi, & amore receptæ religionis se abripi passus est *Cicero.* Interim apud omnem posteritatem in maxima semper versabitur existimatione, vigebuntque ejus scripta, dum pretium litteris manebit. Claudimus hanc apologiam verbis *Velleji Paterculi,* quæ extant lib. II. cap. 66. pag. 68. edit. *Vossii.* „ Nihil tamen egisti, „ (*inquit*) M. Antoni, nihil, inquam, egisti, mercedem cælestissimi oris & clarissimi capitis absciss numerando, auctoramentoque funebri

(*) Liberius paulo de religione Ciceronis loquitur continuat. des pensées diverses p. 499. Adde hic, quæ de atheismo Ciceroni impacto breviter sed nervose monet celeb. & amicissimus Brukerus noster hist. crit. Philosophiæ Vol. II. p. 50.

„ nebri ad conservatoris quondam reipublicæ, tantique consulis
„ irritando necem. Rapuisti tu Marco Ciceroni lucem solicitam,
„ & ætatem senilem, & vitam inferiorem te principe, quam sub
„ te triumviro mortem: famam vero, gloriamque factorum atque
„ dictorum adeo non abstulisti, ut auxeris. Vivit vivetque per
„ omnium seculorum memoriam. Dumque hoc vel forte, vel pro-
„ videntia, vel utcunque constitutum rerum naturæ corpus, quod
„ ille pene solus Romanorum animo vidit, ingenio complexus est,
„ eloquentia illuminavit, manebit incolume: comitem ævi sui lau-
„ dem Ciceronis trahet, omnisque posteritas illius in te scripta mira-
„ bitur, tuum in eum factum execrabitur; citiusque in mundo ge-
„ nus hominum, quam - - - - cadet. „

TANTUM.

DE

ATHEISMO

JORDANO BRUNO, (*) NOLANO, impacto

DISSERTATIO.

SECT. I.

PLures effluxerunt anni, ex quo *Conradus Zieglerus*, Schafhusanus, vir non magis nobilitate generis, quam eruditione & pietate excellens, jam vero cœlitum choro adscriptus, *Jordani Bruni* opuscula mihi legenda transmisit. Ea non sine attentione perlegi. Animus enim tum temporis mihi erat specimen exhibere disquisitionum, quas meditabar de viris eruditis vere vel falso atheismi suspectis. Nata est ex hac lectione *Bruni* opusculorum dissertatio satis prolixa, in qua contra celeberrimum *la Croze* τον νυν ἐν ἁγιοις, infelicis illius Itali causam peroravi, eamque eleb. *Lenfant*, cum quo tum temporis mihi intercessit familiare litterarum

(*) De *Jordano Bruno* hæc habet ill. *Leibnizius* in epistola ad *Tolandum* data, quæ tomo II. epist. cl. *Alberti* de præsenti statu litterario & ecclesiastico Britannico adjecta est. Verba ita sonant: „Les deux ouvrages, l'un en latin, l'autre en italien, „ que *Giordamo Bruno* a publié de *l'univers* & de *l'infini*, & „ que j'ai lû autrefois, font voir que cet Auteur ne manquoit „ point de penetration. Mais malheureusement il est allé au-delà „ des justes bornes de la raison. Il donnoit aussi dans les chimé„ res de l'art de *Raymond Lulle*. Je n'ai jamais lû son *spaccio* „ *de la bestia triomphante*. Il me semble qu'on m'en a parlé

litterarum commercium, transmisi Berolinum, eo fine, ut locum aliquem illi concederet in Bibliotheca germanica gallice scripta: factum autem est, nescio quo fato, ut qualiscunque labor meus interciderit, neque inter libellos clariss. *Lenfant*, qui interea temporis decesserat, transmissa dissertatio fuerit reperta. Cumque præter laceras quasdam schedulas servassem nihil, & post mortem nobilissimi *Ziegleri* libelli *Bruni* una cum aliis hastæ publicæ fuissent subjecti, spem nullam habere potui, libellos hos denuo potiundi & examinandi. Hoc unum me solabatur, quod ex Actis philosophicis perspexerim, celeb. *Heumannum* horum Actorum auctorem contra iteratam cel. *Crozii* accusationem strenue causam *Bruni* egisse. Cum autem pro instituto meo in eo essem, ut quo jure quidam litterati Italiæ viri gravissimi erroris, atheismi nempe, postularentur, examinarem; rogavi per litteras amicissimum *Hurterum*, Professorem in Gymnasio Schafhusano *doctissimum* mihique amicissimum, ut mihi significaret, quem tandem possessorem nacti sint *Jordani Bruni libelli*. Ex eo autem non sine gaudio percepi, præcipuos in suas incidisse manus, quos postea denuo legendos mihi communicavit. Quanquam autem celeb. *Heumannus*, pro ea, qua floret, insigni eruditionis copia, docte causam *Bruni* egerit, existimavi tamen, me etiam huic argumento lucem aliquam accendere posse. Antequam vero ad rem ipsam progrediar duo monenda sunt. *Prius* est: obscurissima esse scripta hujus Itali, sive ligata, sive prosa oratione exarata, unde nonnisi conjectando sæpe de verborum sensu judicari potest. Quod ipsum efficere debet, ut ubi dubia est lux, in meliorem potius, quam pejorem partem ipsius dicta interpretemur. *Posterius*: nos

„ un jour en France, mais je ne le saurois assurer. Il y a „ trop long tems. Ne faudroit il point dire *specchio* au lieu „ de *spaccio*? Monsieur *de la Croze* m'a dit, que vous lui avez „ montré ce livre. „ Adde *Lexicon de Chauffepié* tom. II. ubi multa rariora de *Bruno* & ejus libris reperiuntur. Item *novam Bibliothecam Lubecensem*. vol. VII. pag. 145. seq. ubi inprimis agit auctor de libello *Bruni*, *bestia triumphans* appellato. Negat rev. *Besser*, in hoc libro talia deprehendi pernicioſa dogmata, qualia *Bruno* imputat celeb. *la Croze* in libello suo cui titulus: *Entretiens sur divers sujets d'histoire &c.*

in hac disquisitione minime negare, *Brunum* gravibus erroribus obnoxium fuisse; sed hoc tantum duntaxat disquirere, utrum satis solidis argumentis *atheismi*, in specie *Spinosismi* convinci possit. Cæterum, quæ de vita, fatis, scriptis, ingenio & philosophandi methodo infelicis hujus Itali cognosci possunt, collegit vir *celeberrimus* mihique *amicissimus J. J. Brukerus, tomo ultimo historiæ criticæ Philosophiæ*, quem consulere debent lectores.

II.

Servabo autem in hac dissertatione hunc ordinem, ut primo singulos libros *Bruni*, qui ad manus fuerant, percurrendo ea, quæ ad eum defendendum facere possunt, adferam. [2.] Objectiones cl. *la Croze* tam in singulari libello, quam in epistola Actis philosophicis inserta, contentas, proferam. [3.] Tandem, quid post cl. *Hermannum* ad eas responderi possit, ostendam.

III.

Liber primus inter opuscula *Bruni* agit de *minimi existentia*. Incipit autem sic *Brunus*:

Ut mens naturæ subjectis insita rebus
Momentis graduanda suis depromit & aptis
Ordinibus constans numeris discriminat alte
Sic rationis opus, sic vivida vis aciei
Humani sensus partes, quibus applicant illis
Mensuras quibus expendat præconcipit ipsis
In foribus &c.

In commentario soluta oratione conscripto & metro adjecto, explicat quid per naturam rebus insitam intelligat, quod quia ad quæstionem, utrum *Spinozæ* sententiam foverit elucidandam multum confert, lectori ob oculos ponendum. Sic autem sonat: „ Mens „ super omnia Deus est. Mens insita omnibus natura. Mens „ omnia pervadens ratio. Deus dictat & ordinat. Natura exequi„ tur atque facit. Ratio contemplatur ac discurrit. Deus est Mo-

„ nas

„ nas omnium numerorum fons, ſimplicitas omnis magnitudinis &
„ compoſitionis ſubſtantia & excellentia, ſuper omne momentum
„ innumerabile, immenſum. Natura eſt numerus numerabilis,
„ magnitudo menſurabilis, momentum attingibile. Ratio eſt nu-
„ merus numerans, magnitudo menſurans, momentum æſtimans.
„ Influit Deus per naturam in rationem. Ratio attollitur per natu-
„ ram in Deum. Deus eſt amor, efficiens, claritas, lux. Natura
„ eſt amabile, objectum, ignis & ardor. Ratio eſt amans ſubjectum
„ quoddam, quod a natnra accenditur, & a Deo illuſtratur. „

Attendendum hîc ſollicite ad definitiones a *Bruno* ſuppeditatas. *Spinoza*, ut notum eſt, unicam admiſit ſubſtantiam, duobus adtributis, extenſione & cogitatione conſtantem. Hæc ſubſtantia non ſolum per ſe, id eſt, neceſſitate naturæ exiſtit; ſed & comprehendit omne, quicquid exiſtit. Diſtinguit autem *Brunus* clariſſime Deum a natura, naturam a ratione. Deum, more *Pythagoræ* recepto, vocat *Monadem*, eamque ſimplicem & omnis compoſitionis expertem eſſe perhibet. *Naturæ* menſurabilitatem & magnitudinem tribuit. Influere dicitur *Deus* per naturam in rationem: naturam ergo diſtinguit a Deo & a ratione. In eodem *commentario* pag. 8. [quod in transitu notandum] ſententiam profert, quæ poſtea a Carteſio arrepta vehementerque fuit exagitata, nimirum de dubitatione Philoſopho, in examine omnium rerum, adhibenda. „ Qui philoſo-
„ phari concupiſcit [*inquit Brunus*] de omnibus principio dubitans
„ non prius de altera contradictionis parte definiat, quam alterantes
„ audierit & rationibus bene perſpectis, atque non ex auditu, fama,
„ multitudine, longævitate, collatis titulis & ornatu: ſed de con-
„ ſtanti, ſibi atque rebus doctrinæ, vigore, ſed de rationis lumine
„ veritate inſpicua judicet & definiat. „ Contendit illuſtris *Huëtius* in *cenſura Philoſophiæ Carteſianæ* pag. 256. edit. Paris. *Carteſium* pleraque ſua ἐυρηματα, phyſica præſertim, ex *Jordano Bruno* petiiſſe, de quo ego diſputare nolo; quamvis ſi ingenium *Carteſii* perpendam, vix mihi perſuadeam, obſcuriſſima *Bruni* opuſcula a *Carteſio* fuiſſe lecta. Hæc certe, quæ de dubitatione profert *Brunus*, ita ſunt comparata, ut a quolibet ſine magno conatu excogitari poſſint: certe eodem jure quis contendat, *Carteſium* principium illud dubitationis ex *Paulo* ſumſiſſe Apoſtolo, qui dixit: *Omnia probate, quod bonum*

est retinete: neque etiam statim, si scriptores cum antiquis conveniunt, concludendum, ea modernos ex illis descripsisse. In his opusculis quædam occurrunt, v. gr. de substantiis seu monadibus, earum inextinguibilitate, ut ita dicam, de optimo mundo, quæ ex asse conveniunt cum iis, quæ ab illustrissimo *Leibnizio* sunt prolata, licet autem illustris vir multa legerit, non tamen eum sua principia ex *Bruno* hausisse, crediderim. Hæc *in* πρόδρ. Pag. 9. ostendere vult *Brunus*, minimum esse substantiam rerum respectu numerorum, & atomorum respectu corporum. Deum esse monada, quia ab una illa substantia omnia proveniunt, ita autem loquitur:

Minimum substantia rerum est,
Atque id idem tandem opperies super omnia magnum.
Hinc monas, hinc atomus totusque hinc undique fusus
Spiritus, in nulla consistens mole suisque
Omnia constituens signis, essentia tota
Si res inspicias hoc tandem est materiesque,
Quandoquidem minimum sic integrat omnia, ut ipsum
Ni substernatur reliquorum non fiet hilum
Esto nulla monas numerorum non erit ullus
Namque ea constituit species, statuens genus omne.
Quocirca in cunctis primum est fundamen, ut unde
Et Deus & natura parens arsque explicat alte
Quod super omne genus perstat, quod & in genere omni est.

In *commentario* ad hæc verba ita se explicat: [si obscure loqui idem est ac explicare] „ Minimum est substantia rerum, quatenus videlicet aliud a quantitatis genere significat; corporearum vero magnitudinum, prout est quantitatis principium. Est, inquam, materia, sive elementum efficiens, finis, & totum, punctum in magnitudine unius & duarum dimensionum. Atomus privative in corporibus quæ sunt primæ partes. Atomus negative in hisce, quæ sunt tota in toto atque singulis, ut in voce, anima & hujusmodi genus. Monas rationaliter in numeris, essentialiter in omnibus. Inde maximum nihil est aliud, quam minimum. Tolle undique minimum, undique nihil erit. Aufer undique monadem, nusquam erit numerus, nihil erit numerabile, nullus numerator.

„ Hinc

„ Hinc Optimus Maximus ſubſtantiarum ſubſtantia & entitas, qua „ entia ſunt, monadis nomine celebratur. „ Apparet ex hisce *Bruni* verbis, quod, quemadmodum monas eſt principium numerorum & corporum, diverſo licet reſpectu; ita Deus eſt monas, ſingulariſſimo ſenſu; quia ſine illo nihil exiſtere poteſt.

Argumentum capitis tertii tale eſt: *Ex proxime dictis concluditur, mortem ad corporum ſubſtantiam non pertinere, multoque minus ad animam.*

Incipit autem ita:

I nunc ſtulte minas mortis fatumque timeto
[Non audita ferunt Samii ſacra verba parentis]
Trepida ad voces ſtultorum, & ſomnia vulgi
Fatalem incutiant terrorem ſis quaſi vere
Compactum quiddam conſiſtens partibus hisce.
An non ipſa fluens vario cum tempore raptim
Continuo mutata venit de partibus ultro
Adſcitis noviter primis abeuntibus moles?
Numquid materies eadem tua corporis eſt nunc
Partibus ac toto qualis paulo adfuit ante?

Et paucis interjectis:

- - - Sic ergo videbis
Corpore te nuſquam ſubjectum deteriorem
Quod primum in nullum recidit prius atque perenne eſt.
Nunc ibi, tunc hic integrans ut nunc tua membra
Quæ moveas ſerie tibi quæ certas miniſtrent
Nam [velut in Phyſicis ample patefecimus] hinc eſt
Ortus vitai, molisque adoleſcentia noſtræ
Ut centri in magnum exglomerat ſe expanſio gyrum
Conlectis atomis circum undique ſpiritus archi-
tectus ſe infuſo totum moderatur ad uſque
Tempus, quo exactis numeris, vel ſtamine rupto
Corporis in centrum redimat ſe & inde per amplum

Recens

Recens se insinuet mundum; & hoc dicere mortem
Suevimus; ignotam in lucem quia pergimus, etsi
Persentire dat paucis quam vivere nostrum hoc
Sit periisse: mori hoc sit veræ adsurgere vitæ
Interdum &c.

Commentarium Bruni in hæc verba paulo obscuriora adscribam necesse est. Ita autem sonant pag. 3.

„ Quum rerum substantia minime sit dissolubilis, mortem
„ non esse timendam, sed transitum expectandum sensit Pythago-
„ ras. Ipsa quippe dissolutio quædam est quæ nonnisi composito
„ advenit, quod nullum est substantia, sed adventitium: alioqui
„ substantiam per singula momenta mutaremus, quando effluxus &
„ influxus a nostro corpore & in nostrum corpus est continuo;
„ quare solum per individuam animæ substantiam sumus id quod
„ sumus, quam circum veluti centrum quoddam ubique totum ato-
„ morum exglomeratio fit & agglomeratio, unde per nativitatem &
„ adolescentiam spiritus architector expanditur in hanc, qua consi-
„ stimus molem & a corde diffunditur: in quod tandem veluti telæ
„ istius stamina complicans sese recipiat, ut ex eadem per quam
„ processerat viam intraveratque portam recedat demum & egredia-
„ tur. Nativitas ergo est expansio centri. Vita consistentia sphæræ.
„ Mors contractio in centrum. „ Post hæc addit:

„ Est & immortalitatis nostræ validissimum ex eo principio
„ argumentum, quod individua, quæ ædificat, agglomerat, exglo-
„ meratque, ordinat, vivificat, movet, intexit, & ut mirabilis opi-
„ fex tanto operi est præfecta substantia, minime deterioris debet esse
„ conditionis [accidens utpote quoddam entelechia, energia, har-
„ monia & contemperamentum ut omnium stupidissime definierunt
„ Aristoteles & Galenus] quam corpora, quæ agglomerantur, ordi-
„ nantur, moventur, & in illius usum adsumuntur *hæc, quorum*
„ *substantia est vere æterna.* „ Denique addit:

„ Pro conditione, qua anima se gessit in uno corpore ad aliud
„ sortiendum disponit, inquit Pythagoras, Saduchimi, Origenes &
„ alii

„ alii e Platonicis. Itaque non est tanquam fortuita illa sedium „ mutatio, sic ut partium, ex quibus corporea moles compaginatur. „ Quapropter aliæ per corpora humana discurrunt, aliæ in heroum „ corpus adsumuntur; aliæ vero in deteriora deturbantur. Hæc „ illi, qui æterna omnia quadam revolutione exagitata intelligunt „ præter unum. „ Hactenus *Brunus*.

Ex hisce sequentes licet propositiones elicere: (1.) corpus nostrum, si *Brunum* audias, constare conglomeratione atomorum: (2.) quotidie illas fluere, nec tamen id, quod hominem efficit, tollere: (3.) illas ipsas partes non interire: (4.) mentem esse substantiam plane a corpore alienam: (5.) cum illa, antequam corpori inseritur, conjunctam esse atomum quandam, seu tenuissimum corpusculum: (6.) per mentem substantiam illam posse extendi & vivere: (7.) ubi agglomeratio cessat, mentem denuo cum sua, qua unita erat, substantia subtili cedere & evagari, non autem interire: (8.) tandem hanc ipsam mentem, secundum *Pythagoram*, aliorumque sententiam, in alia migrare corpora. Hæc certe sententia, quoad summam rei, non aliena est ab ea, quam nostro seculo illustris *Leibnizius* defendit, contendens, substantias oriri saltem posse per creationem & extingui per annihilationem; mentem cum tenui vehiculo esse conjunctam; operationem mentis in corpus *efficere aliquam dilationem* &c.

IV.

De hac ipsa Monade suprema, seu Deo ita sentit, ut ipsa nulli, cetera autem corpora perpetuæ mutationi obnoxia sint. Ita pag. 14. hujus libelli loquitur:

Simpliciter tandem Monadum Monas una reperta est,
Quæ multum & magnum complectitur omneque in ista
Integranda means dans entibus esse Deusque est,
Extans totum infinitum, verum, omne, bonum, unum:
Quæque in composito, discreto, sensibilique
Consistunt & distractim dimensio conflat
Sunt aliud atque aliud minimorum corporum adusque
Quæ nusquam spatio se compatiuntur in uno

Heic ubi materies expansis fluctuat alis;
In vero, uno ente aviterno simplice eadem
Non statuunt numerum. Simplex, Ens, unum & idem.

Commentarius ad hæc verba ita sonat pag. 17.

„ Deus est monadum monas, nempe entium entitas: quapropter etiam vulgo philosophantibus ens & unum non differunt: „ sicut ergo per monadem omnia sunt unum, ita & per monadem „ sunt, quando quod unum non est, nihil omnino est. In minima „ simplici monade oppositе omnia sunt idem, par & impar, multa „ & pauca, finita & infinita. Ideo quod minimum est, idem est „ maximum, & quicquid inter hæc ostenditur hoc primo in Deo „ qui idem dicitur esse ubique & nusquam, infra omnia fundans, „ super omnia gubernans, intra omnia non inclusus, extra omnia „ non exclusus, omnia per excellentiam & comprehensionem, „ nihil per definitionem, principium omnia movens, finis omnia „ terminans. Medium nectens & discriminans omnia, centrum „ ubique. Intimum internorum. Extremum nusquam, quia metitur & concludit omnia, & qui in nullo, in se ipso, quia individuus & simplicitas ipsa sed & ipse. „

Obscuriora hæc esse, quam Philosophiæ Professorem decet, non nego. Hoc tamen ex versibus illis & commentario colligi posse indubitato videtur, Deum monadem primam esse substantiam simplicem, mutationi plane nulli obnoxiam. Ἐν τι, indivisum quid, ut *Platonici* & *Pythagorici* loquuntur; cætera ex atomis constare perpetuo fluxui mutationique obnoxiis; quæ certe ostendunt, *Brunum* existumasse, Deum prorsus ab omnibus rebus in oculos incurrentibus esse plane distinctum. Pag. 65. non solum Dei existentiam admittit, sed & iis, quæ revelatio de novo cœlo tradit, assensum præbere videtur.

„ At nos, *inquit*, [qui non in solo audito verbo explendi „ animi famem consuevimus pabulare, sed & ultra sensuum melio„ rum atque firmiorum rationum panem exposcimus] habemus ubi „ Dei infinipotentis omnipotentisque naturæ virtutem possibilitatem-

„ que

„ que proprio actu non expoliatam contemplemur, admiremur &
„ absque levium illorum somniorum suffragiis efferamus; nec non
„ unde juxta sacrorum Vatum præsagia talem solem, lunam, astra,
„ orbes atque motores in suum resoluta evanidum atque nihilum
„ videamus: & clariore animo sensuque duce cœlum novum [quod
„ & idem ante dictorum cœlorum secula antiquum] unum immen-
„ sum spatium æthereum aspiciatur, eumque inque illo nova omnia. „

Pag. 73. animæ naturam divinam & simplicem esse denuo asserit, dicens:

Ergo natura est animi divina reperta
Quam non alteritas non passio conficit ulla.

Et mox:

Atqui naturam in specie meditando perenni.
Unam cui conformari servareque temet
Consimilem debes consortem te esse Deorum
Comperies vitæ: & dices substantia nostra hæc.

In *commentario* adjecto, gradationem aliquam substantiarum intelligentium idem admittit, statuendo; præter animam humanam, substantiam intelligentem terræ globo, aliam universo mundo seu systemati planetarum concessam; super has tamen superiorem tandem, seu potius supremam & omnium rectricem existere; de hac ait p. 74.

„ Suprema est animus animorum Deus, spiritus unus omnia
„ replens totus, ordinator supra & extra omnem ordinem, ideo
„ supra omnia magnificandus Deorum vocibus & encomiis, nulli
„ Deorum, mundorum animorumve nominabilis effabilis, non
„ comprehensibilis, a propria tantum unica simpliciſſimaque infini-
„ tate [non comprehensibilis inquam] exæquabilis. *Pag. sq. ait,*
„ quædam proprie intrinsecaque natura æterna, immortalia, in-
„ componibilia, indissolubilia, animæ, Dii, Deus. „

V.

Pergamus ad libellum de *principiis menſuræ*. Pag. 133. in commentario contendit, minima ad perfectionem totius facere, & malum ipſum ad ornatum mundi, idque Deo ita disponente, conferre. „ Nihil [*inquit*] in univerſo adeo exiguum, quod ad eximii integritatem atque perfectionem non conducat. Nihil item malum eſt, „ quibusdam & alicubi, quod & quibusdam & alibi non ſit bonum „ & optimum. Hinc ad univerſum reſpicienti nihil occurret turpe, „ malum, incongruum; neque enim varietas atque contrarietas „ efficit, quominus omnia ſint optima, prout videlicet a natura „ gubernantur, quæ velut Phonaſcus contrarias voces extremas atque medias ad omnium quam poſſumus imaginari optimam „ ſymphoniam dirigit & perducit. „ Hæc ex aſſe conveniunt cum iis, quæ *Leibnizius* & illuſtris *Wolfii* ſectatores tradunt: quanquam minime credam, ex eo petita eſſe hæc dogmata. Multa loca veterum *Platonicorum* & *Stoicorum* adduci poſſent, in quibus ſimiliter loquuntur. In libello de *monade*, *numero & figura* p. 101. videtur non ſolum revelationem, ſed & creationem ex nihilo admittere. „ In „ ſimilitudinem, [*inquit*] qua Deum dierum ſenario cœlum, tellurem, & omnia quæ apparent in eis, creaſſe dixit Moſes, præceptum ab eodem eſt, ut operi ſex tantummodo dies deſtinarentur, ſex annis ſeminarent, & omnino numerum hunc eſſe operis „ adminiſtrationisque agnoſcant.

Pag. 151. ex contemplatione innumerorum operum Dei, mentem ad Deum ipſum, tanti operis cauſſam laudandum, aſcendere quaſi adſerit. „ Non levem [*inquit*] ac futilem atqui graviſſimam, „ perfectoque homine digniſſimam contemplationis partem perſequimur, ubi divinitatis naturæque ſplendorem, fuſionem & communicationem non in Egypto, Syro, Græco, ſive Romano individuo, non in cibo, potu, & ignobiliore quadam materia cum „ attonitorum ſeculo perquirimus & inventum confingimus & ſomniamus: ſed in auguſta omnipotentis regia, in immenſo ætheris „ ſpatio, in infinita naturæ germine omnia fientis & omnia facientis potentia: unde tot aſtrorum, mundorum, inquam, magnorumque animantium & numinum uni altiprimo concinentium at-

„ que

„ que lætantium absque numero & fine juxta proprios fines ubique
„ ac ordines contemplamur. Sic ex visibilium æterno, immenso &
„ innumerabili effectu sempiterna illa immensa potestas atque boni-
„ tas intellectu conspicitur, proque sua dignitate inenarrabilium
„ Deorum, mundorum, dico adsistentia, concinentia & gloriæ
„ illius enarratione imo ad oculos expressa concione glorificatur,
„ cui immenso mensum non quadrabit domicilinm atque templum;
„ ad cujus majestatis plenitudinem agnoscendam & percolendam
„ numerabilium ministrorum nullus esset ordo. „

Nihil hîc dicit, *Brunus*, quam quod moderni iique doctissimi Astronomi & Physici asserunt. Fatentur nimirum tot orbes habitabiles & circa soles suos hærentes terras immensam gloriam Numinis manifestare.

Pag. 185. plures esse mundos probare vult ex natura divinæ *bonitatis*, quæ non possit non sese ad possibilia quævis extendere. „ Quemadmodum (*inquit*) bonum est mundum esse hîc, & malum „ esset mundum non esse; haud aliter in simili spatio a similibus „ causis bonum est esse, & malum perpetuo non esse mundum. Si „ ergo mundus iste solus est, & non alius, quomodocunque no- „ men mundi tibi accipiatur, bonum (ut supra quoque dictum est) „ esset finitum, singulare & individuum, malum autem infinitum „ diffusissimum & universalissimum: (2.) nullum neque ex parte „ efficientis, neque ex parte rei factæ, neque ex parte spatii, ne- „ que aliam fingere possim causam, tanti boni esse impedimentum: „ (3.) nullum otiosum & avarum potest ad bonorum effectum se „ communicare & diffundere, & sine causa non se diffundens po- „ test esse bonum. Primo sicut non bonus, privative est malus, „ ita potens & impotens id ipsum positive & affirmative esset, idem- „ que pro finito effectu finite bonus esset, efficiens pro infinitæ „ autem actionis repressione esset infinite malus. „

Brunus probare vult, dari innumerabiles mundos, atque hoc ex natura infinitæ Dei bonitatis se confirmaturum putat; in quo tamen fallitur. Argumentum enim ejus plus probaret quam probandum erat, adeoque nil probat. Ita enim nullos deberet inter mor-

tales respectu benignitatis Dei dari gradus; ita creaturæ omnes deberent esse ejusdem naturæ; ita Deus non amplius cuiquam quicquam præstare posset, quæ omnia ἀτοπα plane sunt. Præterea addendum Deum omnia posse, quæ nullam involvunt contradictionem; at nulla talis est, si dicant, Deum alias series rerum contingentium producere posse, præter eas, quas existere deprehendimus; fieri autem hoc non posset, si bonitas eum quasi coëgisset omnia possibilia producendi. Sanctissima voluntas & sapientia & libertas a bonitate Dei non sunt separanda. Hoc unum, ad præsentem locum, quod adtinet, notamus: *Brunum* confiteri, nullum esse impedimentum in Deo, quo minus plures mundos condere possit. Ita non posset loqui *Spinozæ* antecessor aut discipulus. Ex mente enim *Spinozæ* omnia necessario ex natura Dei manant; quicquid factum est, seu potius per æternam quandam emanationem ex primo Ente derivatum necessario factum est. Idem tamen argumentum prolixius tractat pag. 189. ad quæ cum imprimis cl. *la Croze* provocet, infra solicite examinabimus. Pag. 193. necessitatem, sed *moralem* & *hypotheticam*, non *absolutam* in Deo concedit, simulque discrimen, quod inter nostram libertatem & Dei sua opinione intercedere putat, explanat. Verba ipsa, quamvis prolixiora, necessario sunt adscribenda, quia aperte, mea opinione, *Spinozæ* systemati opposita sunt. „ Infinita [*loquitur Brunus*] virtus, si neque a se „ ipsa finitur, nec ab alio, tunc necessitate suæ naturæ agit: non „ agit necessitate naturæ alia a se & sua voluntate in eorum mo„ rem, quæ necessitati subsunt; sed ipsa est, ut sæpe dicimus, ne„ cessitas. Agit ergo necessitate, quæ neque ab intrinseco & per se, neque „ ab extrinseco & per aliud frustrari potest. Non primum, quia non po„ test esse aliud & aliud. Non secundo, quia ista necessitas reliquorum „ omnium lex est. Antevertens ergo naturam illam necessitatem & vo„ luntatem & potentiam nihil esse potest, quominus procedat secundum „ totam potentiam, quæ est ipsa bonitas, aut nihil, quæ est infinita, aut „ non ipsius; quæ se diffundit infinite, aut non ab ipso. Nostra agendi „ libertas fertur & imperfecte & in imperfectum aliquoties objectum: „ proindeque affectu atque rerum latentia undique turbatur: quod „ si intra turbatam voluntatem, atque cognoscitivæ potentiæ cur„ sum absque ignorantia & aliis passionibus ageremus, duorum „ oppositorum operatio nostra perpetuo definita esset ad melius.

„ Ante-

„ Antequam enim operemur inter utramque viam hæremus & con-
„ sultamus, incertique tandem & cum turbato definimus adfectu.
„ Deus ut natura, cum sit perfectissimus uno de duobus eoque
„ convenientissimo modo, & quia non coactus agit, libere agit, &
„ voluntas cum bonitate & bonitas cum necessitate concurrit. Id-
„ circo cum in omni specie unum sit optimum, unum necessario agit
„ & non aliud, utque non potest esse nisi bonus, non potest aliter
„ facere, quam facit. Quare necessitate naturæ bonum facit, atque
„ melius atque unum & alterum oppositorum quod est deterius,
„ neque ejus potentiæ, neque voluntatis, neque necessitatis objec-
„ tum poterit esse unquam vel subjectum. „ Et paucis interjectis:
„ Non melius ergo rite consideranti de hominis libertate sentien-
„ dum, qualis ea cunque sit aut unquam fuerit vel esse possit, quam
„ de iis, quæ sub incertitudine versantur, vertiginisque casu
„ æstuant: Non est ergo dignum, ut Deum ex hujusmodi generis
„ libertate æque vel inæqualiter ad duo contradictoria volenda vel
„ agenda velle vel agere posse referatur, id enim totum a contin-
„ genti ambiguoque & fluctuante inter contraria principia demanat;
„ sed illius generis est libertas, quæ idem est ac ipsa necessitas, cui
„ nihil superstat majus, cui nihil obsistit æquale, cui omnia in
„ omnibus atque per omnia obsecundando subjiciuntur. „

Hinc velim notari, *Brunum* (1.) in Deo non indifferentiam agnoscere, quia nihil non ei cognitum sit. (2.) Eum velle optimum. (3.) Necessitatem in Deo nonnisi ad optimum volendum tendere. (4.) Voluntatem hominis, siquidem ea omnia perspiceret, quæ optima sunt, non futuram indifferentem, sed semper ad optimum eligendum latum iri, quæ ut ovum ovo similia esse videntur decretis *Leibnizianis*.

Notanda etiam verba, quæ extant p. 191. & sic sonant:

Nempe ipsum fatum divina est ipsa voluntas.

Pag. 253. denuo in eo est *Brunus*, ut ostendat, plures dari mundos eosque infinitos. Rursus ratiocinatur ex bonitate Dei, putatque, aliter *Manicheis* atque iis, qui malum contra providentiam

urgent

urgent, responderi non posse. „ Mox illi (*adversarium quendam* „ *intelligit*) concludendum fuisset, *post* specierum naturæ præcipua- „ rum enumerationem, quemadmodum mundus ex paucioribus „ male constaret & superaddita plura essent mundo supervacua, „ quod item species aliter efformatæ atque ordinatæ melius non ha- „ berent contra clamores Momi, Gnosticorum atque Manicheorum; „ quorum rationibus, tum auctoritatem divinorum adderem, qui- „ bus omnis creatura vanitas nihil & non ens reputatur: tum & „ rationem, quia nihil est finita bonitate bonum, quod non possit „ esse melius; quicquid posset esse melius, habet aliquos mali dete- „ riorisque gradus; quemadmodum quod non est simpliciter illustre, „ ab omnibus obscuritatis gradibus non est absolutum. Ideo per- „ fectum simpliciter, & per se & absolute est unum, infinitum, „ quod & quo neque majus esse potest quicquam neque melius. Hoc „ est unum ubique totum, naturaque universalis, cujus perfecta „ imago & simulacrum nullum esse potest nisi infinitum: finitum „ ergo quodlibet est imperfectum; mundus quicunque sensibilis im- „ perfectus est, ut malum & bonum, materia & forma, lux & tene- „ bræ, tristitia & gaudium concurrant, & omnia ubique in altera- „ tione sunt atque motu, quæ omnia in infinito in ratione unita- „ tis, & veritatis, & bonitatis veniunt; quæ universitas singula- „ rissimo jure dicitur. „ Et paulo infra: „ Modo ergo corporeo „ divinitas secunda explicata nusquam tota præterquam in infinito „ (omne enim corpus ita est dispersum, ut ubi unam partem habet „ aliam nullam habeat aut habere possit) in sua tantum universitate „ & ordinibus sub immensitatis ordinatione innumerabilibus: ubi- „ que principium, quod cum fine concurrit, nempe centrum, quod „ ad infinitum circumquaque & ad quod circumquaque refertur in- „ finitum, hoc est, quod ab æterno a divinitate procedit secundum „ esse totum, ut infinitæ bonitatis communicatio, actus effectusve „ divinæ omnipotentiæ externus; unica illius & minime multiplica- „ bilis imago, illustre speculum, templum augustissimum, in quo „ illi concinentium Deorum laudes sine fine atque numero undique „ occurrunt, neque turpissima infinitaque illa inanitatis voragine „ quasi terrefiat: & hoc in quo humanus non conquiesceret appe- „ titus optime expleatur atque maximi voluntas illa. „

Ex

Ex hisce *Bruni* verbis patere videtur: (1.) ipsum, mundum infinitum pro effectu potentiæ divinæ habuisse; neque putasse, mundum & Deum unam absolvere substantiam; aut ex necessitate divinæ naturæ ortum mundum. (2.) Mundum esse infinitum, quia aliàs malum extaret & defectus bonitatis divinæ. (3.) Malum non dari in infinito mundo, quia omnia in ratione unitatis, veritatis, & bonitatis, sunt pulchra. Quæ denuo ad summam rerum quod spectat cum *Leibnizio* conspirant, asserente, mundum hunc tanquam optimum a supremo Ente conditum; mala quæ videntur ex harmonia universorum, in qua nullus esse potest defectus, dijudicanda. Hinc idem *Brunus* p. 256.

Nec quia naturæ in gremio non optima quæque
Et sua monstra parit, species non una licebit
Artificis corpus molimina tanta potentis
Quicquid enim exiguum est imbecille inque minutum
Totius incurrit complendam ad nobilitatem:
Numquid enim pictura tibi nunc optima fiet
Quando aurum aut tyrius color optimus undique fulget?
Annon & furva e nebula micat optime? an ullus
Esse gradus poterit, qui pro serie locoque
Corpus ad integrum bonus haud sit & optimus ipse
In fine ac toto.

Pag. 258. idem repetit dicendo: *Nihil est absolute imperfectum malum, sed ad aliquid tantum.* Eandem propositionem repetit sæpissime. Cap. X. pag. 648. ait: *Deum esse infinitum in infinito, ubique in omnibus, non supra, non extra, sed præsentissimum, sicut entitas non est extra & supra entia, non est natura extra naturalia, bonitas extra bonum nulla est.*

De modo divinæ omnipræsentiæ ita judicat pag. 653. „ Atqui „ nos [*inquit*] de illius voluntate haudquaquam ignobilium & stul„ torum more definimus, cui, quod optimum & gloriosissimum est „ & naturæ suæ optime convenientissimum tribuendum ducimus, „ quem nefas est quærere in sanguine cimicis, recutito cadavere, „ epileptici spuma, & sub conculcantibus carnificum pedibus & „ melan-

„ melancholicis, nec romanticorum vilium myſteriis, ſed in invio-
„ labili, intemerabili naturæ lege, in bene ad eandem legem inſtituti
„ animi religione, in ſplendore ſolis, in ſpecie rerum, quæ de
„ hujus noſtræ parentis viſceribus educuntur, in imagine illius vera
„ corporeo modo explicata de vultu innumerabilium animantum, quæ
„ in immenſa unius cœli fimbria lucent, vivunt, ſentiunt, intelli-
„ gunt, optimoque uni applaudunt Maximo. „

In libello de compoſitione imaginum nihil eſt, quod ad hoc argumentum faciat.

Quod ſi ea, quæ hactenus ex opuſculis *Bruni* adduximus, in ſummam colligamus, conſtabit; *Brunum* admiſiſſe: (1.) Ens perfectiſſimum, ſimpliciſſimum, intelligens. (2.) Illud a mundo diſtinxiſſe. (3.) Mundum originem ſuam debere ſapientiſſimo & optimo enti, immo infinitos eſſe mundos ab eo productos. (4.) Deum non agere neceſſitate naturæ, ſed liberrime atque neceſſario optimum velle & facere. (5.) Mentes humanas eſſe immortales, ſimplices nempe & nulli mutationi obnoxias.

VII.

Diſpiciendum jam quidem eſt, quibus rationibus cl. *la Croze* probet, hominem hunc *Spinoſiſmum* ante *Spinozam* profeſſum eſſe. Agit autem id in libello cui titulus: *Entretiens ſur divers ſujets d'Hiſtoire & de Litterature, de Religion & Critique* pag. 284. ſq. In genere aſſerit, *Brunum* Romæ fuiſſe ob atheiſmum combuſtum. Quanquam autem infirma plane eſſet ratiocinatio hæc: *Brunus* Romæ combuſtus fuit tanquam Atheus; ergo fuit Atheus; tamen quia ex ipſa morte judicium aliquod viri docti ferunt de cauſſa ejus, neceſſe eſt, ut epiſtolam *Scioppii* ad *Rittershuſium*, Roma datam, hic adducam. Edidit illam integram cl. *B. G. Struvius* in *Actis litterariis ex manuſcriptis editis* tom. V. Quoniam autem quædam ad rem non pertinentia in hac epiſtola continentur, ea tantum poſt cl. *la Croze* proferam, quæ ad hanc hiſtoriam neceſſario pertinent. Ita autem ſcribit *Scioppius*: „ Quas ad nuperam tuam expoſtulatoriam epiſtolam
„ reſcripſi, non ſane dubito, quin tibi ſint redditæ, quibus me tibi

„ de

„ de vulgato reſponſo meo ſatis purgatum confido. Ut vero nunc
„ etiam ſcriberem, hodierna ipſa dies me inſtigat, qua *Jordanus*
„ *Brunus* propter hæreſin vivus videnſque in campo Floræ ante
„ theatrum Pompeii eſt combuſtus. Exiſtimo enim & hoc ad ex-
„ tremam impreſſæ epiſtolæ meæ partem, qua de hæreticorum pœna
„ egi, pertinere. Si etiam nunc Romæ eſſes, ex plerisque omnibus
„ Italis audires, Lutheranum eſſe combuſtum, & ita non medio-
„ criter in opinione tua confirmareris de ſævitia noſtra. At ſemel
„ ſcire debes, mi Ritterhuſi! Italos noſtros inter hæreticos alba linea
„ non ſignare, neque discernere noviſſe: ſed, quicquid eſt hæreticum,
„ illud Lutheranum eſſe putant. In qua ſimplicitate, ut Deus eos
„ conſervet, precor, ne ſciant unquam quid hæreſis alia ab aliis
„ discrepet. Vereor ne alioquin iſta discernendi ſcientia nimis caro
„ ipſis conſtet. Ut autem veritatem ipſam ex me accipias, narro
„ tibi, idque ita eſſe fidem do teſtem, nullum prorſus Lutheranum
„ aut Calvinianum niſi relapſum vel publice ſcandaloſum ullo modo
„ Romæ periclitari, nedum ut morte puniatur. Hæc ſanctiſſimi
„ Domini noſtri mens eſt, ut omnibus Lutheranis Romam pateat liber
„ commeatus, utque a Cardinalibus & Prælatis Curiæ noſtræ omnis
„ generis benevolentiam & humanitatem experiantur. Atque uti-
„ nam hîc eſſes! Scio, fore ut rumores vulgatos mendacii damnes.
„ Fuit ſuperiore menſe Saxo quidam nobilis hîc apud nos, qui an-
„ num ipſum domi Bezæ vixerat. Is multis innotuit; ipſi etiam
„ Confeſſario Pontificis Cardinali Baronio, qui eum humaniſſime exce-
„ pit, & de religione nihil prorſus cum eo egit, niſi quod obiter eum ad-
„ hortatus eſt ad veritatem inveſtigandam. De periculo juſſit eum
„ fide ſua eſſe ſecuriſſimum, dum ne quod publice ſcandalum præ-
„ beret. Ac manſiſſet ille nobiſcum diutius, niſi ſparſo rumore de
„ Anglis quibusdam in Palatium Inquiſitionis deductis perterritus
„ ſibi metuiſſet. At Angli illi non erant, quod vulgo ab Italis
„ dicuntur Lutherani, ſed Puritani & de ſacrilega Sacramenti per-
„ cuſſione Anglis uſitata ſuſpecti. Similiter forſan & ipſe rumori
„ vulgari crederem, *Brunum* iſtum fuiſſe ob Lutheraniſmum com-
„ buſtum, niſi S. Inquiſitionis officio interfuiſſem, dum ſententia
„ contra eum lata eſt, & ſic ſcirem, quamnam ille hæreſin profeſſus
„ fuerit. Fuit enim *Brunus* iſte patria Nolanus ex regno Neapoli-
„ tano, profeſſione Dominicanus, qui cum jam annis abhinc duo-

„ decim de Transſubſtantiatione rationi nimium (ut Chryſoſtomus
„ tuus docet) repugnante dubitare, imo eam prorſus negare, &
„ ſtatim virginitatem Mariæ (quam idem Chryſoſtomus omnibus
„ Seraphim & Cherubim puriorem ait) in dubium vocare cœpiſſet,
„ Genevam abiit, & biennium iſtic commoratus, tandemque, quod
„ Calviniſmum per omnia non probaret, inde ejectus Lugdunum,
„ inde Tholoſam, hinc Pariſios devenit, ibique extraordinarium
„ Profeſſorem egit, cum videret, ordinarios cogi Miſſæ Sacro in-
„ tereſſe. Poſtea Londinum profectus libellum iſtic edit *de Beſtia*
„ *triumphante*, hoc eſt, Papa, quem veſtri honoris cauſſa *Beſtiam*
„ appellare ſolent. Inde Wittenbergam abiit, ibique publice pro-
„ feſſus eſt, biennium niſi fallor. Hinc Pragam delatus librum edit
„ *de immenſo & infinito*, itemque *de innumerabilibus* (ſi titulorum
„ ſat recte memini, nam libros ipſos Praga habui) & rurſus alium
„ *de umbris & ideis*: in quibus horrenda prorſus & abſurdiſſima docet,
„ v. g. mundos eſſe innumerabiles; animam de corpore in corpus, imo
„ & alium in mundum migrare; unam animam bina corpora infor-
„ mare poſſe; magiam eſſe rem bonam & licitam; Spiritum San-
„ ctum nihil aliud eſſe niſi animam mundi, & hoc voluiſſe Moyſen,
„ dum ſcribit, eum foviſſe aquas; mundum eſſe ab æterno; Moyſen
„ miracula ſua per magiam operatum eſſe, in qua plus profecerat,
„ quam Ægyptii reliqui; eum leges ſuas confinxiſſe; Sacras Litteras
„ eſſe ſomnium; diabolum ſalvatum iri: ſolos Hebræos ab Adamo
„ & Eva originem ducere, reliquos ab iis duobus, quos Deus pri-
„ die fecerat; Chriſtum non fuiſſe Deum, ſed fuiſſe magum inſig-
„ nem, & hominibus illuſiſſe, ac propterea merito ſuſpenſum,
„ (italice *impiccato*) non crucifixum eſſe; Prophetas & Apoſtolos
„ fuiſſe homines nequam, magos, & plerosque ſuſpenſos. Denique
„ infinitum foret omnia ejus portenta recenſere, quæ ipſe & libris,
„ & viva voce aſſeruit. Uno verbo, ut dicam, quicquid unquam
„ ab Ethnicorum Philoſophis, vel a noſtris antiquis & recentioribus
„ hæreticis eſt aſſertum, id omne ipſe propugnavit. Praga Brunſ-
„ wigam & Helmſtadium pervenit, & ibi aliquamdiu profeſſus dici-
„ tur. Inde Francofurtum librum editurus rediit, tandemque Vene-
„ tiis in Inquiſitionis manus pervenit, ubi diu ſatis cum fuiſſet,
„ Romam miſſus eſt, & ſæpius a S. Officio, quod vocant, Inqui-
„ ſitionis examinatus, & a ſummis Theologis convictus, modo 40.

„ dies

„ dies obtinuit, quibus deliberaret, modo promisit palinodiam,
„ modo denuo suas nugas defendit, modo alios quadraginta dies
„ impetravit. Sed tandem nihil aliud egit, nisi ut Pontificem & In-
„ quisitionem deluderet. Fere igitur biennio, postquam hinc in In-
„ quisitionem devenit, nupera die nona Februarii in supremi In-
„ quisitoris palatium, præsentibus illustrissimis Cardinalibus S. Officii
„ Inquisitionis, (qui & senio & rerum usu, & Theologiæ, jurisque
„ scientia reliquis præstant) & consultoribus Theologis & sæculari
„ Magistratu, urbis Gubernatore, fuit *Brunus* ille in locum Inqui-
„ sitionis introductus, ibique genubus flexis sententiam contra se
„ pronuntiari audiit. Ea autem fuit hujusmodi: narrata fuit ejus
„ vita, studia & dogmata, & qualem Inquisitio diligentiam in
„ convertendo illo etiam fraterne adhibuerit, qualemque ille perti-
„ naciam & impietatem ostenderit; inde eum degradarunt, ut dici-
„ mus, prorsusque excommunicarunt & sæculari magistratui tradi-
„ derunt puniendum, rogantes, ut quam clementissime & sine san-
„ guinis profusione puniretur. Hæc cum ita essent peracta, nihil
„ ille respondit aliud, nisi minabundus: Majori forsan cum timore
„ sententiam in me dicitis, quam ego accipiam. Sic a lictoribus
„ Gubernatoris in carcerem deductus, ibique octiduo asservatus fuit,
„ si vel nunc errores suos revocare vellet, sed frustra. Hodie igi-
„ tur ad pyram sive rogum deductus est. Cum Salvatoris crucifixi
„ imago ei jamjam morituro ostenderetur, torvo eam vultu aspec-
„ natus rejecit, sicque ustulatus miser periit, renuntiaturus credo
„ in reliquis illis, quos finxit, mundis. Hic itaque, mi Rittershusi!
„ modus est, quo contra homines, immo monstra hujusmodi pro-
„ cedi a nobis solet. Scire nunc ex te studeam, is ne modus tibi
„ probetur: an vero velis licere cuivis quidvis & credere & profi-
„ teri. Equidem existimo, te non posse eum non probare. Sed
„ illud addendum forte putabis, Lutheranos talia non docere, ne-
„ que credere, ac proinde aliter tractandos esse. Assentimur ergo
„ tibi, & nullum prorsus Lutheranum comburimus. Sed de ipso
„ vestro Luthero aliam forte rationem iniremus. Quid enim dices,
„ si asseram & probare tibi possim, Lutherum non eadem quidem,
„ quæ *Brunus*, sed vel absurdiora vel magis horrenda, non dico
„ in convivialibus, sed in iis, quos edidit vivus, libris, tamquam
„ sententias, dogmata & oracula docuisse? mone quæso, si nondum

„ satis eum novisti, qui veritatem tot seculis sepultam nobis eruit, „ & patefaciam ipsa tibi loca, in quibus succum quincti istius Evan- „ gelii deprehendas, quam istic anatomiam Lutheri a Pistorio ha- „ bere possitis. Nunc si & Lutherus Brunus est, quid de eo fieri „ censes? Nimirum tardipedi Deo dandum infelicibus ustulandum „ lignis. Quid illis postea, qui eum pro Evangelista, Propheta, „ tertio Elia habent? Hoc tibi potius judicandum relinquo. Tan- „ tum ut hoc mihi credas, Romanos non ea severitate erga hære- „ ticos experiri, qua creduntur & qua debebant forte erga illos, qui „ scientes volentes pereunt. Romæ ad d. 17. Februarii 1600. „ (†) Vide quæ a cel. *Brukero* hist. phil. t. IV. p. 2. pag. 13. sq. de hac epistola narrata sunt. Ex hac epistola a *Scioppio* scripta satis patere videtur, quam ob causam *Brunus* igni fuerit traditus. Certe ne vestigium quidem ullum *atheismi* patet. Intererat *Scioppius* ipsius S. Inquisitionis Officio, atque ad errorum capita probe attendit, ne verbo autem meminit negatæ existentiæ Numinis. Quanquam haud diffitear vix ac ne vix quidem credi posse, Inquisitores illos, si *Spinozæ* errorem fuisset professus, hoc fuisse deprehensuros; sane multi initio ethicam *Spinozæ* non adeo periculosam crediderunt, ac postea, accurato examine instituto, deprehensum est. Quicquid sit, recte ad hanc epistolam provocavit cl. *Heumannus Act. phil. tom. II. part. 9. pag.* 383. *sq.* neque etiam probabile est, si *Scioppii* tantisper epistolam negligamus, *Brunum*, siquidem *atheus* fuisset, pertinaciter erroris sui patrocinium suscepturum fuisse; tempori potius inserviisset, & quidlibet potius esset professus, quam ut mortem esset perpessus. At hæc levia sunt, neque jugulum caussæ petunt. Neque prolixiores erimus in discutienda quæstione, utrum *Brunus* Wittembergæ orationem in *laudem Diaboli* habuerit; non solum enim citato in loco testimonia minus certa esse probat *Heumannus*, sed & si vel maxime unquam hoc fuisset ab eo tentatum, ingenii exercendi gratia factum, non sine verisimilitudinis specie dici posset. Provocat [3.] cl. *la Croze* ad libellum in Anglia editum: cui titulus *de Bestia triumphante*: „ Les „ impietés

(†) Celeberrimus *Schelhornius*, *commercii epistolaris Uffenbachiani* parte V. pag. 27. ex rariore libro *Gaspari Scioppii* quædam affert, quæ ad historiam de fatis *Bruni* a cl. *Struvio* expositam faciunt.

„ impietés [*inquit*] de Brunus paroiſſent aſſés à decouvert dans ſes „ livres latins: mais pourtant il a été beaucoup plus loin dans un „ livre italien imprimé ſous le titre de *Spaccio della Beſtia triomfante.* „ Ce titre a trompé Scioppius, qui a crû, que le Pape étoit la Bête, „ dont il eſt parlé dans cet ouvrage. D'autres que Scioppius y ont „ été attrapés: mais il eſt ſurprenant que Mr. Bayle, qui avoit eu „ le livre même entre les mains, n'en ait pas connu le venin. Je „ parleray fort brievement de cet ouvrage, ne l'ayant eu qu'un mo- „ ment en ma diſpoſition: le fameux Mr. Toland, à qui il apparte- „ noit, ne me l'ayant montré qu'avec beaucoup de reſerve. Tout „ le livre roule ſur une réforme, que Jupiter fait des conſtellations. „ Brunus l'introduit ſe plaignant de la décadence du culte des „ Dieux, quoy qu'on eut pris les meilleures meſures du monde „ pour le rendre éternel, en donnant aux aſtres les noms de Divi- „ nités & faiſant par là du ciel une eſpece de livre, qui contient „ toute la Theologie payenne. Momus ſe moque de Jupiter, & „ lui repond en raillant, que la mauvaiſe conduite des Dieux & „ l'hiſtoire ſcandaleuſe de leurs vilaines amours les ont fait enfin „ tomber dans un mépris univerſel. On aſſemble ſur cette objec- „ tion toutes les conſtellations, qui propoſent leurs raiſons & ont „ fait de ce ſujet des comparaiſons abominables entre les fables de „ Poëtes & les hiſtoires, qui ſont crûes dans les religions, qui ont „ ſuccedé au Paganiſme, L'Evangile y eſt tourné en ridicule. Le „ nom d'impoſteur y eſt repeté pluſieurs fois & appliqué aux trois „ legislateurs, à celui des Juifs & celui des Mahometans, ſans en „ excepter notre Sauveur. Cette execrable comedie finit par l'ex- „ cluſion qu'on donne a toutes les religions, pour ſubſtituer dans „ le ciel le nom des vertus morales aux fauſſes divinités du Paga- „ niſme. Voilà, *inquit cl. la Croze*, quel eſt ce livre capable de „ donner de l'horreur à tous les gens de bien, & propre à faire voir „ juſqu'où Brunus portoit ſon impieté. „ Quid ad hanc objectio- nem reſpondet cl. *Heumannus?* Multa: [1.] enim pag. 404. ſq. provocat ad *Scioppium*, qui de Papa libellum hunc ſcriptum eſſe contendit, neque forte ſine cauſſa. *Brunus* enim [2.] in oratione valedictoria Wittembergæ habita, & Actis philoſophicis inſerta, Papam *Beſtiam* appellavit. [3.] *Baylium* libellum legiſſe, neque adeo abominanda in eo inveniſſe. [4.] Cl. *la Croze* per momentum fal-

tem

tem inſpexiſſe librum. [5.] Dubitari poſſe, utrum *Brunus* ſit auctor libri. Nos in medio rem relinquimus, cujus argumenti fuerit libellus, cum eum evolvere hactenus non licuerit. (*) Duo tantum adnotamus. *Primum* eſt, vix credibile eſſe, *Brunum* in ipſa Anglia prelo commiſſurum fuiſſe libellum adeo deteſtabilem. Noſtra ætate ſumma eſt libertas ſentiendi & ſcribendi, præſertim in Anglia: at vix credibile, publice talia Typographos recepturos, aut ſine adnimadverſione abiturum auctorem & typographos: notum, quid *Tolando*, *Wolſtono*, aliisque acciderit; & hiſtoria illius temporis nihil tale profert. [2.] Si vel maxime abominandus fœtus ille patrem agnoſceret *Brunum*, nondum tamen eum profeſſum Atheum fuiſſe conſtaret, ſed impium chriſtianæ religionis irriſorem, id eſt, Deiſtam.

VIII.

Levia autem hæc. Sequuntur jam ea, quæ directe *Spinoſiſmum* ejus probant, ſi cl. *la Croze* audias. Petita autem ea ſunt ex libello *de immenſo & inenumerabili*, atque extant pag. 189. ſq. Ut autem lector de his judicari poſſit, ea, prolixiora licet, deſcribam. Conſtant autem aliquot propoſitionibus. I. eſt: *Divina eſſentia eſt infinita.* II. *Modum eſſendi modus poſſendi ſequitur.* III. *Modum poſſendi conſequitur operandi modus.* IV. *Deus eſt ſimpliciſſima eſſentia, in qua nulla compoſitio eſſe poteſt, vel diverſitas intrinſece.* V. *Conſequenter in eodem idem eſt eſſe, poſſe, agere, velle, eſſentia, potentia, actio, voluntas, & quicquid de eo vere dici poteſt, quia ipſe ipſa eſt veritas* (†). VI. *Conſequenter Dei voluntas eſt ſuper omnia, ideoque fruſtrari non poteſt, neque per ſe ipſam neque per aliud.* VII. *Voluntas divina eſt non*

(*) Vide de hoc libello pluribus agentem celeb. *Brukerum l. cit. p. 60. ſq.*

(†) Sæpe viri præſtantiſſimi & ab omni atheiſmi ſuſpicione alieni ejusmodi propoſitiones in fervore disputationis in medium proferunt, quæ periculoſis conſectariis obnoxiæ ſunt, & quas ipſimet ſedato affectu non admitterent: circa argumentum hujus theſeos id obtigit τῳ μακαρίτῃ cl. *Gundlingio* adverſus hæc disputanti de atheiſmo Platonis. Vide celeberrimi & amiciſſimi *Schelhornii amœnitates litt. tom. XIII. ſect. XXI. ſq.*

non modo necessaria, sed ipsa etiam est necessitas, cujus oppositum non est impossibile modo, sed ipsa impossibilitas. VIII. *In simplici essentia non potest esse contrarietas ullo modo, neque inæqualitas; voluntas, inquam, non est contraria & inæqualis potentia.* IX. *Necessitas & libertas sunt unum, unde non est formidandum, quod cum agat necessitate naturæ, non libere agat: sed potius, imo omnino non libere ageret aliter agendo, quam necessitas & natura, imo naturæ necessitas requirit.* X. *Potentia infinita non est, nisi sit possibile infinitum; non est, inquam, potens facere infinitum, nisi sit potens fieri; quæ enim impossibilis vel ad impossibile potest esse potentia?* XI. *Sicut est mundus in hoc spatio, ita & potest esse in simili spatio isti spatio, quod hoc mundo ablato possumus æquale huic mundo remanens intelligere.* XII. *Huic spatio, in quo est mundus, simile spatium extra mundum non est ratio, quæ tollat, neque faciat esse finitum.* XIII. *Mundus in simili spatio extra illud non esset huic mundo impedimento, neque major ratio esset, quæ hic formidet ruere illum, quam ille istum, quando quidem ubique medium est in infinito secundum rei veritatem, sursum vero atque deorsum secundum certam eorum, quæ sunt in uniuscujusque ordine habitudinem.* XIV. *Melius est esse, quam non esse; dignius est facere, quod est bonum, quam non facere. Ponere ens & verum improportionaliter, melius est, quam sumere non ens & nihil.* XV. *Potentia & voluntas naturalis frustrari non debet & ad infinitam durationem spatium esse sine proprio actu, tunc enim potentia ad impossibile referretur.* XVI. *Potentiam infinitam (extensiva sit sive intensiva) ad esse frustrari est, sic actu malum infinitum poni, sicut & actu est spatium infinitum.* XVII. *Sicut hoc spatium potest recipere hunc mundum & ornare, ita & simile quodcunque spatium ab ipso indifferens, simili non absente principio simile concepisse.* XVIII. *Ornamentum istius spatii hujusque mundi perfectio nihil est quod addat vel subtrahat vel sufficientiæ, vel indigentiæ præstet ornamento atque perfectioni alius cujuscunque spatii, quo minus non ita actuari exigat illud, quam actuatum verum plenitudine sit istud.* XIX. *De Deo & natura quam optime sentiendum.* XX. *De rebus maximis nil temere citra sensum & rationem defendendum. Hisce ita constantibus probandum est adversario,* I. *esse vim & caussam, quæ infinita essentia atque potentia finite operetur.* II. *Qua constare possit potentia activa infinita cum possibilitate finita rerum.* III. *Quo spatio*

quod hoc mundo absente comprehendimus, cui simile semper concipimus esse, minime ultra adjectum possit esse spatium. IV. *Qua tota materia est finita & margini illius extimi cæli comprehensa.* V. *Qua Deus non vult, quantum potest. Qua esse plures hoc nobis manifesto mundos non sit conveniens.* VI. *Necessitatem in Deo aliud esse a libertate.* VII. *Potentiam cum voluntate & actione non concurrere.* VIII. *Posse aliud quam vult, velle aliud quam potest.* IX. *Alia habere nomina quam habeat.* X. *Posse aliud velle, quam quod vult, posse aliter esse, haberi, quam sit vere, & necessitatem esse aliud & citra divinam voluntatem & e converso. Posse etiam velle, quod non vult, stante quo id non possit esse quod non est.*

Postquam cl. *la Croze* pag. 311. XX. primarum propositionum seciſſet mentionem, ita ait: *Voilà quels sont les principes de cet Athée, dans lesquels on trouve une grande conformité avec ceux de Spinosa. Ce qu'il appelle Dieu c'est la nature, ou plûtot l'Etre infiniment étendû, dont il tache d'établir la necessité & l'éternité dans ces pretendus axiomes.* Hæc quidem vir doctiſſimus dicit, at non probat; inſtituenda ergo fuiſſet, mea opinione, comparatio cum ſyſtemate *Spinozæ*, atque propoſitiones invicem conferendæ. Ergo *Spinozæ* principia in his propoſitionibus non deprehendo hic; cur ita ſentiam, dicam, poſtquam duo generalia primum præmiſero. Primum eſt; attendendum eſſe ad ſcopum, quem adductis propoſitionibus intendit *Brunus*. Probare nimirum vult, dari infinitos mundos. Hoc ſatis patet ex initio commentarii, qui immediate ante illas propoſitiones extat. Ita enim ſonat: *Infinitæ cauſſæ & principio nihil poteſt eſſe magnum, imo ne quidem aliquid, niſi infinitum; ſi ergo ſe rebus corporeis communicat, ſeu potius ſuam magnitudinem in rerum corporearum & multitudinis exiſtentiam explicat, objectum pro captu ejus eſſentiæ ſimulachrum ac potentiæ veſtigium infinitum magnitudine & absque numero ſubjiciat oportet; ſic ab uno conſimile unum eſt neque aliter divinitatis imago corporeo poteſt eſſe modo.* (2.) Confitemur, quædam in his propoſitionibus contineri, quæ non ſolum non probent, quod probandum erat; ſed & quæ, ſi conſequentias omnes urgere velis, periculoſis conſectariis viam aperiunt. At hoc non obſtante negamus, quod contendit *cl. Vir*, in eis contineri dogma *Spinozæ*, quod ut pateat, ſingulas *Bruni* propoſitiones percurremus

&

& breviter explicabimus. Prima propositio collata cum quarta propositione veriſſima eſt; Deus eſt eſſentia infinita, quod quo ſenſu accipiendum ſit, non ſolum in quarta propoſitione clarius oſtendit; ſed & ea omnia, quæ ſupra produximus, oſtendunt, eum eſſentiam illam pro infinite perfecta, bona, ſapiente habuiſſe: neque certe opus fuiſſet probare *Bruno*, mundos eſſe infinitos, quia bonitas Dei infinita eſt, ſi cum *Spinoza* ſenſiſſet; dixiſſet enim unam eſſe tantummodo ſubſtantiam, eamque infinitam, ex ea ſubſtantia infinita non poſſe non infinita infinitis modis, ut loquitur *Spinoza*, ſequi; cum enim neceſſitate naturæ agat, & natura illa infinite extenſa ſit atque cogitans, ſequi neceſſario infinitum eſſe Deum extenſione: at ille longe aliter ſuam ratiocinandi inſtituit methodum, ut ſupra audivimus & amplius examine inſtituto patebit. Secunda & tertia propoſitiones certo modo veræ, eo autem ſenſu, quo *Brunus* voluit, falſæ. Verum eſt, ſi abſtracte rem conſideremus, prout eſſentia eſt infinita, perfectiſſima, ita & potentiam & operationes perfectiſſimas & infinitas intrinſece ſpectatas eſſe. At falſum eſt, Deum perfectiones ſuas ad extra nonniſi infinite exercere poſſe; ſic enim Deus una tantum ratione agere poſſet; ita porro ejus potentia hodie nulla amplius eſſet. Et ut porro dicam, ſupponunt hæ propoſitiones, Deum extra ſe nihil finitum producere poſſe: at Deus poteſt quicquid nullam contradictionem involvit; at exiſtentiam dare rei finitæ nullam contradictionem involvit. Ergo. Minor probatur; quia nec a parte Dei, nec a parte rei finitæ exiſtentis ulla eſt repugnantia: Deus ſolus neceſſitate naturæ exiſtit, quicquid ergo producitur, non neceſſitate naturæ exiſtit, ſed voluntate Dei; quod non neceſſario exiſtit, illud initium habet exiſtentiæ, eo ipſo limitationem habet; quod ſi ad voluntatem Dei reſpicias, nihil iterum repugnat, exiſtere finitum quid ſeu creatum, non repugnat, varias eſſe creaturas, unde patet, quid de quinta propoſitione dicendum. Vera eſt, ſi *intrinſecam* Dei naturam ſpectes; falſa, ſi ad modum operandi ſeu voluntatis executionem reſpicias; uti Deus rerum finitarum ideas ab æterno habet; ita eas producere poteſt, eo ipſo, quia non repugnat produci; neque etiam exiſtere finitum. Sexta continet conſequentiam, quæ ſenſu a nobis dato vera eſt. Ex eadem patet, *Spinozam* ita loqui non poſſe; quomodo enim voluntas Dei fruſtrari non poteſt ex mente *Spinozæ*, quæ neceſſitate intrin-

seca naturæ agit, & ex ejus essentia infinita ab æterno omnia, prout sunt, NB. non prout voluit, necessario emanarunt. Septima admitti potest, si de necessitate hypothetica intelligatur, quo sensu, ut supra audivimus, sumsit etiam *Brunus*. Nimirum hic loquitur cum illis *Brunus*, qui putant, Deum esse ens sapientissimum; sapientem optimum eligere semper, & non posse aliter agere: quam necessitatem *Leibnizius* vocat in erudito opere *Theodiceæ* une *heureuse necessité*: supraque dictum qua ratione *Brunus* nostram libertatem cum Dei contulerit, Deoque omnia semper præsentia esse, quæ ad efficiendum requiruntur dixerit. At ex eo tamen nondum sequitur, mundos esse infinitos, nisi aliunde probaveris, materiam esse infinite extensam, quod si hoc probatum est, sequitur, mundos esse infinitos, seu Deum voluisse infinite extensam materiam producere; sequitur insuper, mundum ejusmodi infinitum Deum vi sapientiæ & ex legibus electionis optimi producere voluisse. At ex natura perfectissimæ essentiæ & bonitatis ipsa spectata, hæc propositio non sequitur, cum Deus nulla necessitate ad talem vel talem mundum creandum inductus fuerit. Octava vera est, si de essentia intrinseca intelligas: at non sequitur, mutationem esse in subjecto, si productum infinitum non est. Nona admitti potest, si de executione ad aliquid faciendum intelligatur & de necessitate hypothetica. Deus enim sapientissimus est, & non potest non optimum eligere. At respectu habito ipsius naturæ divinæ *essentialiter*, ut ita dicam, consideratæ falsa est. Essentia *necessaria* est, agendi ratio *libera*: Si Deus nihil voluisset producere, potuisset; fuisset adeoque liber; licet essentia ipsius necessario semper extitisset. Decima iterum est limitanda; verum est, potentiam divinam se ad infinitum extendere; id est, posset omnia facere, quæcunque nullam repugnantiam involvunt: posset adeoque huic mundo seu compagi rerum existentium addere innumerabiles mundos, neque finem, neque terminum habentes, verbo, infinitum perfectissimum posset facere infinitam extensionem. At cum Deus non sit aliquod necessario agens, posset etiam Deus non solum nihil producere, seu extra se nulli rei existentiam dare; sed etiam creare rem limitibus circumscriptam; unde tamen non sequeretur, nullam dari caussam infinitam; nos certe ex particulari caussarum existentia concludimus, Deum esse, sed plures longe producere potuisse mundos, cum nullam in voluntate

Dei

Dei repugnantiam animadvertamus. Undecima, duodecima, decimatertia ad ſcopum noſtrum nihil faciunt. Pone enim extra hunc mundum infinita eſſe ſpatia vacua, in quibus alii mundi exiſtere poſſent, an tum neceſſario Deus omnia illa ſpatia replere debet? Decimaquarta explicatione cummaxime opus habet tum reſpectu Dei, tum reſpectu rerum exiſtentium. Si ad Deum reſpicimus, neque melior, neque perfectior fit per exiſtentiam creaturarum, aliàs non eſſet perfectiſſimus ſine creaturarum exiſtentia: Si reſpicimus ad creaturas, tum ſunt illæ vel ratione & ſenſu inſtructæ, vel iis privatæ. Ratione inſtructæ aut bene agunt, aut male: quæ bene agunt, felices ſunt, dum exiſtunt, atque reſpectu hoc habito præſtat eas exiſtere, quam non exiſtere. Male autem agentes exiſtunt etiam bonitate Dei, qua dum abutuntur, ſeque reddunt infelices, præſtaret non extitiſſe, quam miſeras eſſe. Quod ad creationem ratione deſtitutarum adtinet, non magis bonum eſt, eas exiſtere vel non exiſtere, ſi eas ipſas reſpiciamus, dum hujus ſuæ exiſtentiæ nullum habent ſenſum; bonum eſt eas exiſtere, in quantum conferunt ad aliarum rerum utilitatem. In genere loquendo, dignum magis Deo, bene facere creaturis rationalibus, quam non bene. At non ſequitur; Ergo omne bonum, quod facere poſſet, tenetur facere, quia infinite bonus eſt, de quo ſupra diximus. Decimaquinta: antecedens verum eſt, potentia divina fruſtrari non debet; at hoc certe non fit, ſi ſpatia omnia, quæ infinita ſupponit, mundis non replerentur. Quid ſi noluit? Idem dicendum de decimaſexta, neque in decimaſeptima & decimaoctava quicquam eſt, quod magnopere culpes. Quod ſi jam omnia, quæcunque jam dicta ſunt, colligas, non certe reperies, quod contendit cl. *la Croze*. *Spinoza* aſſerit (1.) unam eſſe ſubſtantiam duobus infinitis attributis conſtantem: (2.) hanc ſubſtantiam Deum eſſe: (3.) illam ſubſtantiam neceſſario exiſtere: (4.) ex illa infinita eſſentia omnia infinitis modis eſſe conſecuta, & quidem neceſſario: (5.) hunc mundum ſeu totum univerſum Deum eſſe. *Brunus* admittit: [1.] Deum nulli compoſitioni obnoxium eſſe. [2.] Eum a mundo diſtinguit. [3.] Exiſtentiam ipſius mundi repetit a voluntate & potentia infinita. [4.] Illum imaginem duntaxat eſſe corpoream entis perfectiſſime exiſtentis: unde neceſſe eſt, duos illos inter ſe non conſentire.

IX.

Quod ad reliquas propositiones adtinet, quas sibi *Brunus* probandas esse ait, ita loquitur cl. *la Croze* pag. 314. sq. *Quoi qu'il y ait un sophisme dans la premiere de ces propositions que Brunus veut, qu'on lui prouve, il n'a pourtant point eu de tort d'avancer que ces principes suffisoient pour renverser les siens. Il les propose avec toutes les mauvais tours, qu'il a été capable d'y donner, enteté comme il étoit de son systeme. Il est certain, que les deux premières propositions ruïnent tous ces axiomes chymériques, qui les ont precedés. La premiere exige, qu'on prouve qu'une essence infinie puisse agir d'une maniere finie. Cela ne fait rien contre la creation des etres finis. Dieu opere d'une maniere infinie, en tirant les etres du néant, mais l'objet de son action est fini. Si les raisonnemens de Brunus étoient bons, il faudroit qu'une puissance independante produisit un effet independant, ce qui est contradictoire. Brunus ne s'appercoit pas, qu'il fait un Dieu impuissant, ou plûtot qu'il établit une puissance infinie, qui n'est pas une veritable puissance, puisquelle n'a qu'une maniere determinée d'agir sans choix, sans deliberation, & même sans raison. Je suis sûr que si Brunus avoit voulu repasser ses principes à la rigueur, il auroit vû qu'il n'en avoit aucune idée. Quel inconvenient a-t-il pû trouver dans une cause infinie qui produit d'une maniere finie? Ou il n'y a point de matiere finie dans le monde, ou cette matiere fait partie d'un infini de même nature, supposé qu'il y en ait un. Il n'y a rien de plus absurde que de dire, que Dieu ne peut créer une partie qu'il ne crée le tout. Si Dieu ne peut produire rien de fini, il n'est pas infiniment puissant, & s'il produit l'infini par necessité, il n'est plus Dieu, il est esclave des causes secondes, vers lesquelles il est entrainé par la necessité de sa nature. Peut-on assigner une puissance infinie à une cause qui ne peut agir que d'une seule maniére, & qui dans cette maniére même est invinciblement determinée à agir? selon ce systême Dieu ne pourra detruire aucune partie de la matière, il n'en pourra créer de nouvelle, il n'y aura rien de contingent dans le monde, & la necessité de la matiere sera demontrée plus evidemment que celle de Dieu. Cependant c'est sur l'existence & l'operation de Dieu que Brunus établit ses opinions. Ainsi il se sert d'un principe pour faire valoir ses consequences, qui renverseroient le principe même, si elles étoient admises. Ce sophisme lui est commun avec Spinosa.*

Spinosa. Mais Brunus s'étoit perdu dans la contemplation de l'infini: bien d'autres que lui y ont fait naufrage. Il raisonne à perte de vûe dans tout son livre, confondant sans cesse la creature avec le createur, & se payant assés souvent des plus foibles raisons, quand elles lui paroissent propres à reparer les debris de son système.

Ad hæc tria moneo: (1.) est, fateri cl. *la Croze* contemplatione infiniti abreptum *Brunum erraſſe*, at ubi tandem major debet esse veniæ locus? (2.) Argumenta, quæ adfert cl. vir, jam quidem sunt allata respectu difficultatum, quæ ex systemate *Bruni* solent fluere: qualescunque autem sint, tales non sunt quæ in systemate *Spinozæ* locum habeant. Alius certe naturæ quæstio est, utrum ex infinitate & bonitate naturæ Dei sequatur, mundos esse infinitos: & utrum ex unica per se subsistente essentia omnia necessario producta sint: prius etiam illis potest contingere, qui nihil minus quam *Spinosistæ* sunt. Nota, quæ supra de cl. *Gundlingio* observavi. (3.) Creaturam cum creatore confusam esse perpetim in systemate *Bruni* asserit cl. vir: at clarissimis locis hoc probandum esset, quorum tamen ne unum quidem adfert.

Pergit vir doctus cl. *la Croze* oppugnare *Brunum* pag. 317. *Il est certain*, inquit, *que le nom de Dieu dans les écrits de cet Athée ne signifie autre chose que la nature.* Ad hoc probandum provocat ad libellum *de maximo & mens.* pag. 251. ubi ita *Brunus:*

Namque adeo nihil esse bonum valet ut meliori
Conditione capax nequeat consistere, præter
Unum infinitum solum. Physis optima Deitas
Nempe quod in genere est non simplex absque solutum
Supposito ac certo perfectum fine putandum est,
Pro generis captu, pro voto constituentis.

Provocat ad commentarium & quidem hæc verba: *Perfectum simpliciter & per se & absolute est unum infinitum, quod & quo neque majus esse potest quippiam neque melius. Hoc est unum ubique totum Deus natura universalis.* At hæc certe non probant in ore *Bruni*, Deum & naturam unum idemque esse. *Physin* vocat *deitatem* per

ἀνυδολογιαν, quales innumeræ in hoc auctore. Ita *de immenso* p. 495. mundum vocat *animal venerabile & sanctum*, quia infinitis dæmonibus varii generis, uti existumabat *Brunus*, erat repletus. Naturam universalem in hoc ipso commentario a Deo distinguit; quod si per naturam universalem intelligas Deum, & sic tamen [licet parum recte locutus sit] a Deo distinguit; in hoc ipso commentario ait: *Cujus, id est, Dei, & naturæ universalis perfecta imago & simulacrum nullum esse potest nisi infinitum.* Et sq. pag. 254. mundus dicitur *infinita communicatio bonitatis actus effectusque omnipotentiæ externus.*

Ad sensum certe, non ad verba, quorum incurius ut plurimum erat *Brunus*, attendendum, & systematis nexum. Pergit cl. *la Croze* pag. 318. *Il admet des substances, qu'il appelle spirituelles, quoi qu'il veuille qu'elles soyent composées de lumière, il leur donne le nom de Dieux & de démons.*

Verum est, admisit *Brunus* scalam entium intelligentium, uti patet ex libro *de monad. num. & fig.* pag. 136. cumprimis credulus fuit circa varii generis dæmones admittendos. At hoc nihil ad quæstionem de atheismo facit; eo vixit tempore *Brunus*, quo a communibus præjudiciis vix se potuit liberare; dum novum iter ingreditur, non semel in avia & sentinas imo præcipitia ruit. Adplicari illi possent verba *Ovidii* de *Phaëtonte*, seu Jovis ad *Phaëtontem*:

Non est tua tuta voluntas,
Magna petis Phaëton, & quæ nec viribus istis
Munera conveniunt, nec tam puerilibus annis.

Il [ita porro de *Bruno* cl. vir] *ne s'explique en quelques endroits qu'avec beaucoup de précaution; mais en d'autres il s'ouvre entièrement. Nous l'avons vû admettant entre ses principes la puissance & la volonté de Dieu, il en doute en plus d'un endroit dans le cours de son ouvrage; Il le nie dans d'autres, & traite cette pensée d'extravagance, propre à un homme qui ne sait plus où il en est:* Ut probet, eum de potentia & voluntate *Dei dubitare, provocat ad lib. de immenso & innum.* pag. 182. ubi ita:

Sive

Sive igitur ſpatium hoc, mundum quod continet iſtum,
Mentis decreto, ſeu caſu perficiatur.

At reliqua etiam *Bruni* fuiſſent adducenda: vult ſpatium, quod quidam fingunt extra mundum, neceſſario corpore debere repleri; ſive igitur illud ſpatium caſu fortuito ortum, ſive a Deo factum, perinde eſſe: hinc ait:

Quod ſi non quicquam eſt ulla quod ſorte repugnet,
Quominus atque ipſum inveniatur corpore plenum:
Quin potius ſpatium eſt res quædam nata repleri
Dedecet ergo fiet necquicquam tanta facultas
Quam faciat fruſtra Deus & natura manens.

Certe hîc de potentia Dei nulla eſt dubitatio. Non magis felix eſt *cl. vir*, quando probare vult, eum divinis perfectionibus detraxiſſe. Provocat ad ejusdem libri cap. 17. pag. 169. ubi ita:

Pergo tamen totum cupio quoque ſcire quid extra eſt.
Reſpondet ſenſu viduata voce ſophiſta:
Divinum Ens, unum, conſtans, ſine fine beatum,
Mens ſibi ſufficiens, nil indiga, cuncta gubernans:
Sic factus nobis Sophus iſte Propheta repente eſt,
Implicita filum quia perdidit in labyrintho.

In hoc enim loco, ut inſcriptio capitis docet, recenſet varias Peripateticorum opiniones de cœlo & ſpatio ultimo mundi; quærit ergo, quid in ſpatio illo ultra mundum ſit, & reſpondentem inducit Peripateticum, in eo degere Deum, quaſi revelatum ſit huic homunculo, ubi Deus tandem degat, & quæ ſint illa loca inacceſſa; nihil ergo definit *Brunus*, neque Deum divinis proprietatibus inſtructum negat, quod univerſum caput docet. *Il a ſur tout* [inquit cl. vir] *un ſouverain mépris pour les Prêtres & les Theologiens. Il en veut principalement à ceux de Wittemberg, qui s'étoient apparemment le plus oppoſés à ſes découvertes philoſophiques.* At quid ſi meriti ſint contemtum? Wittembergenſes peti non adeo certum eſt: p. 397. ita loquitur *Brunus* de quibusdam: *Ut arrogantiſſimum eſt omne*

Grammaticorum genus. Non est rerum quantumlibet difficillimarum judicium, quod sibi pro logodædalæa sufficientia jure optimo non usurpent. Et paullo post: *Philosophi quoque de litibus desinire dignantur; ingrediuntur ergo Academiam, conscendunt suggestum, proferunt in medium opiniones absque legitima partium præsentia & caussæ dictione, quia omnia jura & lumina sunt in illo sacratissimo archididascali pectore recondita; exspectatur judicium, venit.* In sequentibus inducit ejusmodi hominem negantem, lunam terræ nostræ similem esse, atque habitabilem. Contra tales excanduit bonus vir. Quis nescit, omni tempore Grammaticos superciliosos & superstitiosos quosdam Theologos, qui nunquam rationem rite excoluere, quoties nova opinio philosophica eaque innocua orta est, clamores tragicos sustulisse? quid *Galilæo*, *Copernico*, *Cartesio* aliisque contigerit, notum est: quod si duriusculum verbum vero Philosophiæ Studioso contra tales excidit, num id pro blasphemia habendum?

Pergit *cl. vir* dicendo: *Je ne m'arrêterai point à copier les passages, où Brunus nie en termes formels l'existence de toute Divinité, où il traite la religion de fable, où il se moque de l'Ecriture Sainte & de toutes les vérités du Christianisme.* Quam vellem, ut *cl. vir* loca illa perspicua, in quibus negasse dicitur existentiam Dei, adtulisset. Certe ita breve fuisset disquisitionis nostræ certamen: & mea opinione debuisset hoc facere. Quæritur enim, utrum Atheus fuerit *Brunus*, nec ne: hoc autem affirmat *cl. vir*; at ne ullum quidem protulit locum, ad quos tamen in hoc argumento merito provocandum erat. Unum locum ex lib. *de immenso & innum.* pag. 513. profert ad probandum, eum religionem pro fabula habuisse. Nimirum extant hæc verba *de universo & innum.* pag. 512.

Fabula, quæ vitæ rationem evertit & usum.

At lector sine dubio cognoscere cupiet, de qua tandem fabula sermo sit. Adferam igitur verba *Bruni*, licet prolixiora: Inscriptio capitis seu sectionis est p. 511.

Suppos-

Suppositiones Astronomorum factæ sunt positiones Philosophorum ad extremam usque insaniæ speciem. Sicut Ægyptorum fabulis ex Mercurii vaticinio in Pimandro attendit. Post hæc ita pergit:

Adde, quod hæc primum studio conficta Matheseis
Non sic ut caperet mundum in hac dispositura
Comprensum vere: sed certe ad commoditatem
Doctrinæ facilis tandem qua computus esset.
Porro ubi stultitiæ cœpit generosa propago
Crescere & ingenio implantatæ sunt magis alto
Radices illæ cœperunt vera putari
Mobilia atque anima motrice aut numine pulsa,
Unde sibi ratio finxit phantastica secla:
Ut quondam Ægypto fuerant quæ fabula ut apte
Objicier menti quædam mysteria possent,
Perque quod in promptu est a sensibus omne remotum
Aptius in signo vel imagine conciperetur,
Usque adeo crassa tandem est insania vulgi.
(Abdidit ut dium lux vultum) ad aucta
Ut vitiata etiam simulacra & fex populorum
Verterit in proprii generis figmenta prophana
Pessimum in exemplum vitai: atque inde sepulta est
Lux ac per gentes invecta est fabula turpis,
Barbaries genita est, seclum evectum sceleroſum,
Cui scire insanum est, crudelia & impie facta
Sunt pietas, & religio est in schismate mundum
Servare, atque super jura omnia tollere vires:
Sic veri ac justi norma corrupta remansit
Fabula, quæ vitæ rationem evertit & usum.

Nescio certe, utrum, qui a præjudicatis opinionibus purgatum habet animum, ex his verbis obscuris possit colligere, religionem omnem a *Bruno* explodi. Certe ego nihil tale deprehendo. Verisimilius est longe, *Brunum* in his verbis Ægyptorum & postea

Christianorum quorumdam stultitiam taxare, qui audactis imaginibus & variis figuris religionem castam puramque in ludricam scenam transmutarunt. Saltem nemo diffitebitur, longe evidentioribus opus esse argumentis ad probandum, *Brunum* religionem christianam pro fabula habuisse. Atque hæc sunt, quæ cl. *la Croze* in libro sæpius citato contra *Brunum* in medium protulit.

DE

DE

ATHEISMO

JORDANO BRUNO, Nolano, impacto

DISSERTATIO.

Continuatio.

Sect. X.

Defendit autem *Brunum* strenue *eruditissimus Heumannus*, ut ab initio hujus apologiæ diximus. At non conquievit *cl. la Croze*, sed in epistola ad D. *Heumannum* data, majori vi atque conatu contra *Brunum* insurrexit. Æquum igitur est, ut illas ipsas, quas adduxit rationes accusationis, examini nostro submittamus. Sunt autem fere sequentes: I. *Jordanus Brunus naturam unam, seu Universum unum esse Deum statuit.* II. *Adamum neque protoplasten fuisse, neque omnium hominum patrem.* III. *Religionem christianam esse fabulam & rectæ rationi contrariam.* IV. *Nihil aliud adfirmari posse de Mosaica ceterisque religionibus.* V. *Nullam esse creationem rerum, imo quicquid in infinitum exstat, id æternum esse & necessario existere.* VI. *Animas hominum reliquorumque animalium e corporibus in corpora migrare.*

Videamus ergo primo, quibus argumentis probet cl. vir totum Universum esse *Bruni* Deum. „ Primo, *inquit*, Dei voluntatem „ & essentiam necessitatis naturalis legibus subjicit, imo ipsam esse „ necessitatem rerum adfirmat, nihilominus tamen liberam: quæ „ certe prima fronte inter se pugnare videntur, nec cum primis „ Philosophiæ legibus consentire. „ Provocat ad locum *de immenso & innum.* pag. 192. in quo asserit, *Deum esse necessitatem.* Sed an hoc est voluntatem necessitatis naturalis legibus subjicere? Si integrum locum adtulisset *cl. vir*, in tenues auras abiisset statim illa objectio. Ita enim citato loco loquitur *Brunus:* „ Infinita virtus, si „ neque a se ipsa finitur, nec ab alio, tunc necessitate suæ naturæ „ agit. Non agit necessitate naturæ alia a se & NB. sua voluntate, „ in eorum morem quæ necessitati subsunt; sed ipsa est, ut sæpe „ dicimus, necessitas. Agit ergo necessitate, quæ neque ab intrinseco & per se, neque ab extrinseco & per aliud frustrari potest. „ Hæc verba sane e diametro pugnant cum iis, quæ *cl. vir* objicit; dicit eum Deum subjicere necessitatis legibus: at leges illæ sunt sapientissima voluntas ipsius. Addit *cl. vir* ipsum confessum, *Deum esse necessitatem rerum*, quæ vox non est in textu *Bruni*; sed *ipsam Deum esse necessitatem*, quia nihil extra Deum, vel in Deo sit, quod ipsum ad agendum necessario impellat. Quod vero eundem Deum liberum dixerit, non est cur miretur *doct. vir:* novit ille, reformatæ ecclesiæ Doctores omnes, quando ostendere volunt solam spontaneitatem ad libertatem sufficere, neque indifferentiam voluntatis postulari, ad Deum provocare, qui cum semper agat ob sapientes rationes, neque indifferenter hæreat circa hoc vel illud agendum, tamen libere agat. Novit *cl. vir*, quid de necessitate *illustr. Leibnizius* ejusque sectatores statuant, quos in Atheorum, credo, catalogum non retulerit. Verum est, in eo erravit *Brunus*, quod lapidibus & metallis nescio quem sensum inesse statuit; sed hæc ad atheismum probandum nihil faciunt. Pergit *cl. vir:* „ Jam quæ sit (*inquit*) natura illa, quam Deum appellat, hic paullo operosius investigandum est. Ubi primum memineris velim systema physicum a *Jordano Bruno* inductum nihil aliud esse, quam Philosophiam Epicuream Pythagorismo incrustatam, doctiusque & emendatius (ita enim ipsi videbatur) propositam. Sic in libro *de minimi existentia* pag. 10. atomos quidem docet esse rotundas & „ ter-

„ terminis ſuis, quas partes eſſe non vult, ſeſe mutuo contingen-
„ tes: vacui vero naturam Epicureo more propoſitam excludit, non-
„ nihilque aliud conglutinandis atomis neceſſarium eſſe cenſet, cu-
„ jus naturam vafre diſſimulat. Quænam autem res ibi intelliga-
„ tur, cuivis obiter hos libros perlegenti haud ſatis apparet; maxi-
„ me cum mentem infinitam atomis ſubſternere videatur. Ut libro
„ *de Immenſ. & Innum.* pag. 467.

Sed non propterea rationis carpo elementa
Impia Democriti adſtipulatus ſenſibus; atqui hæc
Mentem altam agnoſco moderantem cuncta paternam.

„ Aperire tamen licet quænam ſit illa natura ſive mens falſo
„ ita dicta, atomis ſubſtrata easque conglutinans. Eam ego ex
„ ejus ſententia lucem increatam & æternam eſſe, animamque omnium
„ rerum, immobilem inſtar vacui, activam tamen utpote animam
„ mundi modo demonſtrabo. Illa nimirum mens eſt [*de minimi*
„ *exiſtentia pag.* 1.] natura ſubjectis inſita rebus, quæ momentis
„ graduanda ſuis depromit & aptis ordinibus conflans numeris dis-
„ criminat alte. Ea eſt illa monas [*pag.* 14.] quæ multum & mag-
„ num complectitur, omneque in iſta integranda means dans enti-
„ bus eſſe, Deusque eſt, extans totum infinitum verum, omne,
„ bonum, unum. Videlicet in illa luce infinita omnia ſunt unum,
„ uniusque natura & Dei nomine adpellanda veniunt, cum ab ea
„ una vegetentur. Sic in unoquoque mundorum ex indefinito ani-
„ marum numero anima una exurgit omnesque mundorum anima-
„ torum unitates in unam univerſi naturam conſpirant, quæ *Jor-*
„ *dano Bruno* Natura & Deus eſt. Ita a Dei natura, ſive ab illa
„ luce ad minima quæque deſcendendo perveniri poteſt ad monades
„ nempe & principia: quemadmodum & a monadibus ad maximum
„ circulum illum intellectualem & infinitum, quo continentur omnia,
„ aſcendendo pervenitur.

„ Deus, *inquit de minimorum exiſtentia pag.* 14. eſt monadum
„ Monas, nempe entium Entitas. Iterum in libro *Contemplat. p.* 74.
„ *ex minimo:* Eſt ſuper hanc animam ſubſtantialis naturæ individua
„ anima, quæ eſt in horizonte majore, ut anima telluris in ſynodo

„ magna

„ magna quæ nobis secunda mundi species habet. Superior est „ anima synodi totius, quæ est in Universo. Suprema est animus „ animorum Deus Spiritus omnia replens, totius ordinator, supra „ & extra omnem ordinem &c. Quæ postrema verba ad lucem „ æternam & increatam spectant, prout in abstracto & absolute con- „ sideratur, nihil attendendo ad concreationem materiæ & mona- „ dum, quæ ei quodammodo innatant eaque vegetantur & agglutinantur: Sic *Brunus* alibi (pag. 251.)

Namque bonum verum & perfectum dicitur unum
Immixtum, simplex, abstractum, immobile, per se.

„ Si modo quæras, unde lucem illam *Jordani Bruni* eruerim, „ etsi superius dicta eam luculenter ostendunt; adi quæso obscu- „ rissimam ejus dissertationem contra Marcellum Palingenium in „ libro *de universo & immenso*, & paullo attentius perspice, quæ „ ibi pag. 652. dicuntur de luce illa immensa, qua fit ut hoc uni- „ versitatis rerum spatium non sit informe. Lux ea, inquit, non „ est lux sine corpore, id est, umbra sine fundamento & verbum „ sine significato, sed lux quæ spatium habet, quæ ubique tota, „ quæ immobilis, quæ denique (ex ipsius sententia) Deus est. „ Hactenus cl. *la Croze*, cujus prolixiora licet verba describere volui, partim quod in paucorum manibus extra Germaniam hæc epistola cl. viri ad *Heumannum* data reperiatur: partim quia cavere volui, ne quis me ponderi rationum *cl. viri* aliquid detraxisse calumniari posset. Singula jam paullo diligentius examinabimus. Et (1.) quidem observandum, asserere *cl. virum* systema *Bruni* physicum compositum esse ex *Epicuri* & *Pythagoræ* decretis: doctrinam de atomis & vacuo ex fontibus *epicureis*: doctrinam de Monade ex *Pythagoræ* sententiis derivatam, quæ sententia nihil habet, quod culpari possit. Quid enim est Philosophia *Gassendi* & *Cartesii* quam emendatior Physica, ex utriusque fere principiis contexta? corpuscularis Philosophia ab eruditissimis viris magni æstimatur: quod si ergo, ex mente *Pythagoræ*, atomis adjunxit monada; mentem altam cuncta moderantem, habemus sane quod volumus, id est, quod *Brunum* absolvit: verba clarissima sunt:

Mentem

Mentem altam agnosco, moderantem cuncta paternam.

Hæc perspicua sunt; atqui in perspicuis adquiescendum puto, & obscuriora secundum ea explicanda. (2.) Dubitari adhuc posse, utrum Philosophia *Bruni* ex duobus hisce systematibus per omnia conflata sit: non contemnendas rationes adduxit cel. *Brukerus hist. crit. phil. vol.* V. *pag.* 37. At non placuit hic subsistere *cl. viro*, tertio igitur loco vult illam mentem paternam monada esse lucem increatam & æternam animam omnium rerum immobilem, sed tamen activam. Nemo non videt, si vel maxime Deum ita definiisset *Brunus*, aliunde esse circumspiciendum, utrum clarius locutus fuerit nec ne. Nemo enim intelligit, quid sit lux immobilis & tamen activa. At quod deterius est, ne quidem, dum de Deo loquitur, ita se explicare solet *Brunus*, ut mox audiemus. Provocat autem *cl. vir* ad illa verba *Bruni*, in quibus de mente & natura rebus subjectis insita agit, atque hanc Deum esse ex mente *Bruni* contendit. Quid si hoc concederemus *viro docto*, num sequeretur inde, ergo Deus, sive mens illa unam facit cum naturæ rebus substantiam? non puto. Verba innoxia sunt in se spectata, nisi aliunde probetur, eum principii loco ponere, Deum & naturam, id est, totum Universum unam esse singulariſſimo sensu substantiam. Quid si dicamus, mentem naturæ rebus insitam esse mentem cuncta moderantem? num vim inferremus verbis *Bruni*, cum iisdem ipsemet utatur? Sed non opus est, ut huc perveniamus. Probandum fuerat *cl. viro* hanc mentem naturæ rebus insitam ex mente *Bruni* Deum esse. Pag. 7. uti supra adducta loca probant, plane aliud significant, pag. enim ea totidem verbis ait: „Mens super omnia Deus est. Mens „ insita omnibus natura. Mens omnia pervadens ratio. Deus „ dictat & ordinat. Natura exequitur atque facit. Ratio contem„ platur & discurrit. „ Hæc mea opinione sunt evidentissima. Naturam ergo a mente prima distinguit; ergo mens & natura non sunt unum idemque. Hoc unum ergo culpes, quod præter Deum in mundo animam quandam mundi statuit, quæ tamen cum imperio Dei subsit, error non adeo periculosus est. Qui *systema naturarum plasticarum* tuentur, ejusmodi animam mundi statuunt dari. Ab hac autem mente naturæ insita distincta illa est *monas*, quæ multum & magnum complectitur, quæ NB. dat esse substantiis. Hinc

in eadem pagina 14., ad quam provocat *cl. la Croze*, addit *Brunus*: „ Quæque in compoſito discreto ſenſibilique conſiſtunt & diſtractim „ dimenſio conſtat, ſunt aliud atque aliud minimorum corpus „ adusque. „

Heic more *Pythagoræ* loquitur *Brunus*: corpora omnia fluere & infinitis corpuſculis conſtare; Deum monada puriſſimam, ampliſſimam, unam eſſe. Unde violenta & contorta quam maxime eſt *cl. viri* explicatio: videlicet in illa luce infinita omnia ſunt unum, uniusque natura & Dei nomine veniunt, cum ab ea una vegetentur. Neque enim vel *vola* vel *veſtigium* hujus interpretationis; & ubi tandem naturam & Deum unum eſſe dixit ſenſu, quem vult *cl. vir?* Quæ jam adtuli aliud docent; neque ſi a prima monade omnia vegetantur, ſtatim omnia, quæ exiſtunt ſunt unum; niſi dicas Chriſtianos, cum dicunt in Deo omnia eſſe, vivere, moveri, *Spinoſiſtas* eſſe. (4.) Fateor me non capere, quid cl. *la Croze* ſibi velit, quando dicit, in unoquoque mundorum ex indefinito animarum numero animam unam exurgere, omnesque mundorum animatorum unitates in unam univerſi naturam conſpirare, & hanc naturam univerſi Deum eſſe *Bruni*. Neſcio, an putet, omnes animas totius univerſi fieri ex mente *Bruni* unam ſubſtantiam; an, omnes conſpirare tantum cum iis, quæ naturæ animæ, ſive animæ mundi allubeſcunt. At neutrum docetur a *Bruno*. Verum eſt omnes mundos animatos ab eodem credi. Admittit monadem primam; admittit mentem naturæ inſitam; admittit rationem in homine, ſpiritus in æthere: Sed quid tandem hoc ad unam aliquam ſubſtantiam facit? aut ubi tandem dicuntur omnes mentes univerſi partes Dei tanquam monadis primæ? conſpiratio certe ad unius primæ monadis nutum non efficit unitatem ſubſiſtentiæ. Neque loca, quæ adducit, miram propoſitionem confirmant. Ita eſt, Deus eſt monadum Monas, nempe entium Entitas, quia (ut ipſe explicat) ut ſine monade in numeris nil exiſtit; ita ſine monade intellectuali prima nihil exiſteret. Hinc eadem pag. 17. dicitur, in *nullo* eſſe Deus; dicitur ſimplicitas ipſa: quomodo autem in nullo eſſe dici poſſet, & ſimplex, ſi tota natura, omnia quæ ſunt, hoc unum, id eſt, Deum abſolverent? (5.) Neque magis locus ſequens id probat: „ Eſt ſuper hanc animam ſubſtantialis naturæ individua anima, quæ

„ eſt

„ est in horizonte majore, ut anima telluris in synodo magna, quæ „ nobis secunda mundi species habetur. Superior est anima synodi „ totius, quæ est in universo. Suprema est animus animorum „ Deus, Spiritus omnia replens, totius ordinator, supra & extra „ ordinem omnem &c.„ quæ verba ad lucem increatam abstracte consideratam sine materia & monade intelligenda putat. Mens *cl. viri*, quantum capio, hæc est; totam naturam, mentem supremam nempe & infinitas atomos efficere Deum; *Brunum* autem hic de cætera mole corporea per mentis abstractionem non loqui; sed unice mentis sive animæ mentionem facere. At nescio, qua ratione hæc *viro rev.* in mentem venire potuere. Mentem & omnia corpora juxta *Brunum* efficere Deum, est mera suppositio, seu το ζητουμενον. Quod probandum, non supponendum. Dein vel ipsa inspectio docet, plane de hac re non esse sermonem *Bruno*, quod ut pateat verba ipsa *Bruni* adferam. Pag. 73. art. „ Individua sola substantia est „ ens. Reliqua vero in ente, circa ens & ex ente accidentia, ad„ sistentia atque composita, non aliter, quam numerorum substan„ tiam monadem esse diximus. Atomam naturam dupliciter primo „ dicimus negative & privative; negative quidem atoma natura „ duplex est, accidentalis nempe & substantialis. Prima ut vox, „ sonus & visibilis species. Secunda ut Dæmon seu anima, quæ „ tota est in toto corpore, vel etiam in toto vitæ telluris horizonte, „ cujus vita vivimus: tum proprio quo vivimus in horizonte seu „ semisphærico. Tum actu quædam magis proprio quo vivimus „ in organizato corpore. Tum demum actu illo propriissimo juxta „ eam conditionem, quæ ab oceano substantiæ spiritualis per cordis „ portam & ad eundem oceanum per eandem portam ingredimur „ & egredimur animi. Est dein super hanc substantialis naturæ in„ dividua anima, quæ est in horizonte majore, ut anima telluris „ in synodo magna, quæ nobis secunda mundi species habetur. „ Superior est anima synodi totius quæ est in universo. Suprema „ est animus animorum Deus, Spiritus, unus omnia replens, totus „ ordinator supra & extra omnem ordinem, ideo super omnia mag„ nificandus Deorum vocibus, nulli Deorum, mundorum, ani„ morumve nominabilis. „ Testor omnium conscientiam, an obscuriora hæc licet μεσεωρολογημαλα *Bruni* idem tandem significent, ac omnes mentes esse unas, atque una cum mundo unam absolvere

ſubſtantiam? nihil, ſi quid video, voluit aliud, quam plures dari mundos; & in iis ſingulas ſubſtantias quibusdam intellectualibus gradibus perfectionis ornatas eſſe. Nimirum *Platonici* & *Pythagorici* aſſerebant dari ſcalam aliquam entium intelligentium. Moderni omnibus, etiam minimis inſectis, ſpiritualem quandam ſubſtantiam tribuunt; ab inſectis aſcendunt ad cætera animantia & ad hominem, ab homine denique ad angelos, quibus omnibus ſubſtantiis intelligentibus excepto Deo ὄχημα aliquod attribuunt. Quid ergo mirum, *Brunum* novam philoſophandi viam ingredientem, tales foviſſe ſententias? (6.) Tandem jubet nos oculos convertere *vir cl.* ad obſcuriſſimam ejus diſſertationem contra *Palingenium* ſcriptam, in qua lucem ſine corpore pro Deo habeat. Maluiſſem, ſi *cl. vir* in excutienda graviſſima quæſtione nos ablegaſſet ad perſpicua *Bruni* verba. At videamus, quo jure ex disputatione obſcuriſſima nobis atheiſmum *Bruni* probet. Disputat *Brunus* inde a pag. 641. contra *Palingenium*, qui lib. XII. *Zodiaci* ſui probare voluit, ſummum ætherem rerum terminum non eſſe, ſed extra cœlum eſſe immenſam ſine corpore lucem. Ita autem loquitur lib. XII. v. 10. *Poëta*:

Sunt qui extra cœlum credant nihil eſſe putentque
Ætheris in ſummo dorſo conſiſtere fines
Rerum, quos ultra natura extendere vires
Non queat ipſa ſuas ac debilitate quieſcat:
Quod falſum ratione mihi ſuadente videtur:
Nam ſi illic finis rerum eſt ubi deſinit æther,
Cur nihil ulterius fecit Deus? an quia ſcivit
Nil facere ulterius propria defectus ab arte. &c.

Et paucis interjectis:

Atqui infinitum corpus poſſe eſſe negavit
Doctus Ariſtotelet, ego in hoc aſſentior illi,
Quippe extra cœli fines non ponimus ullum
Corpus: Sed puram immenſam & ſine corpore lucem,
Lucem, qua noſtri ſolis longe minor eſt lux,
Lucem, quam terreni oculi non cernere poſſent,
Lucem, quam ex ſeſe effundit Deus infinitam,

In

In qua habitant cum Rege suo Dii nobiliores,
Cætera turba minor versatur in æthere semper.

Denique inferius:

Quod si corporeis formis lux tanta tributa est,
Cur incorporeis lucem posse esse negamus?
Præsertim quum sint puræ magis & tenues &
Participes multo uberius pulchrique bonique:
Ergo Deum formæ lucent vehementer; at illa
Lux non est oculis mortalibus apta videri,
Imo inter Divos quo quisque potentior est &
Dignior, hoc etiam majori lumine fulget.

Hæc est sententia *Palingenii*, contra quam *Brunus* pugnat. Inscriptio capitis pag. 641. talis est: *Improbantur actus illi & formæ sive materiæ nempe luces sine corpore, quales Palingenius & alii ei similes appingunt.* Post hæc ita *Brunus:*

Mitte infinitum spatio sine dicere lucem
Illamque esse Deum, lumen qui accendat in isto
Sole, jubar tantum varie qui perambulando
Perficiat varias species, sint unde beati
Hi magis iique minus.

Ut autem ostendat lucem ejusmodi sine corpore figmentum esse pag. 647. ait: *Distinguitur lux in physicam, sive veram & metaphoricam, unde scias scintillam lucis divinæ non accendere solem.* Post hæc pergit dicendo:

Primo adverte minus lucem nos dicere posse
Præterquam venientem objectum sensibus actu.
Quid lux quam ponit sermonis certa figura
Et similis quædam ratio atque proportio tali
Nomine concelebrat cum lucem dicere legem.
Justitiam, sophiam virtutem, numina suemus?
Divinam hinc lucem solis lucem exuperantem

Cujus clarescant vestigia corpore solis
Igniferi haud poteris physice signare loquendo:
At qui Rethoris, Polyhystoris atque Prophetæ
In morem sancto donandus bardo cucullo. &c.

Ex his manifestissimum est, quo sensu *Deum lucem* esse putat *Brunus*; nimirum metaphorico; adeo ut *cl. vir* potius *Palingenio*, quam *Bruno* debuerit adscribere illam sententiam de luce increata sine corpore, quæ Deus esset. Tandem postquam multa de luce dixisset in commentario, ad quem *cl. vir* provocat, ita mentem suam pandit *Brunus*. Audi eum: „Perit ergo, *inquit pag. 651.* „ peripateticum illud cœlum primum, omnia quæ natura constant „ principium & finis. Disperit illa infinita insensibilis lux intelligi„ bilis, immaterialis, infinita, superætherea, accendens stellas favilla, „ cujus solem facit: quasi quicquid dicitur credibile esse possit & „ quicquid vates ebrii effutiunt a superioris intelligentiæ dictamine „ promanet. Sed eadem lux, virtus, natura, dominium, potestas „ & actus, quo hoc spatium non est informe, sed tanta exornatum „ varietate & infinitum quod extra ipsum est cognoscere oportet: „ quando quidem spatii potentiæ consimilis mundi susceptrici non „ satisfacit natura intelligibilis, lux sine corpore, umbra sine fun„ damento, verba sine significato, vox sine sensu; ad adpetitum „ quippe spatii expleri perficique potentis corpore nihil facit sub„ stantia separata individua, indimensionata, neque huic spatium „ quicquam conferre potest, nisi ut eum simili rerum ordine consi„ stat. Non minus quippe Deus ille, lux illa (eo quo lux dicenda „ est modo) est in hoc mundo præsens ubique tota quam est spa„ tium universi sensibilis istius: quia corporum & specierum harum „ præsentia non excluditur, sed nobiliori forte cognoscitur atque „ constat. Quinimo secundum eam qua extra hoc finitum in spa„ tio infinito degit sortem nihilo hujusmodi quod ad spatii actum „ proprium spectat producens indigne & invidiose se gereret & „ haberet: quandoquidem sicut nihil vetat, quominus eadem ra„ tione totus ille mundus intelligibilis sit hic (nempe nusquam ex„ clusus) qua est extra, quia præsentia istius mundi a præsentia alius „ non abhorreret: ita etiam quid est, quod prohibet, quo minus „ in spatio illo quod oporteret intelligere infinitum cum tali tanta-

„ que

„ que luce præsentia similium huic mundorum comprehendatur? „ Hactenus *Brunus*. Quamvis nemo neget, clarius loqui debuisse *Brunum*, satis tamen ex hactenus dictis patet, eum prorsus abhorrere ab ea sententia, quam *cl. vir* illi adfingit. Agnoscit (1.) non dari ejusmodi lucem incorpoream intelligibilem: esse vocem sine sensu. (2.) Naturam incorpoream non posse spatium proprie dictum occupare. (3.) Deum in toto mundo, non solum in illis locis supracœlestibus præsentem esse. (4.) Contrarium esse virtutibus divinis, lucem ex se emittere in illis sedibus solis, quas *Palingenius* fingit. (5.) Nihil obstare, quo minus Deus in omnibus spatiis totius mundi dicatur præsens. Hæc certe facile sine magno ingenio ex hisce *Bruni* verbis eruuntur. Unde patet *cl. virum* sollicite verba *Palingenii* & *Bruni* non contulisse, atque sententiam adfinxisse *Bruno*, a qua alienissimus fuit. Unde concludimus nil hactenus allatum a *cl. viro*, quod probet Atheum fuisse *Brunum*.

XI.

Sed tempus est, ut ad reliqua progrediamur, in quibus tamen expendendis erimus breviores, quod de Religione Christiana ac Judaica non vero de existentia Numinis sermo sit. Secunda accusatio est, quod statuerit alios ante Adamum homines. Provocat ad libellum *de monade, numero & figura*. Ubi hæc extant:

Telluris terna potestas
Et ternæ genti ternus datus est Patriarcha:
Eum peperit tellus genitrix animalia primum
Enoc, Leviatham & quorum est tertius Adam
Maxima Judææ ut credebat portio gentis
Cui erat ex uno tantum generatio sancta.

Item ad locum pag. 622. in quo ita ait: „ Propheticum est „ illud & populi cujusdam celebritas, quod omnia hominum ge„ nera ad unum primum genitorem referantur, vel ad tres ut ex „ Hebræorum monumentis accipimus & firmiter credimus, quo„ rum quidam solum optimum genus, id est, Judæorum ad unum „ protoplasten referunt, & reliquas gentes ad duas priores qui biduo

„ ante

„ ante creati sunt. Echinensium religio recens compertorum tres „ alius nominis protoplastes numerat ab annis viginti millibus. „ Æthiopum genus ad illum protoplasten nemo sani judicii referet. „ Porro sicut omnis terra producit omnia animalium genera, ut in „ insulis patet inaccessis; neque enim unquam fuit primus lupus, „ & leo, & bos, a quo sunt omnes leones, lupi & boves geniti & „ ad insulas omnes transmissi, sed quæque ex parte tellus a prin- „ cipio dedit omnia. Factum porro est, ut quædam aliis in locis „ manserint, quædam vero assumta sint, ut in Anglia lupi & vul- „ pes & ursi propter loci culturam, in quibusdam aliis insulis homi- „ nes propter vim potentiorum bestiarum vel defectum nutriminis. „ Hæc verba ita sunt comparata, ut satis perspicue doceant, *Brunum* non credidisse ab uno Adamo omnes esse; unde sine dubio minus reverenter de narratione *Mosis* sensit; at Atheum exinde probare velle durum est. Sunt & fuere, qui putarunt, *Americanos* alium parentem quam Adamum agnoscere; nec tamen de divina origine revelationis dubitarunt, qualis fuit *Paracelsus*, monente cl. *Heumanno*. Novitatis amor abripuit sæpissime fœcundum *Bruni* ingenium, ut parum sibi constiterit.

VI. Pergit *cl. vir* ad tertium & quartum accusationis caput, probaturus, *Brunum* omnium religionum fuisse aspernatorem. Provocat primum ad libellum de ejectione *Bestiæ triumphantis*, quem eum non viderim, nedum legerim, a qualicunque judicio mihi tempero. [*] (2.) Provocat ad illa verba supra excussa, ubi versus:

Fabula quæ vitæ rationem evertit & usum.

De

[*] Similiter de hoc libello judicat cl. *Brukerus* pag. 61. hist. crit. dicens: *De ipso vero libro, quem non legimus, pronuntiare nihil audemus; fatemur autem suspectas nobis esse narrationes scriptorum, qui ejus mentionem faciunt. Quamvis vero in eo omnes consentiant, superstitionem philosophiæ contrariam; & religionis auctoritate abutentem valde exagitasse auctorem, alii tamen ad solam tractationem moralem eum referunt, alii satyram in Pontificem exhibere pronuntiant; alii religionem omnem*

De qua re, præter ea, quæ supra dixi, addere plura nolo, cum existimem, vel ipsam lectionem ostensuram, non de religione in genere ibi mentionem fieri.

Adde (ita enim in eadem epistola pergit *cl. vir*) impium *Bruni* vaticinium, in libro *de maximo & immenso* pag. 339. *ubi novam religionem disjectis veteribus fabulis brevi orituram vaticinatur, quæ relegata dabit tenebrarum numina in orcum. Atqui jam pridem Ethnicorum numina ejecta sunt.*

Inspiciamus autem argumentum, de quo agatur, & disparebit certe error *Bruno* intentatus. Agit in hoc cap. X. de terræ motu, solis item & astrorum, secundum suam & *Copernici* opinionem: postquam de hoc argumento disseruisset, ita tandem claudit cap. 339.

Ergo tibi nec sit cœlum neque mobile primum,
Nam subjecta duo hæc periere, ut voce Prophetæ
Prædictum. verum est nostra hac ætate futurum
Quandoquidem accessit favor & sententia divum

exsibilari, & christianam quoque imposturæ argui perhibent. Quæ satis evincunt, aut non accurate inspexisse eos libellum, aut ita obscurum esse, ut vera auctoris mens conjecturis tantum queat definiri; nihil autem certi de vera ejus sententia constare. Quod si libellus Brunum verum parentem agnoscat, suspicamur, hominem implacabili odio diris persecutionibus Cleri Romani adversus istos cœtus accensum, acerba satyra eum depexum dare voluisse. Ideoque magno conatu & liberrimo calamo in superstitionem Christianorum fuisse invectum. Solitum enim fuisse id facere, una oratio valedictoria apud Wittenbergenses habita luculenter demonstrat. Cum autem systema sibi physicum & metaphysicum construxisset, quod a placitis christianæ doctrinæ haud parum deviat, & nonnulla dogmata inter fabulas refert, quæ in civitate sacra inter summas leges referuntur, quale est de præmiis & pœnis post hanc vitam, omnino verisimile est hominem audacem, animique impotentis talia quoque inter superstitiones monachales retulisse, & sic in ipsam quoque religionem peccavisse.

Veri pro ſpecie quam mox juſtique ſequetur
Judex enim & ſancta fundamina religionis
Speratumque diu ſeclum ſuccedet in orbe hoc,
Nam relegata dabit tenebrarum numina in orcum.
Erroresque vagos cum pondere lancis iniquæ
Quæ lucem mentita diu palantia crudis
Per noctem ducibus mortalia corda dedere:
Ergo renitebit ſancto de pectore diæ
Naturæ ſpecies mundum diffuſa per amplum,
Immenſique operis Moderator verus & unus
Noſcetur vere magnus, cui numina plaudunt
Infinita, ſua quæ immenſum luce ſerenant
Totus quot in cunctis vivunt animata minora.

Ex hisce ſane eum religionis aſpernatorem eſſe, nulla ratione cognoſcere poſſem. Æſtu imaginationis abreptus, occaſione errorum in Aſtronomia commiſſorum, in verba erumpit, quæ ad litteram intelligi non poſſunt. Meliora ſimpliciter datum iri vult tempora, caſtioremque religionis cultum expectandum. Quamvis vero numina pagana in certis locis ſint abolita; eheu tamen in longe maxima mundi parte adhuc dominantur. Pontificiorum numina non meliora antiquis, figuræ & ſpecies mutatæ, non item res ipſa. Atqui *Brunus* religioni Romanenſi nuntium miſit, atque ob id potiſſimum in ignem poſtea fuit conjectus; quid ergo mirum, ſi obſcurius de hac re loquatur? forte etiam, ut fuit ingenio plane miro, iis in locis, ubi degit, recepta religionis decreta parum placebant. Unde futurum eſſe auguratur, vel ſperat, homines, ut de diſciplinis philoſophicis, ſic de religionis negotio rectius aliquando ſenſuros.

Eandem (ita pergit cl. vir) *impietatem docet in libro contemplat. ex minimo* cap. V. pag. 94. *ubi fidem, quam conſuetudinem appellat, falſis credendi veram eſſe cauſſam tradit, cur homines in ea inſtituti theorematibus geometricis de contactu circuli aut ſphæræ in plani vel lineæ puncto & de aſymtotis, quæ ille falſa putat, facile aſſentiantur, aliis nimirum abſurdioribus primorum annorum inſtitutione imbuti.* Videamus, quo jure; Inſcriptio cap. XV. (non V. ut male poſitum a Typographo) hæc eſt: *Concluſio, ut ex virtute conſuetudinis credendi falſis,*

falsis, sensus etiam ipse perturbatur. Post hæc sequitur textus ita sonans:

Non minus hic falso fidei fundamine sensus
Imbuit insanos primis suetudine ab annis
Quam sanctus habet ille Dei sub voce professus:
Non minus hic gestit tanquam pro lumine adepto
Quam pro se positis grates agit illa tenebris,
Hinc isti quanquam occurrant manifesta per omnem
Sensum importune & valvas rationis amico
Attactu pulsent naturæ & voce reclament,
Non sapit idcirco: quando fundamina prima
Obsistant, quando internis radicibus hærent
Visceribus. Tanquam magis alto lumine clarus
Didicit infelix lucemque oculosque negare
Credere naturam pedibus sophiamque subesse.
De genere hoc hominum facile quisquam venit ultro
Doctrinæ indoctæ adstipulator credulus, ut cui
Naturæ voces faciant miracla nec ampli
Cycli arcus nunquam ad plana exequanda propinquet
Usque adeo absurdum, quod mens conceperat ante
Invalet & sensus, qui ex toto cessit in aures
Ut manifeste neget queis convincatur & hisce
Utatur mediis, quibus ignorantiæ totam
Naturæ lucem extinguat suffocet & omnem
Ignem constanti radius, quem lumine solis
Immisit, centum mille hinc portenta subortæ
Hinc admirantur: pecudinea voceque rerum
Naturam occultam tollunt culpantque patentem.

In hisce denuo, ut verum dicam, non video erroris periculum. Loquitur de consuetudine sui temporis, ubi in disciplinis philosophicis & theologicis homines sine examine pleraque admittere tenebantur. Unde fit, ut ineptis opinionibus imbuti, manifestissime falsa admittant, consuetudine quibusvis assentiendi abrepti. *Paulum* ibi tangi, non adeo apertum est. Intelligi possunt omnes, qui in scholis Pontificiorum enutriti, quasi divina oracula omnes ineptias

admirantur & laudant, atque eo nomine se felices putant cœloque propiores. Quod si autem verbis citatis ad *Paulum* respiciat, significare possunt verba non satis perspicuo ordine posita: Quemadmodum *Paulus* Deo gratias egit quod ex tenebris ad lucem eum devocaverit; ita homines quosdam, falsa religionis specie deceptos, ita esse stupidos, & insania captos, ut Deo grates solvant, quod artem omnia credendi acceperint. At ut verum fatear, prior sententia mihi magis placet; nescio enim cur *Paulum* in partes vocaret, in quæstione de usu rationis & sensuum, quæstionibus item mathematicis. Homo noster obscure loquitur ut plurimum, styloque utitur perturbato. Unde si omnia verba urgerentur, sæpissime vix quid sibi velit intelligi posset. In tali autem casu benignior interpretatio est admittenda.

Jubet nos insuper legere *cl. vir* ea, quæ *Brunus* soluta oratione sub finem capitis primi *de inventione minimi* doceat, contendens, eum in Theologiam pariter & Geometriam esse debachatum. Nihil aliud faciam, quam ut lectoris judicio *Bruni* adponam verba. Malo enim prolixus esse, quam in suspicionem incidere, me mala fide pugnasse. Ita autem ibi *Brunus*: „ Sic inviolabilis philosophiæ simplicitatem librorum & commentationum multiplicatione superfluis variisque quibusdam excursionibus atque quæstionibus, nec non demonstrationum supervacuarum raritate pro ingenii ostentatione sophistæ diu ante nos, quibus deinde ad nostra tempora præsumtuosorum & arrrogantissimorum Grammaticorum diluvium successit, qui recitatis a fonte Græcorum textibus, synopsibus, erotematibus, enchiridiis, spicilegiis, thesauris ad Ciceronis & veri Latii amussim interpretationibus variis cum originalium falsificatione ut aliquid inde noviter sibi cudendum pro litterario specimine conquirerent lectionibus, ut novarum litium de legitimo textu e regione adjecto protoplastes & Archimandritæ asinorum patres conferentur innumerabilibus tabulis, lexiconibus, item Isagogiis, id est, introductoriis seu si dicere mavis, exclusoriis in extremam confusionem perduxerunt. Quemadmodum a semiferis centauris invulnerabilis Cæneus innumerabilium saxorum atque sylvarum ponderosa congerie oppressus jacuit. „ Hæc sunt *Bruni* verba; ex quibus patet, hominem fuisse valde superbum & sibi suf-

fenum,

fenum, qui quæcunque tum temporis a viris doctis edita fuerant, ut plurimum alto supercilio contemsit, neque tamen omnia, quæ dixit, de nihilo sunt. Multa a varii generis litteratis esse tradita, quæ bona ingenia perdere potius, quam ad serena Sophiæ templa monstrare viam potuisse nemo facile negabit.

„ Plurima prætereo, (*ita pergit cl. vir*) haud silebo tamen, „ etsi ea horrescens & invitus referam, quæ *Brunus* profert in libro „ *de monade, num. & figura*, de hominibus facinorosissimis qui ad „ multorum mirabilium operationem immutant leges & miris qui- „ busdam rationibus hominum statum convertunt vel evertunt: ali- „ quando ad tales, inquit, referunt ortum Romuli, Thianei, „ Theuti & aliorum qui incertis parentibus prodiere, quid ibi præ- „ ter dicta innuat *Brunus*, ii facile judicabunt, quibus atrox homi- „ nis impietas perspecta est, hominis inquam, qui de vera Christi „ religione nullo fere loco mentionem injecit sine aliqua contume- „ lia aut contemptionis nota. Sic in eodem libro pag. 64. de divi „ Petri & Apostolorum miraculis loquens, Simonem Petrum & alios „ vocat Galilæos, voce familiari Juliano Apostatæ, veteribusque „ aliis christianæ pietatis inimicis. „

Quod ad priorem locum attinet, in quo suspicatur *cl. vir*, *Brunum Mosen & Christum* insectari voluisse, provocandum est denuo ad ea, quæ in antecedentibus dicta sunt. „ Quidam (*in-* „ *quit pag.* 74.) Itali, Necromantas ex Salomone nescio quo, & „ Hippareo referunt, qui in libro de ordine intelligentiarum princi- „ pes quosdam Dæmonum, quatuor sub cœlo tenere partes, ubi „ aërem cum reliquis occupent elementis. Nam æquinoctia tenent „ & solstitia & loca velut digniora utpote, quæ a majori (ut isti „ dicunt) hierarchia aliquando fuerint depulsi. Et quia quatuor „ ista cœli puncta duobus coluris distinguuntur, ubi hinc & inde „ ad angulos rectos circuli intersecantur; relinquitur, ut locis sol- „ stitiorum & æquinoctiorum figura quadrangula necessaria conve- „ niat: Unde caracteri ex duabus recta se intersecantibus lineis cui „ 4. anguli in unum concurrunt punctum, quem characterem Isi- „ dis fronti Serapidisque pectori fertur Ægyptios olim insculpsisse, „ vim quandam inesse magicam concluditur, & ii, qui Dæmonas

„ invocant in triviis, vel quadriviis, ſtant ad invocandum maxime „ ad partes converſi ſeptentrionales. Hos tempore magnarum con- „ junctionum Saturni videlicet Jovis & Martis in cancro vel capri- „ corno pro inuſitatis partibus incubos, vel ſuccubas fieri referunt; „ unde homines prodeant facinoroſiſſimi, qui ad multorum mira- „ bilium operationem immutant leges, & miris quibusdam ration- „ bus (niſi a meliore & benigniore numine protegantur) hominum „ ſtatum convertunt, vel evertunt aliquando. Ad tales referunt „ ortum Romuli, Merlini, Thianei, Theuti & aliorum, qui in- „ certis parentibus prodiere. „ Ex hisce ſane patet, *Brunum* non ſuam ſententiam dicere, ſed quorundam Italorum ineptiſſimorum opiniones referre; neque etiam ſcio, cur inter eos, qui incertis parentibus prodiere, neceſſario *cl. vir* velit intellectum Chriſtum: ſuſpicionibus nimirum videtur indulgere *vir doctiſſimus*, quales conjecturæ, ubi de alia re ſermo eſt, valent; at ubi de religione hominis agitur, minus æquæ videntur. Sic cum de Galilæis loquitur, non videtur hæc in contemtum Chriſtianorum dixiſſe. Agit ibi auctor de umbra, atque utilitatem illius certis occaſionibus oſtendere vult. Hinc ait inter alia: *An non aliquid eſt, quod de S. Petro & aliis Galilæis eſt relatum? veniente Petro (refert Lucas) ſaltem umbra illius quemquam eorum, qui male habebant, obumbrante liberabantur.*

„ Nec veneno (*pergit cl. vir*) ea verba carent, quæ in libro „ *de maximo & immenſo* pag. 292. leguntur. Sed incomparabiliter „ circumſpectiorem (*inquit Brunus*) judico artem Diaboli illam, „ qua melius de cacumine excelſi montis potuit oſtendere omnia „ regna mundi, quam de Antro Trophonii. Sed & illud eſt ad pro- „ poſitum, quod quamvis altum montem conſcenderit ad terrenæ „ globoſitatis rationem non eſt, quod ita plus ſe ad unius milliaris „ ulteriorem promoveat aſpectum, quæ ut vera eſſe demus, nihilo- „ minus fateri cogimur, ibi ſcripta fuiſſe ad elevandam Evangelii „ fidem. Mortem vero æternam infernique cruciatus vide quo lu- „ dibrio traducat in libro *de numerabilibus & immenſo* pag. 608.

Fulmine ſic medios minitanti torquet ab alto
Horrendus Judex miſeros ſine fine modoque

De

De infernis Thalami Eumenidum tenſæque catenæ
Arctant & portæ ſolido ex adamante perennes
Abſona, quæ ingenio & ſenſu conſtantia nullo
Humanam turbant pacem ſeclique quietem,
Extinguunt mentis lucem neque moribus proſunt.

„ Ea, ſi quis crediderit, ad Ethnicorum fabulas ſpectare, præ-
„ terquam quod is *Brunum* ſtultum faciat, qui disputet contra
„ opiniones ubique exploſas, ipſius præterea loci hujus ſenſus &
„ connexionis vim haud capere poſſe demonſtrabit. Jam contra
„ primitivam & hodiernæ chriſtianæ religionis propagationem
„ quid manifeſtius eſſe poteſt his verbis ejusdemque libri pag. 617.
„ a regione quippe in regionem vitia & perverſarum legum & reli-
„ gionum venena in diſſidii exterminiique materiam propagata ſunt
„ & diſſeminata uſque ad ſuffocationem omnis bonæ frugis repul-
„ lularunt; nulla vero ſunt, quæ cum iisce poſſimus recenſere
„ commoda. „ Hactenus cl. *la Croze*. Quod ad primum locum attinet, verum eſt, ea verba ſic apud *Brunum* extare; recenſet antiquas quasdam hiſtorias, de quorumdam oculorum acie ultra verum extenſa. Adfert deinde hæc ipſa verba a *cl. viro* adducta; utrum ad Evangelii fidem elevandam hoc dicere voluerit, nollem ego aſſeverare. Hoc certum, quod omnia regna mundi de altiſſimo etiam monte Diabolus cernere non potuerit, neque verba etiam hoc ſibi volunt.

Quod ad ſecundum locum attinet, videtur, licet hoc veriſimile *cl. viro* non videatur, Gentilium vanas exagitare opiniones de ſtatu hominum mortuorum poſt mortem. Inſcriptio enim capitis XI. hæc eſt: *Mundus ille elementis Ariſtotelicus non eſt uſquam pro primo ſignificatu. Mundus ille cœleſtium ſpharārum nullus eſt pro ſecundo, neque illud aggregatum univerſum ex hujusmodi compoſitum chimæris eſſe poteſt, pro tertio & maximo. Itaque Ariſtotelis caput extra mundum eſt, & univerſum quamvis infinitum quando de mundo loquitur & univerſo.* Sequuntur jam, quæ ligato ſermone adducit:

Eſt terno mundus Stagiritæ ſignificatu
Subque tribus ſignis nil eſt in imagine mundi

Quando

Quando elementa illo non constant ordine prorsus
Phantasiæ partus series est illa meantum
Cœlorum in cœlis: extremum insomnia cœlum
Astriferum invexere illud quoque omnia finit
Motoresque horum sunt, qui bene bella moverent.
Centimano Briareo Encelado atque Tipheo
Nempe genus spectant semper contraria ad unum
Nempe elementa aliis contraria sunt elementis
Figmentis etiam figmenta opponere dignum est.
Unde duces fiant populo atri, carnificesque
Unde mortalis vivos mors urgeat ultro
Atque tenebrarum pœnas sub luce receptent.
Phantasiæ hoc totum pro quæstibus promisit avaris.
Illa est opifex, illa est fabre factrix, Mulciber illa
Loripes insuavis, monstrosus trux venerator,
Assiduo incumbens operi jacula illa trifulsa
Temperat immitesque Joves crudeliter armat
Tantum consortes inter gaudendo Cyclopas
Stultitiam, morem, male sanam credulitatem
Pectora cui hominum Lypares sunt, corda camini
Lureonum generis varii vox malleus, aureis
Insani populi constans substernit incus
Materia est orbis objectum sensibus quicquid.

Sequuntur deinde illi versus *fulmine sic medios &c.*

Nemo non videt, obscuriora hæc, quam ut æternitas pœnarum, a Christianis admissarum, oppugnari dici possit a *Bruno:* aperte ridet fabulas ab antiquis admissas; utrum autem simul pœnarum æternitatem omnem negare voluerit, aliunde mea opinione colligendum esset. Quanquam si ipsas illas pœnas æternas esse negasset, non inde colligi posset, eum de universa religione christiana male sentire; notum enim est, multos hodie inter Christianos concoquere non posse sententiam de æternitate pœnarum.

Quod

Quod ad tertium locum ex libro *de innumerab. & immenso* petitum attinet, vix putarim primitivam & hodiernam christianæ religionis propagationem tangi: in eo est *Brunus*, ut contra *Aristotelem* probet, dari mundorum infinitam multitudinem. Hinc loco citato pag. 617. ante verba a *cl. viro* citata, hæc extant: „ Haud „ scio quam facile ostendet, non solum demonstrator Aristoteles „ sed & persuasor Demosthenes, atque Tullius, non præstare ad „ vitæ commodum, mundi regiones ita usu atque consuetudine esse „ distinctas, ut a natura montibus & marium tractibus habentur.„ Sequuntur deinde illa verba: A regione quippe in regionem &c.; quibus finitis ita pergit: „ Hoc principio atque via bene ad suum „ propositum constitutis patebit aditus rationibus peripateticis, qui„ bus induci possimus ad incusandam naturam, quod infinitos „ mundos æthereo abjunxerit discrimine. „ Loquitur *Brunus* de disfidiis in hac universitate ubique exortis, & variis falsis opinionibus hinc inde disseminatis, putatque vel ideo præstare multitudinem infinitorum mundorum statuere; atque certum est, infinita mala premere orbem, & ad novum etiam orbem infelicem reddendum, avaritiam & superstitionem junctis viribus anniti. Hinc pag. 615. ubi initium est citati a *cl. viro* capitis inter alia:

Antiqui inventum studii quo Thessala pinus
Externo advexit turbas patriæque revexit
Dum bene disjepti turbavit fœdera mundi
Invida non unum Typhin tibi fata dedere
Claustra etenim Oceani Lygur aut Etruscus avarus
Solvit ut Americam premeret violentus Iberus.

„ Omnem vero, (*pergit cl. vir*) impietatem superant *Bruni* „ effata contra interitum mundi, capite II. *de immenso & innumerab.* „ pag. 404.

Divino interdum nutu quia natura deviat extra
Leges attoniti exitium mundique minatur
Naturæ effractis tabulis pessum omnia labi
Malunt quam tuto quisquam cœco sycophantæ
Errorem adpingat, sed Divum consecret aras.

„ Id mihi velim bona fide fatearis, vir plurimum reverende, „ (*cel. Heumannum compellat vir doctus*) quemnam ibi cœci sycophantæ nomine a *Jordano Bruno* indicari censeas, qui minatus „ sit exitium mundo, & cui homines Divum aras consecrare maluerunt quam ullum errorem appingere? Jam ad Mosen accedam, „ de quo paucis agam. In libro *de monade, numeris & figura* pag. „ 10. & 11. de magorum generibus *Brunus* agit, qui novum molientes institutum, ipso etiam præcipiente Numine, numerorum „ mutationem cum nominis mutatione concepere, ritibusque & cæremoniis quibusdam sunt initiati. Ibi hebdomadas, mutationes „ mensium, & formas anni, circumcisionem denique & Mosen innui, vel cœcus viderit. Hinc ille ibidem pag. 25. abdita percallens Babylonum oracula Moses, qui & alibi idem cum Chaldæis „ atque Magis docuisse traditur. Deum autem Mosis ne verum „ Deum appellet, Hebræorum Numen vocat ibid. pag. 111. septenis glaucas latuit caligine Moses cum fieret viso Hebræorum Numine lætus: cæterum fateor haud ita *Brunus* Mosen contempsisse „ videtur, nec magiam quam falso illi tribuit reposuisse inter malas „ artes antiquorum, inquit pag. 891. Magia, quæ propter antiquæ „ fidei penes quam est quasi totum, abolitione abolita est. &c. „

Quod ad primum locum attinet, existimat *cl. vir*, Christum ut Deum per cœcum sycophantam intelligi. Cl. *Heumannus* vero *Aristotelem*; atque recte ita sensisse credo cl. *Heumannum*; agit enim in hoc capite de quibusdam erroribus, quos *Aristotelici* circa doctrinam de planetis commiserunt. In proxime antecedentibus, postquam eorum sententiam recensuisset ad cit. pag. 463.

- - - Sed somnia quantum
Phantasiæ possint tutari dogma oculorum
Si ratio ac sensus ostendere velle reclamant
(Quandoquidem semet sensus subcorrigit ipse)
Tunc qui affirmarat sensum hunc negat & rationem
Præcipiti quicquid primum dimisit ab ore
Concupit esse natum naturam huc obligat atque hanc
Monstrosam inquit mendacem & miracula ferentem.

Post

Post hæc sequuntur verba, ad quæ *cl. vir* provocavit: in commentario autem subjecto, aperte significat, quem notet. „ In eo, „ (ait pag. 465.) tandem conveniunt Peripatetici, ut fixa illa astra „ ad unum orbem referantur, quia uni tanquam continuatorum „ motus sunt adstricta. Hoc cum positum sit, quicquid contrarium „ & absurdum consequatur, quantum libet sensus experientia, com- „ pertaque naturæ species reclamat: necessarium est Aristotelem non „ errasse; non est possibile, ut tanti Doctores Aristotelici a tanto „ seculo in tam magna multitudine cœcutierint. „ Reliqua quæ de Mose inter magos relato dicuntur anxie non refellam. Ipsemet enim *vir doctus* tandem concedit, magi vocabulum in malam partem ab ipso *Bruno* non fuisse adhibitum. Potuisset sine dubio, & debuisset *Brunus*, multis in locis clarius loqui; at ingenium ipsius nullis moderationis limitibus contineri potuit.

„ Quintam propositionem (*loquitur cl. la Croze*) breviter per- „ tractabo, etsi ita manifeste a *Jordano Bruno* doceatur, ut totum „ ejus systema inde pendeat. Si vel semel, imo ne semel quidem, „ affirmasset *Brunus*, omnem totius universi materiam ab æterno „ existere, id tamen credendum foret ab eo dictum & traditum „ fuisse. Cum enim inter caussam & effectum necessariam conne- „ xionem & relationem statuat, nequaquam intelligi potest vel uno „ momento temporis potentiam immensam & infinitam subsistere „ potuisse, quin effectu item infinito & immenso actuaretur. Hac „ tamen demonstratione invictissima nihil est opus. Universi mate- „ riam æternam esse centies disertis verbis *Brunus* docuit, libro *de* „ *universo & immensis* pag. 532.

Propterea vultum hunc rerum decet esse perennem
Rerum ad naturam spectantibus & genituram.

„ Ibid. pag. 545. & 546. Itaque secundum totum aliquando „ genita est sphæra ignis, quæ nunc motu cæli conservatur, cum „ mundus sit æternus &c. ubi frustra quis objecerit, sphæram ignis „ a *Bruno* hic explodi: nec enim ex ejus mente id æternitati re- „ rum derogat, quam in confesso esse docet. Vide præterea cap. IX. „ *de immens. & innum.* pag. 492.

Nam cur natura possunt hoc esse putare
Quod non æternum est, quod non est tempore multo
Non præsens, non præteritum est, non est pote deinceps
Quandoquidem haud tales patitur natura recessus.

„ Item pag. 494. in prima pagina. Nos iterum naturale illud „ tantum cognoscimus & cum illa serie arbitramur, quod semper „ fuit & est & non potest esse aliter. „

Respondeo. *Cl. vir* probare vult, *Brunum* æternitatem materiæ vel mundi potius admisisse, ob eam rationem, quod inter caussam & effectum necessariam connexionem esse statuat. At quærendum est, quid *cl. vir* per necessariam connexionem intelligat; si his verbis significare vult, *Brunum* credidisse mundum æque necessario vi sua intrinseca existere, ac Deum, negamus: Si vero per illam necessitatem intelligat *hypotheticam*, concedimus. *Brunus* enim ex consideratione sapientiæ, bonitatis & omnipotentiæ Dei concluſit, Deum debuisse mundum ab æterno producere; at hoc non absolutam mundi existentiam involvit. Notæ sunt modernorum de hoc argumento cogitationes; hinc supra audivimus *Brunum* dicentem, mundum esse liberum effectum divinæ potentiæ. Neque quod secundo loco notari velim, verba illa: propterea *vultum hunc decet esse perennem*: adeo perspicua sunt, ut probent, quod *cl. vir* intendit. Inscriptio capitis IX. hæc est: *Examinatur vulgaris & poëtica illa ineptia de maris unda contra suam naturam repressa a Deo, quæ alioquin naturæ suæ relicta terram obrueret.* Incipit autem sic: *At vero ut mirum &c.* Adducto versiculo illo pergit:

Vel nihil est natura vel est divina potestas
Materiam exagitans impressusque omnibus ordo
Perpetuus. Quinam ergo fuit perditus ille
Sensus, qui contra naturam agit efficientem
Tellurem, quare totam non obruit unda?

Hæc verba nihil aliud videntur innuere, quam ordine cuncta prius fuisse facta, neque adeo necesse esse, ut Deus aquam reprimeret, quo minus terra undis tegeretur. Pariter illa verba, quæ

pag.

pag. 494. extant, non videntur periculosa. En illa: „ Nos iterum „ naturale esse illud tantum cognoscimus & cum illa serie arbitra- „ mur, quod semper fuit, & est, & non potest aliter esse. Quod „ experimur, & oculis manibusque contrectamus. Sic aquæ est, „ concreta corpora reddere, ignem pascere & fovere, igni subindo „ est lucere & calefacere, uno modo aquæ est calefacere & lucere, „ alio modo, qualem, si ita in cœlis adspicimus & a cœlo heic de- „ spiceremus, qua re ergo ad essentias illas quintas & mirabilia illa „ portenta. „ Verba hæc nihil aliud significant, quam essentias illas fictas Scholasticorum cerebri figmenta esse, naturam rerum ta- lem esse, qualem & ratio & sensus manifestant. Tandem conten- dit *cl. la Croze*, *Brunum* transmigrationem animarum credidisse, pro- vocat ad cap. III. pag. 11. *de minimi existentia*, ubi ita: „ Pro con- „ ditione, qua anima se gessit in uno corpore, ad aliud sortiendum „ disponitur, inquit Pythagoras, Saduchimi, Origenes. Quapropter „ aliæ per humana corpora discurrunt, aliæ in heroum corpus assu- „ muntur, aliæ vero in deteriora deturbantur. Hæc illi qui æterna „ omnia quadam revolutione exagitata intelligunt præter unum. „

At manifeste loquitur *Brunus* ex aliorum sententia, quod supra jam monuimus. Ultimus denique *cl. viri* locus petitus ex libello *de minimi existentia* ita sonat:

Ergo animus circum minima adglomeranda tomorum
Corpora, se velut involvit cœco ordine in illis
Carcere fatalis tanquam sibi membra figurans
Ut mox se totum hoc corpus diffundat in omne
Rursumque ex omni ac toto resupinu' remigret
Spiritus expanso de flamine concitus in cor
E cujus tandem centro se fundat in auras
Expectetque novos casus successibus anceps
Ac coccæ sese explicitet Rhamnusidis ordo.

Ex hoc clarum esse putat *cl. la Croze*, *Brunum transmigratio- nem animorum admisisse*. Quin hic aliqua transmigratio statuatur, dubitari non potest; at qualis illa sit ex mente *Bruni* non adeo aper- tum est. Hinc cl. *Heumannus* existimat, cum nomine animi spiri-

tum quemdam *architectum*, quem *Archæum* modernorum quidam appellant, corpori vitam motumque tribuentem, intellexisse. At si vel maxime de mente intelligas, nihil aliud concluditur, quam eam ruptis corporis vinculis sedes mutare. Hinc in commentario versibus subnexo ait: „Est & immortalitatis nostræ validissimum ex „ eo principio argumentum, quod individua, quæ ædificat, adglo„ merat, exglomeratque, ordinat, vivificat, movet, intexit, & ut „ mirabilis opifex tanto operi est præfecta substantia, minime dete„ rioris esse debet conditionis, quam corpora, quæ agglomerantur, „ exglomerantur, ordinantur, moventur, & in illius usum assu„ muntur hæc, quorum substantia vere est æterna. „

Hactenus *Brunus*. Quod si tandem concederemus *eruditissimo viro*, eum transmigrationem animarum credidisse, inter *Atheos*, stricte sic dictos, referendus tamen non esset. (†)

At hæc de *Bruno* sufficiunt.

(†) Coronidis loco addam characterem animi J. Bruni, quem rectissime expressit cel. Brukerus, hist. crit. Philosoph. tomo V. pag. 29. sq. Bruniani ingenii characterem (inquit) qui desideraverit cognoscere, illi scripta viri singulari prorsus indole prædita legenda sunt; unum autem cum cura, & quam inprimis postulat, attentione lectum, satis superque docebit, quam mira animi conditione & ingenii singulari natura ab aliis differat. Prima autem, quæ in eo vigebat, imaginationis vis fuit, adeo effusa & extra orbitam rapta, ut nisi nos omnia fallant, vix simile vagantis per innumeras, easque inire inter se connexas complicatasque imagines ingenii exemplum invenire liceat. Hinc ad concipienda sibi ἰδεωλα, conceptusque miros, insolentes, abstrusos, & pauciſſimis, ex iis præsertim, qui adæquatas & claras ideas sectantur comprehensibiles adeo pronus est, ut his obruere lectorem, & innumeris imagunculis replere, quam ordine singula & simpliciter enumerare, malit. Hoc non in carminibus modo prodidit, in quibus incredibilis quædam imaginationis licentia & lascivientis ingenii fertilitas latet; sed in iis quoque, quæ dicendi genere non adstricto scripsit, ubique ea occurrunt adeo ut de abstractissimis Metaphysices notionibus miras ubique imagines seminet. Imo in ipsis ejus orationibus notionum confusarum & ex hac fertilitate sua quasi mole obrutarum exempla, mirumque chaos vocum nil certi significantium, sed mentis ideas confundentium, deprehenduntur. Cujus si quis exemplum illustre valdeque memorabile cupiat, quo dictis fides concilietur, eum epilogum orationis valedictoriæ legere jubemus, miraturum quo ruat orationis enthusiasmo quodam correpti ingenii emoti furor & insana affectatio, &c.

ORATIO

ORATIO
DE
PRÆCIPUIS VIRTUTIBUS,
Quibus
S. THEOLOGIÆ PROFESSOREM
ornatum esse oportet.

COgitanti de quo potissimum argumento, feria hac *Protomartyribus*, sive veris sive fictis, *Felici* & *Regulæ* sacra, more atque instituto Majorum, solemni oratione celebranda, in tanta *virorum amplissimorum* atque *doctissimorum* copia, verba facturus essem, ipsa muneris, quod jam quidem mihi impositum est, ratio indicare videbatur, quid mihi agendum esset Omnes enim, quos huc magno numero confluxuros firmiter eram persuasus, non solum exspectaturos credidi, quid novus ille homo & musteus Theologus dignum tanto gradu esset prolaturus; sed & eosdem ex hac ipsa oratione experimentum aliquod capturos, utrum disciplinæ sanctissimæ atque nobilissimæ naturam atque indolem calleret, nec ne. Sumus enim omnes ita natura comparati, ut credamus, eos qui scite de arte vel disciplina differunt, modo velint, ad eam rite tradendam multum conferre posse. Cumque nuper *amplissimorum* & *venerandorum Gymnasii procerum* consensu, Deo O. M. cuncta benigne moderante, tradendis sanctioribus disciplinis admotus essem, & hac ipsa hora *venerabilis Sacrorum Antistitis* jussu & auctoritate muneris mei auspicia ponenda essent, nihil rectius me facere posse existumavi, quam si pro ingenii modulo dissererem de iis officiis, quæ præstanda sunt ei, qui gravissimo Theologiæ Professoris

fessoris munere cum laude defungi velit. Verba igitur, *Auditores nobilissimi, amplissimi*, ut sine ambagibus in rem præsentem eam, facturus sum *de præcipuis virtutibus, quibus publicum Theologiæ Professorem ornatum esse oportet.* Argumentum profecto, nisi omnia me fallant, dignum est splendido hoc *amplissimorum & doctissimorum virorum consessu*, non tantum ob virtutum ipsarum, de quibus verba facturus sum, nobilitatem atque singularem præstantiam; sed hoc potissimum nomine, quod *illustres & venerandi Gymnasii nostri Præsides*, ex hoc ipso de me, futurisque meis laboribus, conjecturam facere possint; dignum est hoc argumentum *persona mea*, quam in posterum dum vixero per Dei gratiam sustenturus sum; dum enim nobilissimarum virtutum mentionem facio, ipsa muneris ratio a me efflagitabit, ut in eas, tanquam in speculum, frequentissime inspiciam, atque ex iis exemplum, quid in posterum faciendum sit, sumam. Consentaneum denique est hoc argumentum *futuris meis auditoribus*, sacri inprimis Ministerii Candidatis; ita enim mature discent, quodnam V. D. Ministri, sive Theologi, quod perinde est, officium sit, quibusve virtutibus, si quidem Deo placere velint, ornati esse debeant.

Hoc unum ergo restat, *Auditores omnium ordinum amplissimi* atque *præstantissimi*, ut mihi, stylo plano atque facili, quod Theologum decet, verba facturo, vacivas, nullisque præposteris rumusculis obstructas aures præbeatis. Ego saltem operam dabo, ut, quæ in medium prolaturus sum, non possitis non intelligere.

De præcipuis autem virtutibus, quibus Theologiæ Professorem ornatum esse oportet, verba facturus, pulchre video, vitandæ omnis confusionis caussa, singula, de quibus dicturus sum, in certas classes esse dispescenda. Et mea quidem opinione rectissime ad quinque capita, quæ hîc quidem quam maxime commemoranda sunt, referri possunt. Oportet enim Theologum 1.) esse *eruditum*, 2.) *veri amantem*, 3.) *modestum*, 4.) *pacificum*, quinto denique loco *pium*. Aut nescio ego plane quid Theologi nomine significetur, aut is hoc titulo dignissimus est, qui hisce virtutibus elucet atque floret.

Agite

Agite ergo, *auditores*, singulas hasce virtutes animo atque adfectu mecum percurrite & perpendite, linguisque ac animis, ex veteri formula, favete!

Prima igitur virtus, quæ quidem inesse debet Theologo, est veri nominis *eruditio*, quæ solida rerum præstantissimarum, divinarum præsertim, variarumque scientiarum, quæ ad sanctissimas disciplinas rite tractandas requiruntur, cognitione absolvitur; quo inprimis pertinent Sacras Litteras interpretandi peritia; non proletaria Philosophiæ recentioris & Theologiæ theoretico-practicæ scientia, rerumque in orbe, ecclesia præsertim, per omnia temporum intervalla gestarum, cognitio. Hisce disciplinis si rite est imbutus Theologus noster, *eruditus* merito dici potest. At quoniam multi præposteram eruditionis theologicæ opinionem animo habent infixam, paulo clarius, in quo vera illa Theologi eruditio consistat, dicendum est. Ad eam igitur virtutem non requiritur, ut Theologus noster omnes difficultates, quæ quidem in Sancto Codice occurrunt, tollere; ut chronologicos & genealogicos omnes nodos solvere; ut quicquid Prophetarum oracula habent obscuri ad digitos referre & definire; ut omnes ritus & consuetudines Hebræorum, & populorum orientalium edisserere; ut τα βαθη, quæ circa originem mali, providentiæ divinæ administrationem, reliquaque mysteria occurrunt, explicare; ut omnes distinctiones veterum & recentiorum Theologorum, quas necessitas, vel superbia, aut denique ignorantia peperit, in numerato habere; aut ut denique omnium dissidentium & stultissimorum, qui unquam in terris vixerunt, hominum opiniones enarrare, & singillatim convellere possit. Hæc enim, si ad perfectam eruditi Theologi imaginem absolvendam necessario postularentur, fatendum esset, nullum unquam inter mortales extitisse eruditum, quod dicere absonum esset, Theologum. Omnis certe, qui sanctissimæ disciplinæ gnarus, rerumque divinarum veram atque accuratam habet notitiam, facile deprehendet, partem eorum, quæ narravimus, ita esse comparatam, ut nulla acie ingenii cognosci, nullo, ne pertinacissimo quidem, labore & diligentia possint comparari; partem vero inter non necessaria penitus esse referendam. Agnoverunt hoc illi, qui in hisce litteris principes fuerunt atque in iis consenuerunt. Rectius ergo de eruditione theologica

sapiendum est. Ad veram igitur, ut perspicue mentem nostram pandamus, eruditionem, quam in Theologo desideramus, præter linguarum, philosophiæ, theologiæ, theoreticæ & practicæ, antiquitatum denique ecclesiasticarum cognitionem, requiritur ante omnia, ut *eruditio* ipsius cum *sapientia* sit conjuncta. Sine hac divina virtute, quantacunque rerum divinarum & humanarum notitia sit instructus, frustra erit Theologus noster; quadrata rotundis, levia gravissimis, necessaria inutilibus miscebit; sine hac omnis ejus eruditio similis erit chaoticæ massæ, in qua non bene junctarum discordia semina rerum; sine hac per omnem vitam in supervacuis desudabit, & cum larvis pugnabit; sine hac denique nunquam veræ castæque religionis studium atque amorem in pectoribus auditorum suorum accendet, sed Theologastri potius, id est, inepti rerum sanctissimarum & saluberrimarum tractatoris nomen merebitur.

Hæc vero sapientia, si cum eruditione, & variarum artium ac disciplinarum cognitione est conjuncta, incredibile quantum confert, ad ingenerandam veram solidamque rerum divinarum notitiam, ad persuadendos etiam pertinaces de gravitate, dignitate atque præstantia muneris theologici. Consistit autem *erudita* illa *sapientia* Theologi in eo potissimum, ut veram, solidam & masculam religionis christianæ ideam animo habeat infixam; ut singulas ejus partes, quatenus vel naturali consecutionis lege, vel volente ita Deo, inter se sunt consociatæ, habeat perspectas; ut non tantum cognoscat fontes errorum cœlesti veritati insidiantium, & pietati nocivum periculum concitantium; sed & quid ad obstruenda hæc mala eheu! latius semper serpentia, faciendum sit, rite intelligat. Probe insuper intelligat eruditus noster Theologus, quid in controversiis, quæ inter dissidentes Christianorum familias agitantur, leve vel grave, momentosum vel inane sit, quidque adeo maxime probandum, inculcandum, convellendum, quid vero silentio transmittendum, aut ἱστορίας ἕνεκα enarrandum. Pulchre inprimis calleat Theologus noster quid tempora, quibus vivit, deposcant; habent enim disciplinæ omnes, sic & opiniones hominum & errores, sua fata: quidam errores absurditate sua sponte corruunt; alii omnium ætatum sunt; quidam parum nocent reipublicæ christianæ; alii saluti omnium insidias struunt, mentesque Deo sacras a sanctissimis officiis Deo &

Soteri

Soteri noſtro Jeſu Chriſto præſtandis revocant. Quemadmodum autem ad errorum & temporum fata diligenter animum convertit Theologus noſter, ſic auditorum ſuorum quammaxime rationem habendam eſſe credit; nonſolum enim novit, adoleſcentium ingenia varia eſſe, ſed & perſpectum habet, quid in hac tenera & lubrica ætate quammaxime ſit urgendum. Veri nominis Theologi eſt, quantum ingenio, laboribus, atque precibus valet, conniti, ut futuri Verbi divini Miniſtri ſciant, & quidem haud perfunctorie, quid ad cœleſtem illam Jeſu Chriſti ſapientiam edocendam, explicandam, probandam, vindicandam, latiusque proferendam quammaxime neceſſarium ſit; cumque eum latere non poſſit, religionem chriſtianam totam, quanta eſt, doctrinam eſſe veritatis, quæ ſecundum pietatem eſt; eam in affectibus potius ſitam quam in ſyllogiſmis, vitam magis quam diſputationem, afflatum potius quam eruditionem, transformationem denique magis quam rationem eſſe; non minus operam dabit eruditus noſter Theologus, ut vera & ſalutaria Jeſu Chriſti præcepta, ſine quibus ne alumni quidem ſanctiſſimæ diſciplinæ, nedum ejus legati eſſe poſſumus, auditoribus ſuis inculcet; quam vero capita religionis ſcitu ad ſalutem neceſſaria, idque ad exemplum ipſius ſanctiſſimi noſtri Soteris, inter omnes ſapientiæ Doctores & Theologos, qui unquam terris illuxerunt, eruditiſſimi atque prudentiſſimi: probe inſuper gnarus eſt Theologus noſter, Miniſtris in agro cum ſuperſtitione potius, præjudicatis opinionibus, erroribus popularibus ſaluti animarum nocivis, cum vitiis denique varii generis, quam vero cum ſpecioſis erroribus, quos ſuperbia quorundam eruditorum male ſanorum peperit, perpetuum bellum fore: muniendos igitur eſſe S. Miniſterii Candidatos contra ea potiſſimum, quæ maxime nocere poſſunt, edocendosque, qua ratione efficere poſſint, ut cœleſtis ſapientia radices in animis auditorum ſuorum agat. Denique, ut alia multa, quæ ob anguſtos temporis limites ſilentio prætermitti debent, omittam, operam dabit eruditus noſter Theologus, ut quicquid explicat atque docet graviſſimis argumentis & locis Scripturæ probet, neque tam ad argumentorum multitudinem, quam vero ad eorum pondus attendat; ut facili methodo, clare & perſpicue cœleſtis ſapientiæ decreta, non ex *Scoti*, vel *Thomæ*, aut aliorum ſophorum ſcriptis petita, ſed ex ipſius revelationis penu depromta, Chriſti atque Apoſtolorum auctoritate

ſubnixa, propinet. Quod ſi ita cauſſam ſanctiſſimæ religionis agat Theologus noſter, quantum per ingenium & imbecillitatem humanam licet, merito eum *eruditi* atque *ſapientis* Doctoris officio defunctum eſſe omnes, qui ſuo rem quamque pretio æſtimare ſciunt, affirmabunt.

II. Ad hanc autem tantam, tamque præclaram eruditionem & ſapientiam, Theologus noſter pervenire non poteſt, niſi pertinaci diligentia, amore cumprimis veri acerrimo; igitur *veri amantiſſimum* eſſe decet Theologum. Cum enim nullæ diſciplinæ, eæ præſertim, quæ de rebus maximi momenti agunt, rite cognoſci poſſint ſine incredibili ſtudio & diligentia, perinde autem non ſit veri cognoſcendi cupido, utrum rite atque recte diſciplinæ alicujus fundamenta, indolem, atque naturam cognoverit nec ne; neceſſe eſt, ut ardentiſſimo veritatis addiſcendæ teneatur deſiderio, nihilque eorum reliqui faciat, quæ ad omnes ſinus atque angulos diſciplinæ rite cognoſcendæ perveſtigandos facere poſſunt. Hoc *ſtudium* autem *veri* cum neceſſarium ſit in omnibus diſciplinis ac artibus rite cognoſcendis, nemo non videt Theologum præcipue divinæ hujus virtutis amore totum tactum & conſtrictum eſſe debere. Non enim hic agitur de lana caprina, de rebus nemini profuturis, de felici conjectura aut emendatione loci corrupti, de hypotheſibus veterum aut recentiorum Philoſophorum, ſpinoſis potius quam utilibus; ſed agitur de rebus ſanctiſſimis, diviniſſimis, & cum æterna hominum ſalute connexis. Quæritur hic, utrum totum Univerſum & quicquid in eo admirabile eſt, caſu, an vero divina, ſapientiſſima, atque potentiſſima cauſſa a mundo diverſa productum & ad certos fines exornatum ſit. Quæritur, providane Dei cura cuncta maxima medioxima regantur. Quæritur, utrum mentes ſimul cum corpore intereant, an vero morte careant, æternum durent, pœnarum & præmiorum capaces futuræ. Quæritur, utrum revelatio quædam divinitus conceſſa adſit, & utrum illi certa & infallibilia divinæ originis inſint veſtigia. Quæritur, utrum libri, qui in manibus Chriſtianorum ſunt, quosque diſſentientes licet in omnibus fere aliis capitibus Chriſtianorum familiæ pro divinis oraculis habent, male conſutus maleferiatorum hominum cento ſit nec ne. Quæritur, quænam poſita etiam & conceſſa libri hujus divina origine vera ad ſalutem

obtinen-

obtinendam via sit. Quæritur, unde factum sit, ut tanta labes genus humanum invaserit, tantaque malorum agmina infestent, quæque curandæ naturæ humanæ posita sint a Deo media. Quæritur, utrum Jesus Christus verus sit Messias, per quem solum spem beatæ immortalitatis consequendæ habere possimus. Quæritur, utrum is non solum sanctissimam disciplinam mortalibus attulerit, miraculis confirmarit, ad eam obsignandam a mortuis fuerit revocatus, sed & utrum morte sua jus vitæ æternæ consequendæ pro nobis fuerit adeptus. Quæritur, quibus virtutibus vir sapiens & disciplinæ sanctissimæ alumnus ornatus esse debeat, quid vitandum, quid vero adpetendum, quænam vera, certa, & infallibilia purgatæ mentis, & veri Christianismi indicia, ut alia multa, quæ scire veri rectique amantium interest, silentio præteream. Num autem, testem cujusque conscientiam esse volo, num inquam perinde est, quicquid de rebus adeo gravibus sentiamus nec ne? certe aut dicendum, inter verum & falsum, inter opiniones stultissimas & veritates saluberrimas, inter leve & arduum nullum esse discrimen, quod ne ipsa quidem adseruerit impudentia; aut concedendum, has ipsas propositiones, de quibus solicitum esse oportet Theologum, scitu, cognituque quammaxime esse necessarias, omniumque, qui vera rerum pretia norunt, attentione dignissimas. Quod si vero hoc est, *auditores*, de quo neminem vestrum dubitare persuasus sum, manifestum est, hæc omnia a Theologo rite perpendi, nedum aliis recte inculcari non posse, nisi veri cognoscendi acerrimo præditus atque incensus sit studio. Satisfacturus ergo Theologus officio suo, Sacras Litteras diurna nocturnaque versabit manu, vocabit in auxilium nonsolum divinæ & cœlestis gratiæ auctorem Deum, ut mirabilia legis suæ perspicue mentis oculis offerat, tenebrasque præjudicatarum opinionum, φιλαυτίας, superbiæ, & pravorum animi studiorum dispellat; sed & doctissimos omnis ævi interpretes, quos quidem ad manus habere potest, consulet, & quicquid ex omni parte ad verum oraculorum divinorum sensum eruendum facere potest, conquisitis undique præsidiis, colliget. In hoc vero sancto studio ita versabitur *noster*, ut non potissimum quærat, quid auctoritati suæ, sectæ suæ, hypothesibus & opinionibus suis confirmandis & stabiliendis inserviat, sed quid senserint & præceperint Moses & Prophetæ, Christus & Apostoli. Hoc si semel in animum suum induxit,

si Sacrarum Litterarum maxima ducitur reverentia, si id unum sancto quodam studio candide & simpliciter, sine fuco atque malo animo, summa vero pietate ac diligentia agit, dubium non est, quin, quantum in hac rerum caligine, in tanta rerum difficillimarum copia, in tot discrepantibus opinionibus fieri potest, in arcem veri sit penetraturus, atque ab omni periculoso errore liber sit futurus; neque enim credibile est, hominem reverentia singulari Numinis tactum, veri amantissimum, & circumspectum, in rebus maximi momenti a vero rectoque aberraturum esse. Idem *veri studium* efficiet, ut ad explicanda & probanda sanctæ religionis capita omnem diligentiam curamque adhibeat, singula, quæ ad probandam thesin ex Sacris Litteris adferuntur, loca solicite examinet, ad veras Hermeneuticæ regulas expendat, & qua ratione ad confirmandam sententiam nostram faciant, auditoribus suis plane, perspicue atque solide ostendat. Inprimis vero operam dabit, ut veritatum in S. Litteris traditarum pondus probe expendat, atque ea quæ ipsius Christi & Apostolorum auctoritate cum salute arctissime sunt conjuncta, quæque adeo rite cognovisse omnium Christianorum interest, accurate distinguat ab iis, quæ sine veræ pietatis detrimento & salutis dispendio ignorari possunt. Atque hæc feraci hoc disputationum seculo non satis inculcari posse, omnes qui veræ religionis naturam atque indolem cognitam atque perspectam habent, fatebuntur. Cumque nemini quicquam quod a mente sua alienum est sit tribuendum, atque in hoste etiam sit laudanda virtus, nonsolum ipse dissentientium libros diligenter evolvet, eorum argumenta rite ponderabit, & ad Sacrarum Litterarum normam tanquam lydium lapidem exiget; sed & ubi illi necessitas est imposita cum veritatis hostibus congrediundi, positis omnibus pravis animi studiis, sententiam eorum non male explicabit, non cum inviforum hominum decretis conferet, momentum quæstionis non ultra modum exaggerabit, non invidiosa consectaria ex adversariorum sententia deducet, sed candide atque cordate cum iis aget, atque ubi a vero aberrarunt, non convitiis, sed perspicuis argumentis, demonstrabit. Eum in finem, quantum per imbecillitatem humanam fieri potest, facessere jubebit præjudicatas opiniones, partium atque sectæ studia, quæ a vero abducunt, pessimique consultores esse solent; *veritatem*, *veritatem* inquam, unam in oculis feret, eam exosculabitur,

probe

probe sciens, ad eam rite cognoscendam, tradendam & vindicandam se a Deo per æternas conscientiæ leges esse obstrictum. Hanc ubicunque, & inter quoscunque deprehendit, amat; in ea deliciatur; hanc *auditoribus* suis commendat; ejus admirabilem vim in animis hominum ostendit; ab ea nullis sese ratiunculis, nullis partium studiis abduci patitur. Hujus denique amore totum, quantus quantus est, sese incensum & abreptum esse, in sermonibus, scriptis, universa denique vitæ ratione ostendet.

III. Eruditioni & veritatis amori comitem adjungo *modestiam*, per quam intelligo eam animi bene compositi æquabilitatem, qua quis de se modice, de aliis benigne sentiens, tractanda sibi negotia prudenti moderatione expendit, uti singulorum naturæ, indoli, ac momento consentaneum est. Hæc virtutum cæterarum, quibus homines nobilitari solent, vernix est. Hæc una, cæteris omnibus præsentibus si deficiat, decus omne atque ornamentum ereptum dicas. Sume *Philologum*, aut *Criticum* litteratissimum, *Oratorem* disertissimum, *Philosophum* subtilissimum, sed superbum, inflatum, sibi suffenum, omnesque æquitatis limites excedentem; tantum aberit, ut inter sapientes laudem eruditi sit consecuturus, ut potius eum sapientes ludibrio sint exposituri, atque in catalogum umbraticorum Doctorum, quos Galli *des Pedants* vocant, sint relaturi. Quod si cæteris disciplinis, earumque Doctoribus sola hæc virtus tantam tamque incredibilem adfert gloriam, iisque conciliat optimi cujusque & doctissimi amorem; quid futurum esse credemus, si sanctissimæ disciplinæ Doctor egregia hac dote ornatus est? Singulari vero jure hanc virtutem sibi vindicat excellentissima disciplina Theologia, quoniam inter virtutes christiano homine dignas non ultimum obtinet locum, atque in Jesu Christo, Theologorum omnium capite atque Principe, splendidissime eluxerat. In genere de ea loquendo ex accurata sui, scientiarumque, si de eruditione sermo sit, cognitione oritur. Si quis eruditus est & scientiarum abdita penetravit, quo magis ad ingenii humani imbecillitatem, ad impenetrabilem plerarumque rerum mentibus vel sensibus objectarum naturam, ad dissidentes virorum etiam perspicacissimorum sententias animum convertit, fieri aliter non potest, quin necessitate compulsus incipiat de se suaque eruditione modice sentire. Quivis pulviseulus,

quælibet

quælibet monas, ut moderni Philosophi loquuntur, ignorantiæ nostræ testes erunt omni exceptione majores: norunt hoc omnes, qui in disciplinis philosophicis hospites non sunt. Quod si in cæteris disciplinis, philosophicis præsertim, in quibus excolendis omnes rationis vires explicant ingenia ad meditationes abstrusissimas veluti natura facta, tanta tamque incredibilis ingenii humani cæcitas naturæque rerum ambigua occurrit cognitio, quid mirum, si in revelatione, ubi de rebus altissimis atque divinissimis, v. g. de consiliis divinis ante omne ævum captis; de electione inter tot possibiles alios mundi hujus tot malis obruti; de creatione omnium rerum ex nihilo; de providentiæ divinæ in regno naturæ & gratiæ administratione; de propagatione labis in omne genus humanum sese diffundentis; de arcanis in mentes humanas operationibus; de mysterio S. S. Trinitatis; de conjunctione intima Soteris in carne manifestati cum divina natura, aliisque non minus sublimibus rebus agitur, suam sæpe Theologus fateri debet ignorantiam? ut jam nihil dicam de iis, quæ extrinsecus accedunt in hoc litterarum genere, puta de antiquissimis historiis & ritibus; de singularibus vocibus atque phrasibus Hebræorum; de rebus gestis populorum quibuscum olim negotia Hebræis intercesserant, & ad quas Prophetæ digitum intendere videntur; de scopo, fine, & occasione singularum prophetiarum & hymnorum; de temporibus quibus quæque facta dicuntur &c. Dies certe & latera me deficerent, *auditores*, si in patentissimum hunc campum exspatiari, & ample differere vellem, quantæ, non mea, quæ leve apud vos pondus habitura esset, tyrone utpote in sublimi hac scientia, sed doctissimorum Theologorum sententia, in multis divinæ nobilissimæque scientiæ partibus occurrant tenebræ, quamque difficile sit illas, post eruditissimorum virorum omnibus disciplinis excultorum irritos labores, dispellere. Atque hæc ipsa *modestia* etiam efficit, ut de aliorum opinionibus benigne semper judicet, atque ubi ubi licet, bonas in partes, quæ minus caute atque circumspecte dicta sunt, interpretetur Theologus. Quod sibi fieri vult aliis etiam facit; probe cognoscit mentis humanæ imbecillitatem; haud ignorat quam varia sint hominum ingenia; perspectum habet, non convitiis atque probris, sed argumentis perspicuis atque solidis, lenitate inprimis, errores mortalibus eximi; placide modesteque monitos in viam revocari, nobis conciliari, neque

que ita agendo ullum detrimentum pati veritatem: nunquam, quod cheu tamen feraci hoc disputationum seculo, & quod invitus dico, a Theologis frequentissime fieri solet, ubi de erroribus refutandis agitur, ad intimos animorum recessus provocabit, demonstraturus, errantem nonnisi data opera, & malo animo a vero rectoque deflectere; potius rem ipsam in se, suaque natura spectatam expendet, atque ad rationis & revelationis normam examinabit. Cætera Deo cordium scrutatori, & malorum vindici permittet.

Neque circa errores duntaxat hanc sibi legem fixam esse persuasum habet Theologus, sed inprimis hoc sibi impositum esse officium credet, ubi de Sacrarum Litterarum interpretatione agitur. Hic, hic sane singulari prudentia & modestia opus est. Novit Theologus Sacras Litteras explicaturus rem sibi non esse cum *Aristophane* aliquo aut *Plauto*, sed Sanctissimo Numine; nunquam igitur adeo sibi præfidens est Theologus noster, ut in explicandis difficillimis locis se unum sapere, rectumque cognoscere putet, sed & alios audiendos, neque dissentientes temere exagitandos existumabit; temerarias, violentas, atque audaces, Dei præsertim virtutibus molestas conjecturas atque interpretationes singulari studio evitabit, neque quicquam pravis concedet adfectibus. Uti enim vel peritissimus Astronomus (*verba sunt eruditi & pii Theologi*) optimis tubis instructus nullas instituere observationes potest, ubi aër crassioribus nebulis nubibusque obseptus est, quæ astrorum conspectum intercipiunt: ita etiam interpres lucidissima illa veritatum cœlestium sydera in Sacris Scripturis minime observabit, nisi animum serenum & tranquillum & a distractionibus turbulentisque affectibus liberum attulerit, quamvis cæterum ingenti eruditionis apparatu instructus. Ubi de maxime sublimibus religionis christianæ mysteriis explicandis agitur, a Scholasticorum distinctionibus nugisque sibi temperabit, potiusque ignorantiam suam fatebitur, quam ut tenebras offundat rebus sanctissimis. *Modestiam* suam etiam manifestam faciet Theologus in explicandis typis & prophetiis, quam nostra & patrum nostrorum memoria in multis Theologis reformatis, Belgis præsertim, jure desiderarunt viri docti. Evitanda hæc sunt inprimis seculo nostro, quo longe petitas illas allusiones, atque imaginationis aberrationes non solum ferre non possunt erectiora ingenia, sed &

incredulis, quorum eheu hodie magnus est numerus! sine necessitate sanctissimis rebus insultandi exhibetur occasio. Inter audaciam ergo atque temeritatem, & inter servile obsequium medius incedet Theologus noster, cum rerum ipsarum sublimitate, tum reverentia erga Sacras Litteras ductus, atque perpetuo captus: nemini denique sensum, quem ipsemet aut industria reperit, aut ab aliis didicit, temere obtrudit, probe gnarus omnibus ex æquo libertatem esse concessam, id quod verum esse putant, arripiendi & amplectendi.

Quantam *divina* hæc *virtus* utilitatem rebuspublicis, ecclesiis, academiis; quantam componendis fratrum dissidentium litibus, & bellis litterariis, nullos triumphos habituris, adferat; quam uberes fructus ferat in animis studiosorum; quam late denique sese diffundat, vix verbis, *auditores*, exprimi potest: temperare mihi non possum, quin Theologi, ut doctissimi, sic modestiæ laude inprimis nobilissimi, *H. Witsii* nempe de hac ipsa Theologi virtute differentis, verba adducam. Hic in oratione inaugurali ad *Lugdunenses* habita, divinæ hujus virtutis amore abreptus, in hæc erupit verba: „ Dici denique *(inquit)* non potest, quantum commodorum in rem „ litterarum ac religionis publicam illatura modestia sit. Quid animum Deo loquenti docilem & obsequiosum præstabit? *Modestia.* „ Quid eundem a tremendorum mysteriorum male consulta temeratione arcebit ac deterrebit? *Modestia.* Quid sanctissimæ religionis „ nostræ dogmata felici in animos illapsu veritatis amantibus persuadebit? Tractantium ea interpretum *Modestia.* Quid infaustas „ lites vel præveniet, vel dirimet? Quid inutiles, sed magno sæpe „ animorum motu agitatas controversias componet? *Modestia.* Quid „ ubi pugnam pro Dei caussa detrectare nullo pacto licet, victoriam „ conciliabit & faciliorem & laudabiliorem? Dimicantis *Modestia.* „ Quid insanum novaturiendi pruritum, quid partium studia, quid „ nocentissimarum factionum pestem e scholis & ecclesiis pellet? „ *Modestia.* Quid animos manusque in sancta inviolabilis pacis & „ amicitiæ fœdera junget? Eadem *Modestia.* O sancta & beata *Mo-* „ *destia*, tot averrunca malarum pestium, tantorumque conciliatrix „ bonorum, quo te terrarum proripis? cur oculis te nostris subducis, tuique tabentes desiderio misere destituis? Siste gradum, redi „ propitia, occupa animos nostros, inque iis placidissimi dominatus

„ tus tui thronum: occupa hanc academiam, hanc cathedram, „ tuis devotam sacris, crepante invidia, frendente discordia, fre- „ mente ambitione, conculcatisque omnibus erebi monstris, & „ exulare jusso, quidquid perpetuæ adversatur tranquillitati, tuo „ nos præsidio, tuis muneribus æternum bea. „ Ita *eximius* ille *Theologus:* cujus voto & meum addo.

IV. Cum hac nobilissima virtute arctissime connexum est *studium pacis*, seu sincerus animi affectus, veritatem animo tranquillo, sine alterius læsione & insectatione docendi & tuendi; errantem lenissime tractandi; eum in viam, argumentis sincerum amorem spirantibus, revocandi; erroribus, quos parum cavet natura humana, quique vel ex connata mortalibus ingenii imbecillitate, vel obscura rerum credendarum repræsentatione oriuntur, neque spem beatæ immortalitatis intervertunt, ignoscendi. Studium certe ut christiano homine omni, sic Theologo cumprimis dignissimum, quodque mirificum ei decus atque ornamentum adfert. *Hoc* ipsum autem latius adhuc patet, quam modestia. Hæc enim in circumspecto, prudentique sui actionumque suarum examine, & benigno de aliorum institutis judicio, potissimum consistit. Illud vero sincerum, ardens & perpetuum desiderium, animos hominum sibi conciliandi, errantes revocandi, opiniones, quantum veritatis natura atque indoles patitur, benigne interpretandi, atque cum iis, quos neque Christus, neque Apostoli communione veræ ecclesiæ excludendos esse injunxerunt, in arctissimam societatem coëundi, involvit. Virtus certe, sive rempublicam, sive ecclesiam consideres, sive ad præcepta & exempla Jesu Christi & Apostolorum attendas, sive denique ad incredibilem vim, quam habet in animos hominum respicias, Theologo dignissima. Principium, quo innititur pulcherrima hæc virtus, est amor proximi, divinis & humanis legibus nobis injunctus. Proximus est omnis homo, cuicunque tandem opinioni & sectæ addictus sit: non enim desinit errans esse homo, neque adeo solutus est Theologus unquam generali illo & omnibus mortalibus injuncto amoris officio. Quanquam enim plurimum intersit, quibus quisque rationibus ad opinionem aliquam tuendam inductus sit, atque inter graviter errantes, & cespitantes duntaxat in rebus minoris momenti, magnum sit discrimen; certum tamen est, nil

magis ad qualitercunque errantes lucrandos conducere posse, pacifica & amicabili tractandi ratione. Non quæritur, utrum erroribus ipsis albus sit adjiciendus calculus, aut utrum sit asserendum, perinde esse quamcunque opinionem in rebus ad religionem spectantibus amplectamur, quod nemo sanæ mentis dixerit; sed utrum animus salutis aliorum cupidus, modestus & pacificus non plus efficiat ad errantem in viam reducendum, nobisque & Deo conciliandum, quam vero præposterum quoddam, morosum & superbum errantibus insultandi studium, studium errores in majus extollendi, ex qualibet, ut habet proverbium, musca elephantem faciendi; verbo, quicquid argumenta ab invidia petita suggerunt, pleno horreo in eum conjiciendi. Atque hoc non solum verum esse quilibet, qui, quid amor proximi deposcat, perspectum habet, quæque errantium & errorum natura sit cognoscit, facile concesserit; sed & hoc ipsum pacis studium a Christo & Apostolis fuit injunctum, ipsoque opere variis rationibus & occasionibus demonstratum. Sanctissimus noster Soter & Apostoli, ad quod probe attendendum est, ipsos animorum recessus habebant perspectos, quidque homines impediat, quo minus cœlesti disciplinæ nomen darent, accuratissime sciebant, quibus donis homines cæteri, ipsi etiam, quod nemo negat, Theologi destituti sunt; hoc tamen non obstante divinam illam virtutem non solum commendarunt, sed & exemplo suo confirmarunt. Quis nescit discipulos Jesu Christi, perpetuos licet admirabilis doctrinæ auditores, multis iisque gravibus fuisse erroribus obnoxios? Eos tamen propterea non odio habuit, nedum insectatus est divinus Doctor, sed instar benigni parentis castigavit, erroresque sensim sensimque animis eorum exemit, atque dum majore luce superfunderentur, expectavit. Idem benignissimus Soter & infallibilis Doctor non solum pacificos beatos esse prædicavit, sed & exemplo suo, qua ratione cum errantibus versandum sit, nos edocuit. Cum aliquando, ut hoc unum adducam, licet per totam vitam divinæ hujus virtutis radios undiquaque sparserit, cum, inquam, aliquando una cum discipulis in vicum quendam Samaritanorum perveniisset, atque ut cœlesti voci vacivas aures darent, sed frustra, monuisset, discipulique præpostero zelo incensi postulassent, ut igne cœlitus demisso pœnas de pertinacibus Samaritanis sumeret, respondit: *Nescitis cujusmodi spiritus filii sitis vos.* Quid autem aliud, *Auditores*,

hoc

hoc ipso significare voluit optimus noster & pacis amantissimus Doctor, quam iram, superbiam, vindictæ cupiditatem, insultandi errantibus studium, a norma sanctissimæ suæ disciplinæ penitus abhorrere, atque lenitate, patientia, & commiseratione opus esse, ad cœlestem doctrinam animis hominum infigendam, latius proferendam, atque ab erroribus vindicandam. Discipuli tanti magistri majore luce collustrati, & inusitata Spiritus Sancti gratia superfusi, undiquaque per Imperii Romani fines iter facientes cœlestem sapientiam cunctos edocturi, modeste, prudenter & amore pleni errantes monebant, ad amplectendam sanctissimam Christi disciplinam suaviter invitabant, nævosque Judæorum & Gentilium animis tenaciter infixos non uno ictu, sed per intervalla eximendos esse putabant, litesque in primis nascentis ecclesiæ cœtibus ortas prudenti lenitate componendas esse censebant. Paulus ipse non uno in loco, plenus licet zeli pro gloria Dei & amplificando regno Jesu Christi, Theologos, ait, esse oportere non *percussores*, non *pugnaces*, sed *moderatos*, *mansuetos*, *a convitiandi libidine alienos*, *in lenitate adversarios erudientes*. Idem vitandos equidem jusserat homines pravis studiis captos, & disciplinæ cœlesti data opera insidias struentes, sed vitandos inquam; non convitiandos, non lædendos, non insectandos, nedum ad necem deposcendos, quod tamen majore jure, siquidem id unquam legibus divinis permitti posset, facere potuisset, cum dono infallibilitatis, quo nos Theologi omnes caremus, & potestate miraculorum patrandorum instructus probe calleret, errantes illius ætatis non sufficientis lucis defectu, aut ingenii quadam imbecillitate, sed superbia, ambitione & voluptatum amore præpediri, quo minus capessendæ sanctissimæ disciplinæ animos adjicerent. Et profecto hoc ipso sanctissimus noster Soter ipsiusque Discipuli ostenderunt, quo spiritu ducerentur, quamque casta atque divina sit religio ab ipsis tradita. Veteres sapientiæ aut potius insanientis sapientiæ consulti, diversitate opinionum inter se distracti, cerdonum ritu quasi de palma certarunt, quid altercando, rixando, insectando & convitiando possent, adeo ut rabies hæc a sapientibus inter ipsos viris, *Luciano* præsertim, uti merebatur, non solum falso fuerit perstricta, sed & vehementissime exagitata. At docendi ratio Christi & Apostolorum nonnisi pacis & amoris studium spirabat. Et certe, quisquis naturam indolemque veritatis & errorum attenta mente perpendit, facile de-

prehendet, nihil esse ad veritatem animis hominum insinuandam, errores contra iis eximendos, placido hoc & pacifico studio aptius & accommodatius: veritas alia ratione demonstrari non potest quam argumentis; argumenta autem vim suam atque efficaciam in animos hominum non exerunt, nisi iis ita utaris, ut is, quem verum idque maximi momenti edocere vis, sentiat te amore ejus tactum esse, te bene ipsi cupere, atque nihil magis in votis habere, quam ut Deo concilietur, veræque & cœlestis sapientiæ uberrimos percipiat fructus. Idem dicendum, si errantem corrigere velis; errans, dum errat, recte se sentire atque agere putat; errorem pro veritate deosculatur, ignorantia, præjudicatis opinionibus, auctoritate majorum, aut pravis studiis abreptus. Quid igitur? num convitiis, insectationibus, vel pœnis fieri posse existumamus, ut placide argumenta nostra expendat? ut in nostram sententiam concedat, & victas det veritati manus? certe non magis credibile est, violentis ejusmodi mediis errantem in viam iri reductum, quam certum, urbem munitam syllogismis expugnatum iri. Contra si amice, modeste, & pacifice cum eo agas, spes est, eum, siquidem serena mente ad opinionum suarum fundamenta oculos convertit, erroribus valedicturum; aut si id non fit, non male tamen de nobis sensurum: omnes certe veri rerum æstimatores judicabunt, nos officio nostro ex asse satisfeciisse. Neque hoc duntaxat ex ipsius veritatis atque erroris indole sponte enasci palam est, sed & idem omnium temporum & seculorum experientia comprobavit. Quid enim quæso cœlestem doctrinam, nullis pravis hominum studiis blandientem, primis post excessum Christi & Apostolorum seculis, adeo Gentilibus commendavit, tantosque in animis eorum stimulos excitavit, ut tanto tamque generoso impetu incitati, exquisitissima tormenta, & mortem ipsam perpeterentur; quid, inquam, divinam illam sapientiam, quam Philosophi illius ætatis pro stulta quadam & inepta credulitate habebant, adeo commendavit veri amantibus? num cavillationes primorum Christianorum, num proscriptiones, carceres? an vero amica, lacrymis mista, argumentis suffulta, precibus contemperata eorundem piorum hominum oratio? Quinam magis reipublicæ ac ecclesiæ saluti detraxerunt, quam Theologi rixosi, superbi, disputaces? Quid tantas, tamque acerbas turbas primis post imperium *Constantini* annis, & sequenti ætate magis excitavit, quam

intem-

intempestiva *Orthodoxorum* pariter & *Heterodoxorum*, uti vocantur, cum dissidentibus agendi ratio? postquam enim semel pestilens opinio, *Augustini* contra *Donatistas* libellis non parum confirmata, in animos hominum irrepsisset, errantes nimirum quosvis sine discrimine atro carbone non solum esse notandos, sed persequendos, insectandos, & quidquid præposterus zelus, quicquid ira ac superbia, pessimi consultores, suadere possent, contra miseros homines esse adhibendum; infinitis malis nullum finem habituris fores apertæ, atque religionis nomine, quidquid unquam sceleratum atque impium factum & tentatum fuerat, excusatum; innumeri hypocritæ facti, religioque ipsa sanctissima incredulorum cachinnis objecta, atque inter Christianos hydra quædam malorum caput extulit. Possem, si vellem, integrarum sectarum, vel privatorum exemplo, ex omnis ævi historia, sacra præsertim, id comprobare, nisi vererer, ne de eruditione vestra minus præclare sentire viderer: quis enim tandem eruditorum hæc ignorat? Et quid tandem funestas illas lites, inter *fratres* post tempora Reformationis exortas, & eheu adhucdum durantes aluit, auxit, confirmavitque magis, quam Theologorum quorundam male sanus fervor, in judicando superbia, & alios insectandi studium? quid contra a multis retro annis nuperrimeque, atque utinam tandem non sine successu! spem nobis injecerat pacis alicujus sacræ ineundæ, promovendæ, & tandem ad finem perducendæ, quam vero ad pacem, moderationem, & leves illas controversias componendi studium non sine providentia Dei incitata ingenia? At audio quosdam dicturos, me verbosum satis esse in hoc pacis studio commendando, dememinisse autem veritatis, cujus studiosissimum esse oporteat Theologum, zelique, quo armatus esse debeat. At in salvo res est *Auditores*; nihil detrahit pacis studium veritati; licebit, imo oportebit semper Theologum ἀληθευειν ἐν ἀγαπῃ: non postulat hoc studium, ut gravem errorem levem esse dicamus, aut plane excusemus, nedum ut pacis caussa gravissimis erroribus patrocinemur: alienum hoc est a sanctissima disciplina, atque a pietate & gravitate Theologi. Hoc unum studium istud pacis deposcit, ut nemini temere insultes; ut errantem consiliis plenis amoris & perspicuis argumentis in viam revoces; ut mala non exaggeres; ut fratri in levibus erranti ignoscas; ut quicquid lenitas, amor & preces efficere possunt, ad lucrandum eum adhibeas. Hæc omnia

salva

salva veritate, salva *Orthodoxia* fieri possunt, & debent. Bono etiam sis animo, tu quisquis es, qui te zelo Dei incensum esse ais ad oppugnandos dissentientes. Si enim zelus tuus veri nominis zelus sit, non cæcus impetus, non zelus pro opinionibus tuis, non zelus pro auctoritate tua, gloria tua, secta tua, commodis tuis; sed potius zelus pro gloria Dei, Dei inquam, zelus non magis errori, quam vitiis inimicus, zelus amore proximi & veritatis unius injectus, zelus cum prudentia & charitate conjunctus, zelus qui per omnes animi tui, ut ita dicam, artus atque sinus sese diffundat, atque vitiis omnibus bellum indicat, zelus denique purus, castus, Dei ipsius, Christi & Apostolorum exemplis roboratus, si, inquam, hic zelus pectus tuum implevit, pacis & veritatis studio non solum non obstaculum ponet, sed potius verum atque castum veritatis amorem progenerabit.

V. His tandem virtutibus omnibus accedere, vel potius omnium radix esse debet vera *pietas*, quæ dignitate prima, ultimo loco a nobis ponitur, quoniam ostendere animus est, cæteras omnes, quas enumeravimus virtutes, nisi hac accedente, vanas esse, saltem vero suo ornamento, præcipuoque præsidio destitutas. Antequam autem de necessitate & utilitate hujus virtutis, qua Theologum ornatum esse oportere dixi, agam, paucis, quoniam res ita postulat, quid per *Theologum pium* intelligam, dicendum est. Nimirum non eum hoc titulo dignum judicamus, qui morosus, tetricus atque caperata fronte est; qui in vultu omnibusque suis actionibus nescio quam austeritatem præ se fert; qui murmura secum semper & rabiosa silentia miscet; qui pietatis supremum gradum esse putat, singulos religionis systematicæ articulos ad digitos posse referre; qui pro minutissimis opinionibus tanquam pro aris atque focis pugnat; qui ad qualemcunque dissensum fratrum, novamque opinionem, tanquam *Hannibal* esset ante portas, maximos suscitat clamores; qui in rebus indifferentibus, & ad pietatis studium promovendum nihil quicquam facientibus, vindicandis tamen & tuendis fervidissimus est; qui singulis opinionibus & consuetudinibus Majorum tanquam saxo adhæret; vitiis gravissimis ignoscit ac palpum obtrudit, in leviter vero dissentientes asperrimus, parata tollit cornua; aut qui denique mysticis nescio quibus contemplationibus intentus, Seraphici alicujus

jus Doctoris gloriam quærit, perpetuis Deorum conviviis sese interesse jactitat, omnesque qui vel leviſſimas opiniones, sed *sua sententia*, & quidem *sola*, graviſſimas, in dubium revocant, & quantum in se est ad triſtia tartara mittit. Sed is noſtra opinione *pius* dicendus est *Theologus*, qui solidam, accuratam, atque masculam religionis a Chriſto & Apoſtolis traditæ animo infixam habet imaginem; qui eam solidis argumentis explicare, probare & vindicare potest; qui gravis, veri rectique amans, candidus atque simplex est; qui Deum ex animo amat, puroque & casto gloriæ divinæ ardet zelo; qui non minus erroribus quam vitiis perpetuum indixit bellum; qui frequentius cum vitiis suis, quam cum hæreticis pugnare solet; qui semota omni hypocriſi, sæpe de rerum omnium vanitate, virtutis præcellentia, futura vita, de emendando depravato Chriſtianiſmo non secum tantum cogitat, sed & cum cordatis viris, auditoribus inprimis suis loquitur; qui sæpiſſime precibus apud Deum intercedit, ejusque gratiam implorat; qui omnes vires ad proferendam & latius diſſeminandam veram virtutem atque pietatem impendit; qui ad Sanctiſſimi Soteris exemplar, quantum in hac rerum caligine fieri potest, omnia sua inſtituta & consilia exigit; qui non tam laborat, ut eruditus & celebris Doctor, quam vero ut pius & Dei amicus evadat; qui nihil eorum intermittit, quæ ad diſcipulos suos curæ suæ commiſſos meliores reddendos facere possunt; qui denique in omni vita, inſtitutis & actionibus hoc unum agit, atque in eo ad usque ultimum vitæ halitum perdurat, ut Deo & Soteri suo Jesu Chriſto in vita & morte placere possit. His virtutibus, quantum per ingenii humani imbecillitatem licet, si ornatus est Theologus, vere pium esse jure contendimus. Non autem necesse esse puto, *auditores*, ut pluribus probem, neceſſum esse, ut Theologo hæc virtus inſit: novimus omnes, neminem Chriſtianorum spem beatæ immortalitatis habere, aut sanctiſſimæ diſciplinæ alumnum esse posse, niſi idem pius sit. Totius religionis chriſtianæ indoles atque natura ostendit, Deum hoc unum velle atque agere, ut homines multiplici errorum labyrintho seducti, vitiisque immerſi, per Jesum Chriſtum in tutam ac plenam veræ felicitatis possessionem vindicentur. Et quid tandem aliud animo infixum esse debet, quam hoc, nimirum ut veritatem, quæ secundum pietatem est, non tantum validiſſimis argumentis probet,

aliisque commendet; sed & ut ipsemet vim ejus sentiat? Non est religio christiana similis decantatæ philosophiæ veterum, in qua pietas & virtus a sapientia tot laudibus elata penitus erat secreta, & in solvendis spinosis, dubiis atque incertis quæstionibus unice occupata. Religio christiana, quanta quanta hoc unum curat, ut homines non tam sapientiores, quam vero potissimum meliores reddat; atque hoc ipsum satis superque ostendit, eam doctrinam nonsolum tanquam plenam Deo, & tanquam veram sapientiam esse commendandam, sed in animum potissimum alte demittendam; atque adeo ipse Theologus, quam vim in animos hominum habeat, primus experiundo discere debet. Eruditus equidem potest esse Theologus, in omni disciplinarum genere versatus, clarus, & magnum literati orbis decus; at cœlestis sapientiæ vim capere, sentire, immensas divinæ bonitatis divitias per Christum partas gustare, nisi pius sit non potest. Ubi vero semel mascula pietas totum ejus pectus pervasit, altissimasque in animo radices egit, fieri aliter non potest, quin maximo ardore incitatus sanctissimam religionem aliis sit inculcaturus, omnibusque auditoribus suis incredibilem ejus efficaciam commendaturus. Cumque brevis & expedita ad sapientiam via sit per exempla, difficilis vero per præcepta, hoc ipso satis edocetur Theologus noster, sibi nonsolum esse incumbendum, ut admirabilem religionis præstantiam & incredibilem vim ad curandos & tollendos animi morbos auditoribus suis ostendat, sed & ducis adinstar, quid tentandum sit, quidque vires a Deo confirmatæ valeant, luculenter commonstret. In altissimo quasi loco positus est Theologus, ad eum convertit quisque oculos suos. Hæc pietas mediocri etiam cum doctrina conjuncta plus valet, quam vastissima eruditio. Eruditionem equidem homines admirantur, diligentiam atque ingenii acumen laudant; at vere sapientes, si pietas desit, scopo suo excidisse Theologum, & magno labore nil aut parum profecisse adserent: verbo, Theologus sine pietate *histrio* est, qui verbosis strophis multum de efficacia medicinæ spiritualis equidem garrit, nunquam autem per vitam vim tantopere celebrati boni sensit. Et unde quæso est auditores, quod tot homines in urbe & agro, centies licet de cœlestis disciplinæ excellentia edocti, tam remoti tamen sint a vera pietate? Scio plures hujus mali causas dari posse, quæ plurimum ad hoc conferunt: at ignoscite,

quot-

quotquot Sacris operamini, atque V. D. Ministri & Theologi vocamini, si dicam, inter præcipuas degeneris Christianismi causas referendos esse ipsorum docentium malos mores. Num enim credibile est, homines, inprimis ad malum inclinatos & præjudicatis opinionibus de pietatis natura atque indole imbutos, credituros esse, vera esse, quæ de pietatis necessitate & efficacia religionis christianæ dicuntur, si Doctor equidem publicus pro cathedra eas virtutes in cœlum tollat laudibus; ipsi vero auditores nonsolum suspicari, sed vel manibus tandem palpare possunt, eum æque ac cæteram turbam omnibus, aut certo cuidam, eique pestilentissimo, vitio esse immersum? an non potius sic secum cogitabunt: si seria res esset morum emendatio, si cum salutis dispendio conjuncta vitæ improbitas, si æternum felices futuri essent pii, contra miserrimi impii, atque de hisce omnibus convictus atque persuasus esset Doctor noster, num credibile tandem eum superbiæ, luxuriæ, avaritiæ tantopere fore addictum, vitamque a decretis suis adeo abhorrentem victurum esse?

Novi quidem *auditores*, homines ita ratiocinantes non culpa vacuos propterea esse, neque a vitæ morumque ratione, quam sequitur V. D. Minister & Theologus, auditorum salutem suspensam esse; at quin ejusmodi vita occasio sit infinitorum malorum, atque ingens hominum turba, deprehensis tot vitiis sacris operantium, ad mala perpetranda valde proclives reddantur, consensuros credo, quotquot verum dicere volunt, & possunt. Ut autem melius innotescat, quam necessarium sit hoc pietatis in Theologo studium, cogitandum, cui potissimum operi Theologo per omnem vitam vacandum sit. Nimirum nonsolum sanctissima religionis capita rite explicare, solide probare & vindicare; sed & quantum in se est, in id omnibus viribus conniti debet, ut in urbe & agro non solum tales constituantur religionis Doctores, qui hæc ipsa saluberrima disciplinæ sacræ decreta juvenes atque senes pariter edocere possint; sed hoc potissimum, ut iidem pii sint, Dei amantes, atque castissimo Dei & gloriæ ejus zelo incensi. Si Theologus effecit, ut aliquot auditorum suorum sint docti, si omnes systematis partes intelligunt, si cum dissentientibus scite disputare possunt, si ex vario eruditionis penu ad sacrarum literarum inter-

pretationem, vel antiquitatis ecclesiasticæ illustrationem aliquid conferre possunt, non parum equidem lucratus est Theologus noster; at si idem eruditus ejus discipulus avarus est, si superbus, disputax, aut garrulus; si egregius formarum spectator est, aut luxuriæ deditus, si parum curat res ad veram pietatem commendandam facientes, si eum nunquam tangunt, nunquam insomnem reddunt tot peccata & errorum monstra, quibus orbis christianus horret, parum certe promovit Theologus noster. Si vero omni sua industria hoc unum obtinuit, ut Ministros aliquos vero pietatis amore incensos reddere potuerit, felix est, & satis se vixisse arbitrari potest, officiumque Theologi implesse, quoniam labore suo aliquos homines ab erroribus liberatos ad iter cœleste direxerit.

At num credibile denuo est, *auditores*, Theologum cœlestem hanc vim doctrinæ Jesu Christi ita commendaturum, atque omni virium contentione enisurum, ut tales constituat Sacrorum Antistites, si ipsemet amore Dei & pietate omni vacuus est, & nunquam per vitam cœlestis hujus disciplinæ vim atque dulcedinem gustavit? Verbo, sine pietate Theologus neque modestus neque pacificus esse potest: eruditio vero omnis non magis ipsius animo proderit, quam difficiles quorundam eruditorum nugæ ad veram sapientiam conferre possunt.

Sed contrahenda sunt orationis vela, & ad portum citis passibus est festinandum. Audivistis auditores O. O. nobilissimi, quibus mea opinione virtutibus ornatum esse oporteat Theologum, quidque ei faciendum sit, siquidem tanto munere cum laude defungi velit. Debuissem longe plura, si per temporis spatium licuisset, adjicere, at ejus habenda est ratio. Igitur, quantum ad finem, quem intendi, spectat, sine mora solemni huic actui finem possem imponere. At duo ante mihi præstanda esse pulchre video, idque pietatem, & Majorum consuetudinem jure postulare persuasus sum. Prius est, ut de cl. *Antecessoris* mei vita, fatis, atque virtutibus, quibus floruit, breviter aliquid adjiciam; posterius vero, ut amplissimis atque venerandis hujus illustris gymnasii proceribus dignas publice pro collatis in me beneficiis persolvam grates, meque, quantum verbis consequi licet, porro benevolentiæ eorum commendem.

Quod

Quod ad vitam, fata atque virtutes *clarissimi Antecessoris* attinet, missis rethoricationibus, & undiquaque quæsitis elogiis ex prolixiore βιογραφια ab ipso pie defuncto olim consignata, ea quæ ad institutum nostrum pertinent, in summam contraham, atque servato temporis ordine, quantum quæque mihi nosse datum est, narrabo.

Natus est autem *Joh. Rodolphus Cramerus* nunc pie defunctus Anno 1678. die 14. Februarii, *Elcoviæ*, patre viro admodum reverendo *J. Jacobo Cramero*, Classis Elcovienſis *Camerario*, matre vero *Dorothea Huldrica*: jactis apud parentem linguæ latinæ & græcæ fundamentis, 1691. Tigurum missus, hospitio & mensa usus avunculi, viri plurimum reverendi *J. Jacobi Huldrici*, Canonici, & ad ædem Spiritus Sancti Pastoris: adjutus autem est *Cramerus* noster juvenis in studiis suis promovendis a fratre suo *Jacobo*, viro postea clarissimo, sed præmatura morte rebus humanis exempto.

Consilio optimorum parentum & amicorum medicinæ vacare debuerat studiis noster; at postquam inopina morte parens 1693. decessisset, filius fratri obtemperaturus totum sese sanctioribus disciplinis tradiderat, atque in iis singulari studio atque animi contentione ita profecerat, itaque sese reverendis præsidibus probaverat, ut anno 1699. in numerum V. D. Ministrorum fuerit receptus. Eodem vero anno cum fratre doctissimo, ad docendam Theologiam *Herbornam* vocato, ad nobile hoc optimarum artium ac disciplinarum emporium commigravit. Hic per biennium substitit, ab ore fratris pendens singulari cum fructu illius institutione publica & privata usus est, auditis etiam cl. viris *Hildebrando*, *Florino*, *Kirchmeyero*, *Dukero* & *Schrammio*. Non leviter autem nostrum turbaverat peracerba mors fratris optimi atque doctissimi, febri hectica in ipso ætatis flore consumti, Tigurique anno 1702. demortui.

Ipse interea, ut cursum studiorum absolveret, atque fratris olim datis monitis obtemperaret, majoresque in antiquitatibus hebraicis progressus faceret, relicta *Herborna* Nassoviorum, totius Belgii splendidissimam lucem *Lugdunum Batavorum* contendit, atque ibi famiiariter

liariter usus cl. viris, *Triglandio*, *Markio*, *Witsio*, optime nostro ob singularem diligentiam, fratrisque eruditionem & commendationem cupientibus. *Triglandius* inprimis fratris precibus motus effecerat, ut ædibus & institutione cl. *Surenhusii* Professoris linguæ hebraicæ Amstelodamensis uti posset, adhibito etiam ad hæc studia prosequenda *Rabbino*, *Isaaco Polono*, quocum aliquot tractatus Talmudis, adhibitis etiam Commentariis Gemaricis, evolverat. Salutaverat noster Amstelodami frequenter doctissimos viros, *Stresonem*, *van Leuwen*, *Alphenium*, *Limborchium*, & *Meibomium*.

Postquam autem *amplissimorum* Gymnasii nostri *Procerum* benevolentia *Cramerus* noster ad prosequenda studia philologica eximium nactus fuerat stipendium, hortatus eum est frater, tunc temporis adhuc in vivis, ut de specimine hebraico edendo, atque *Amplissimo Magistratui* nostro ad gratam mentem testandam inscribendo serio cogitaret: cujus voluntati obsecundaturus noster, adhibitis in consilium Professoribus Lugdunensibus, ad vertendas *constitutiones de primitivis*, seu *Hilcoth Biccurim*, notisque philologicis illustrandas animum adjecerat: quem laborem per modum septem disputationum, sub præsidio cl. virorum, *Triglandii*, *Markii*, & *Witsii*, additis ad singulas disputationes ἐπιμέτροις, ex variis disciplinis depromtis, sumptibus *Academiæ Lugduno-Batavæ* edi curavit.

Postquam autem doctissimus frater, ut dixeramus, præcoci nimium fato abreptus fuerat, *amplissimi* & *venerandi* scholæ nostræ *Proceres* absentem nostrum *Cramerum* in locum defuncti fratris substituerunt, demandata illi linguæ hebraicæ Professoris in collegio inferiori, quod Humanitatis vocant, provincia.

Audito hoc læto nuncio, *Noster* sine mora circa Junium anni 1702. itineri sese accinxit, salutatisque, qui in itinere occurrebant, viris celeberrimis, insigni eruditionis copia locupletatus, salvus & incolumis ad suos fuit in patriam delatus. Redux oblato *Magnificentissimis patriæ Patribus* libro in Belgio, ut dixeramus, elaborato, die 18. Septembris novum munus auspicatus est, oratione inaugurali habita de *Philologis a reformatione in schola Tigurina claris*.

Anno

Anno 1703. thori sociam sibi adjunxerat lectissimam fœminam, *Dorotheam Werthmüller*, ex quo conjugio illi aliquot liberi nati, quorum pars mature decessit, relictis duntaxat in vivis filia, nupta viro reverendo *Georgio Hirzelio*, *nunc in Templo Carolino Archidiacono primario vigilantissimo*, filioque *Joanne Jacobo*, *in Collegio Humanitatis Professoris Theologiæ Catecheticæ* munere cum laude defungente.

Anno 1705. post discessum cl. *Suizeri*, Professoris Theologiæ Heidelbergensis, facta, ut fieri solet, stationum mutatione, demandata fuit *Cramero* nostro historiæ sacræ & profanæ docendi provincia, cui dignitati mox, ita volentibus *utriusque ordinis amplissimis Præsidibus*, aliud officium adjunxerant, nimirum ut esset *illustri Senatus ecclesiastici Collegio ab Actis*, quo officio difficillimis temporibus per 13. annos singulari cum industria defunctus est.

Anno sequente 1706. professionem linguæ hebraicæ in Collegio Carolino ornare incepit, substituto in ejus locum H. *Hirzelio*, linguæ postea græcæ Professore celeberrimo, ante aliquot annos cœlitum choro adscripto. Hoc ipso autem anno ad emendandam & perficiendam H. *Altingii* historiam ecclesiasticam animum adjecit, quam etiam, ut & cl. *Suizeri* Chronologiam, ad suam usque ætatem magna cum industria perduxit.

Postquam autem per aliquot annos singulari cum diligentia, nec minore cum successu demandatis sibi officiis vacasset, variisque Collegiis privatis & publicis nonsolum optimarum literarum studiosos sibi devinxisset, sed inprimis *amplissimis Præsidibus* sese commendasset, anno labentis seculi 17. in Collegium *reverendorum Canonicorum* fuit receptus, præstitaque fideliter opera venerando *Lavatero*, Theologiæ Professori præstantissimo, sed animo & corpore tum temporis languenti, anno 1725. tandem, post clarissimi hujus viri obitum, creatus est veteris, ut vocant, Testamenti Professor, cui dignitati anno 1731. post obitum cl. *Holzhalbii*, gravissimum *venerandi Canonicorum Capituli Decani* munus adjectum, & denique mortuo cl. *Hottingero*, eidem Anno 1735. in professione Theologiæ Novi Testamenti successit.

At

At hi ipsi concatenati labores & honores; hæc ipsa munera atque onera, ut est cum rebus humanis comparatum, non parum animi, potissimum vero corporis, cujus fulturis animus sustinetur, vires attenuarunt atque fregerunt: duo ferme anni sunt, cum externa corporis specie vigorem referente fortis tamen & lætus & alacer esse desineret; ex quo facile erat ad conjiciendum, intus latere, quod mortalitatem celeraret. Haud multo post manifestis indiciis proditum est, præstantissimum virum non bona uti valetudine, & malo corporis habitu omnia alimenta corrumpi. Ipse sæpenumero inter familiares de valetudine adversa ita querebatur, ut quisque intelligeret, eum quotidie mori, nec pigre & meticulose, sed confirmato animo ultimis appropinquare: testis etiam præter hæc *meditatio theologica* in egregia *Pauli II. ad Corinth. V.* 1. verba ab auctore in languore conscripta & a nobis edita, cui aliæ insuper ejusdem argumenti erant, si per fata licuisset, addendæ. Sperabant equidem boni omnes futurum, ut hac illave medicina languentis vires refocillarentur: at aliter sapientissimo omnium rerum Moderatori visum. Posteaquam enim pauculos dies cum invalescente difficultate spirandi, quæ hydropem pectoralem prænuntiabat, colluctatus esset, pridie Eidus Julias placide, nil tale, qui ægroto adstiterant, opinantibus, supremum peregrinationis diem explevit, vix dum LX. ætatis annum ingressus. *Fuit, fuit* ergo *Cramerus* noster, longiore vita, si quisquam alius, dignissimus, vocatus a summo totius orbis Rectore ex tenebris ad splendidissimam lucem, ad ærumnarum, curarum concatenatorumque laborum requiem, & cœlicolarum choris mistus, delicias a Jesu partas cæpit prælibare.

De virtutibus ipsius & eruditione ut prolixe differam necesse non est. Cum enim vos omnes testes habeam, quanta cum diligentia, cura atque solicitudine spartam utramque exornarit; quos labores, quas molestias devoraverit, quot egregios libros scripserit; quanta eruditione, pietate, gravitate atque humanitate eluxerit; quam bene de ecclesia nostra & gymnasio nostro meritus fuerit, pluribus dicere nil attinet. Deo potius O. M. æternas dicamus grates, quod *Cramerum* scholæ nostræ bono per plures annos concesserit, eumque rogemus, ut tales semper nobis concedat Doctores, qui eruditione, pietate, morum gravitate, cæterisque bonorum virorum virtutibus ornati, nobilitatique sint. Quum

Quum autem, *Numine Optimo Maximo* ita cuncta benigne moderante atque disponente, factum sit, ut post excessum cl. *Crameri* humeris meis gravissimum Theologiæ Professoris munus imponeretur, ad vos *amplissimi*, *nobilissimi*, *venerandi* utriusque ordinis *Proceres*, me converto, *vobisque* quibus possum verbis pro benevolentia erga me indignum gratias ago, acturus porro, dum spiritus hos meos rexerit artus. Scio quam grave mihi & sanctum impositum sit munus; pulchre video, quanta diligentia, perspicacia, quam incredibili labore opus sit ad hanc provinciam rite & digne exornandam & tuendam; sentio denique tenuem saltem umbram earum virtutum, quarum supra mentionem feceram, quæque in *beato antecessore* meo eluxerant, in me deprehendi. Interim cum ea sim ætate, qua ad ferendos labores & res quasque secundum pretium suum expendendas aptior nulla sit, labori insuper, meditationi & lectioni quotidianæ adsuetus sim, spem non vanam habere potestis, me, quantum ingenio & pertinaci diligentia possum, omnibus viribus conisurum, ut tanto favore me dignum reddam. Eruditionem, ingenii acumen, atque perspicaciam non semel; diligentiam autem, & bonam officio suo defungendi voluntatem nunquam desiderabitis. Quod labore, industria & ingenio comparare non possum, id ut ardentissimis precibus a Deo obtineam, connitar. Quidquid ad veram atque salutarem religionem rite explicandam, inculcandam latiusque proferendam, ad salutem patriæ dulcissimæ promovendam, ad pietatis studium, eheu nostra ætate non parum imminutum, commendandum facere potest, non negligam. Cum auditoribus meis publice & privatim ea tractabo, quæ ad veri nominis Naziræos, & dignos S. Ministerii Candidatos efficiendos facere possunt. Jactis solidis veræ religionis fundamentis, rite inter se, quantum mihi cernere datum est, coagmentatis, mox in antiquitatem ecclesiasticam, & primæ nascentis ecclesiæ tempora excurram; mox utilissima ethicæ christianæ præcepta, officia præsertim V. D. Ministrorum explicabo & inculcabo; mox in historiæ literariæ campum cum auditoribus meis exspatiabor, atque veræ eruditionis theologicæ fontes detegam; mox gravissima Sacrarum Literarum capita & testimonia explicabo; mox denique veterum & recentiorum hæreticorum systemata excutiam, quibusque præsidiis & argumentis oppugnari debeant, ostendam. Verbo, quicquid a doctore veritatis,

quæ secundum pietatem est, jure postulari potest, quantum in me cadit & intelligendo consequi possum, strenue exequar. Ita credo vos benevolentiæ vestræ erga me male parvum, & suffragiorum vestrorum nunquam pœnitebit: sic Deus, cujus favor, nullis meis provocatus meritis, ab ipsa juventute erga me singularis erat, aderit porro consiliis, conatibus & laboribus meis; sic denique vera eruditio theologica, & mascula pietas caput inter nos efferet, & ignorantia cum impietate, suis dejectæ sedibus, frustra frenos mordebunt.

Pergite, *Viri amplissimi*, *patriæ Patres optimi*, de vera eruditione & pietate bene mereri. Adolescentes amore literarum & probitatis incensos dignos vestris laudibus & favore vestro judicate; nullius stemmatis homines, sed eruditos, perspicaces, modestos, in lucem protrahite, atque ostendite porro, non tam generi quam virtuti potius & bene meritis sua esse reposita præmia, & aditum ad dignitates & honores optimo cuique patere. Sic *Tigurum* nostrum, quod optimarum artium ac disciplinarum hactenus officina, & doctissimorum virorum seminarium fuerat, porro florebit, & eruditio, pietas & pax ad finem usque seculorum inter nos dominabuntur. *Deus T. O. M.* porro vestris, *Viri amplissimi*, *nobilissimi*, consiliis ex alto benedicat, reipublicæ vestræ multum indies adjiciat, eam in tuto collocet, omnibusque iis bonis, quæ ad rempublicam aliquam omni ex parte felicem beatamque, quantum in his terris fieri potest, reddendam facere possunt, exornet & accumulet.

Sed ad VOS etiam oratio mea, seu pectus omne meum sese convertit, *Viri pl. reverendi*, *celeberrimi*, *excellentissimi*, *Tigurinæ Scholæ*, atque Ecclesiæ *lumina* & *columina*. Vestra institutione, auxilio, benevolentia, votis denique atque punctis vestris factum est, ut non solum eruditionis vestris sub auspiciis jecerim fundamenta, atque nomen aliquod mihi comparaverim; sed & vobis post Deum immortalem tribuo, quod post absolutum ex legibus vestris institutionis publicæ cursum, atque exhibita qualiscunque diligentiæ specimina, dignum publico Professoris munere me judicaveritis, eoque temporis spatio, variis beneficiis, adfectus vestri in me indignum testibus uberrimis, adfeceritis; vestræ denique pietati, benevolentiæ, atque favori tribuo, quod me in collegium vestrum splendidissimum

dissimum receperitis, dignumque existimaveritis, cui gravissimum Theologiæ Professoris munus concrederetis. Pro quibus omnibus vobis heic publice grates persolvo, quas possum maximas, Deumque O. M. cum iis referendis impar sim, in vota voco, ut cumulatim ea rependere, consiliis vestris, vestris conatibus, laboribus atque familiis denique vestris benedicere, votaque omnia vestra atque cœpta secundare velit. Simul vero *vos collegas reverendos* atque omni pietate colendos rogo atque obsecro, ut consiliis vestris, & eruditione atque experientia, longo rerum usu confirmata, & late splendente, mihi adesse, & ubi, quod non raro fiet, auxilio vestro opus erit, me juvare velitis. Olim, dum amœnioribus & facilioribus studiis vacabam, dignum judicastis favore vestro, saluberrimaque suppeditastis consilia; sustinete ergo me, non sine maxima solicitudine atque suspiriis gravissimum munus subeuntem, meque, qui omnia vobis debeo, vestrique cupidissimus sum, porro amicitia vestra dignum habetote. Cumque probe sciatis, *Viri Præsides*, quantum ad docendas & proferendas optimarum artium, sacrarum præsertim, disciplinas, bona fama atque existimatio docentis conferre possit, innocentiam quæso meam, sicubi eam impugnari animadverteritis, strenue vindicate. Hoc unum, Deum testor, in votis meis est, ut possim ἀληθευειν ἐν ἀγαπῃ. Lites omnes & contentiones cane pejus & angue fugio, nihilque magis opto, quam ut in museo meo sine strepitu & rixis, inter optimarum litterarum studia & serias meditationes, ætatem & vires meas consumam; efficite igitur quæso, ut susurrones quosvis longe ab animis & auribus vestris removeatis: *Zimmermannum* vero, ubi eum officio suo strenue defungi, bonum virum atque Theologum, veritatis, pacis atque pietatis amantissimum esse videbitis, quam laudem, ut imperiti & pacis inimici homines mihi non eripiant, omnibus viribus connitar, præsidio vestro tuemini. Ego ut favore dignum me reddam, omnem curam atque cogitationem convertam, neminique, mecum rixandi, nedum insultandi mihi ullam unquam, quantum prudentia & modestia effici potest, occasionem subministrabo.

Te vero, reverende ac *clarissime* LAVATERE, collegam posthac in eodem munere obeundo futurum conjunctissimum, *te*, inquam, oro atque rogo, ut me familiari tuo congressu amicitia-

que vere intima dignum habeas, auxilioque ac præsidio tuo mihi adsis. Tu equidem non multum ætate, eruditione vero, vasta lectione, experientia atque ingenio me longissime superas; tu omnes eruditionis theologicæ sinus perreptasti, atque spatiosum hujus disciplinæ campum emensus es, ego vero tyro sum, & intra metam consisto. Ad te ergo dubiis in rebus recurram; te in consilium vocabo; ex te, quid plurimum ad sanctiores disciplinas rite tradendas conferre possit, edoceri cupiam.

Fac ergo, *Vir præstantissime*, ut animi nostri posthac sint conjunctissimi; fac junctis viribus, quæ ad cœlestem sapientiam docendam, & disseminandam, impietatem vero & incredulitatem, ubique eheu caput tollentem, eradicandam facere possunt, consulamus. Ostendamus quæso exemplo nostro, quid eruditio cum pacis studio in ecclesia & republica efficere possit: faceſſat a nobis *odium theologicum*, quod non sine sanctissimæ disciplinæ damno & contemtu in proverbium abiit; æquo animo, si forte, ut sunt hominum ingenia, in omnibus minutis opinionibus & punctis non conspiremus, mutuum dissensum feramus, atque satis habeamus, quod in Jesu Christi doctrina caste pureque docenda, iisque quæ cum salute conjuncta sunt concordes simus; occludamus quæso aures malevolis amicitiam nostram & mutuum amorem turbare conantibus, atque generoso impetu incitati ad regnum Jesu Christi ampliandum cogitationes nostras, studia nostra & labores conjungamus. Deus, fons omnis eruditionis atque sapientiæ, porro *tuis* & cæterorum *illustris Gymnasii Doctorum* adsit cœptis, eorum laboribus benedicat, florentesque corporis atque animi vires conservet atque tueatur, seroque tandem vos omnes, qui pro sanctissima Jesu Christi disciplina, optimisque studiis & artibus, vires consumsistis, ad divinum illud animorum concilium migrare jubeat!

Sed ad vos tandem etiam pervenio, *optimarum artium ac disciplinarum alumni*, futuri posthac de novo deliciæ meæ atque gaudium. Quam primum gravissimo muneri Theologiæ Professoris admotus eram, variæ neque leves solicitudines animum invaserunt: obversabatur animo meo studii theologici difficultas, multiplex disciplinarum, quibus hodie concluſa est, varietas, virium mearum imbecil-

imbecillitas, & temporum eheu quibus vivimus infelicitas, ut alia plura silentio præteream. Hæc animum meum variis curis circumventum turbaverant, atque effecerant, ut non sine metu atque suspiriis humeris meis gravissimum onus susciperem. Inter varias autem rationes, quæ quidem ad animum sumendum, strenueque demandatum officium aggrediundum me induxerant, præter alias ea non minima fuit, quod nonsolum in priore statione muneri meo vacanti adfectum vestrum erga me abunde demonstravistis, attente mea dicta avidisque auribus excepistis; sed in primis quod singulari gaudio adfecti estis, postquam *amplissimorum & venerandorum Præsidum* voluntate splendidissimam hanc provinciam in me delatam fuisse audivistis. Hic certe adfectus in me non vanum, credo, mihi augurium erat, vos in rebus longe difficilioribus, magisque momentosis, imo cum salute vestra arctissime conjunctis, vacivas mihi aures præbituros, & lætissimo animo mecum in patentissimum eruditionis theologicæ campum exspatiaturos, atque saluberrimos fructus divinæ hujus disciplinæ incredibili cum desiderio decerpturos. Agite igitur optimarum artium ac disciplinarum studiosi, vos inprimis Deo sacri Naziræi, efficite, ut ego cum gaudio novo huic muneri meo vacare possim. Vobis denuo offero omnia mea studia atque officia: patebit vobis liber ad me aditus, museum meum & res mea libraria: vobiscum amice, quid ad studia theologica rite tractanda postuletur, differam: optimos libros, qui ad disciplinam hanc pertinent, enumerabo; publice & privatim ea vobiscum communicabo, de quibus edoctus ipse sum; ubi quid ignoro, cordate fatebor; claris & perspicuis nullas offundam tenebras; ad disciplinas gravissimas reverenter & pio animo tractandas, quibus possum, vos inducam argumentis; quo quis diligentior, veritatis & pietatis amantior est, eo mihi acceptus magis erit atque gratus; ejus saluti, studiis, commodis, promotionibus, quantum in me est, consulam, nullo habito generis, vel nobilioris vel obscurioris, respectu; negligentes vero, non diffitebor, & pravis studiis atque voluptatibus deditos, Veneri & luxuriæ litantes, pigrosque fucos procul a me arcebo, imo in eos asperrimus ero, neque quantum per me stabit, unquam concedam, ut tales ad pascendas oves Jesu Christi sanguine redemtas mittantur, præsertim postquam omnes pii satis superque edocti sunt, atque gemunt, malam quorundam pastorum vitam, & tur-

pissimam rerum divinarum ignorantiam, atque in munere sanctissimo obeundo supinam negligentiam, degeneris Christianismi non postremam caussam esse.

Per Deum igitur immortalem & Pastorem ovium verum Jesum Christum, futurum olim meum & vestrum, imo totius orbis Judicem, vos oro atque obtestor, ut mature cogitetis, quam grave atque sanctum sit V. D. Ministri munus, quanta ab eo postulentur, qui digne eo defungi velit, quamque sit pœna gravissima, quam subituri sunt negligentes rerum sanctissimarum tractatores; quanta contra illi insit præstantia, dignitas, merces præsertim reposita iis, qui vires a Deo concessas ad proferendum & ampliandum cœleste Jesu Christi regnum impendunt ac consumunt.

Deus, qui ipse suprema est eruditio ac sapientia, intellectum vestrum rerum divinissimarum & saluberrimarum cognitione imbuat, voluntatemque ad tanta, tamque cœlestia bona avide perpendenda & expetenda suavissime ac efficacissime trahat, ut a Deo edocti ipsimet tandem credatis & sentiatis, nihil esse officio vobis injuncto gravius, nihil pulchrius præstantiusque, denique nihil & generi humano utilius.

Ad Te tandem mentem animumque converto Optime Maxime Deus, omnis boni fons & origo. Tuam opem supplex imploro, Teque venerabundus oro, ut servo tuo adsis Tu Spiritu tuo & gratia tua. *Tu*, clementissime Deus, me inde a puero singulari ratione adjuvisti, rexisti, ac protexisti; *Tu* desiderium aliquod divinæ sapientiæ mature animo insevisti; *Tu* inter virtutis & vitiorum confinia non semel positum a malis ὡσει διὰ πυρος retraxisti; *Tu* dubiis & asperis in rebus caussam meam egisti, & solatium anxio attulisti; *Tu* luctanti cum tenui fortuna & obscuritate amicos atque fautores præstantissimos conciliasti; *Tu* denique me nil tale ominantem indignumque, non sine insigni favoris adfectu, & adorando regimine ad maximum dignitatis gradum evexisti. Adesto igitur mihi porro gratia tua, atque effice, ut cum timore ac tremore, cum reverentia, simplicitate & candore, provinciam mihi oblatam exornem. Rege me, Domine, secundum sanctissimum beneplacitum tuum;

fac

fac sentiam, me nihil, quod alicujus momenti sit, in hoc munere sine Te posse. Effice quæso, ut non tam solicitus sim, qua ratione doctus & celebris, quam vero ut pius, modestus & pacificus evadam Theologus: fac doctrinam tuam summa cum reverentia tractem, & ad conscientiam attentissime dicta factaque mea exigam.

Benedic quæso optime Deus laboribus & studiis meis; adauge quæso numerum bonorum pastorum: fac ut pietas tandem caput tollat, regnumque tuum ad ultimos terræ fines, secundum promissiones tuas, extendatur. Benedic porro *amplissimis nostris Patriæ Patribus*, *clarissimis & venerandis Scholæ Proceribus*, docentibus & discentibus, civibus denique omnibus: fac denique ut pietas cum eruditione, pax cum veritatis studio ad finem seculorum inter nos floreant.

D I X I.

ORATIO

ORATIO

IN QUA

IMAGO THEOLOGI PACIFICI

SISTITUR.

QUæ rationes A. O. O. H. me induxerint, ut feria hac, auguſtiſſimo quondam Imperatori Carolo Magno ſacra, juſſu & auctoritate venerandi Antiſtitis noſtri, vicibus diſſerendi ad me, in dicendo parum peritum, devolutis, miſſis aliis argumentis, quæ in illuſtri hoc virorum excellentiſſimorum & doctiſſimorum congreſſu proponi potuiſſent, thema, quod nimis tritum & vulgare, neque perſonis tantorum virorum dignum quibusdam videri poſſet, explanandum tamen mihi ſumſerim, ſine verborum ambagibus breviter exponam.

Et initio quidem in omnibus rebus reſpiciendum eſſe puto ad utilitatem, temporumve, quibus vivimus, ſtatum. Sive autem ad rempublicam, ſive ad eccleſiam, ſive ad ſtudioſam juventutem oculos mentis convertas, manifeſtum erit, nihil magis ad tranquillitatem reipublicæ & eccleſiæ ſervandam, & ad literarum ſtudia provehenda conferre poſſe, quam ſi in eccleſiis & ſcholis tales Doctores publici, Theologi autem inprimis & V. D. Miniſtri conſtituuntur, qui non tantum eruditione ſingulari, ſed & pacis & moderati animi ſtudio flagrent; ubi enim tales florent, & academiarum & ſcholarum habenas moderantur, abſunt nocentiſſimæ peſtes, diſſidiæ, clamores, rixæ, contentiones & fratrum iniqua prælia. Contra vero pax alma, fraterna animorum conjunctio, cultura literarum, modeſta philoſophandi & diſſerendi libertas vigent. Ita profecto

fecto ſemper judicarunt viri doctrina & ſapientia eminentiſſimi, inter quos merito referas Majores noſtros, viros excellentiſſimos, τȣ χρυσȣς γενȣς λειψανα. Exemplo eſſe poteſt *Bullingerus*, at quantus vir! Hic enim poſt mortem *P. Martyris*, Theologi in gymnaſio noſtro clariſſimi, ſolicitus de Theologo huic ſurrogando, ita nomine ampliſſimorum reipublicæ & eccleſiæ Procerum, qualem Theologum deſiderarent, ad *H. Zanchium* Argentorati tum degentem ſcripſit: *Requirimus vero* (inquit) *talem modis omnibus virum, qualis fuit Martyr noſter, hominem laborioſum, pacificum, benignum, non negligentem, contentioſum & rixoſum, qui pacem inter fratres alat, non diſcordiam ſerat. Hominem præterea requirimus ſimplicem & expoſitum, non involutum variis opinionibus & quæſtionibus interminabilibus, non intentum rebus curioſis & nihil facientibus ad ſalutem.* Et in fine hujus epiſtolæ inquit: *Inprimis autem orabis Dominum una nobiscum, ut is noſtri miſertus, nobis, eccleſiæ & ſcholæ virum det integrum, ſimplicem, pie doctum, docteque & religioſe pium, conſtantem, fortemque, pacificum item & qui ſit ſecundum cor Dei.* Ita *Bullingerus.* Utile igitur & laudabile eſt, imaginem talium Doctorum ante oculos habere, docentesque & diſcentes verbis commovere, ut aliis oſtendant, quibus præſidiis ad tantam tamque excellentem virtutem pertingere poſſint.

Accedit quod non ſemel in privatis colloquiis deprehenderim, virorum aliâs optimorum neque indoctorum animis, imperfectam valde, imo falſiſſimam de indole & natura pacifici Theologi infixam eſſe opinionem, quæ ut iis eximatur cordato cuique laborandum eſt. Exiſtimant enim, ſaltem ita loquuntur, ac ſi putarent, Theologum pacificum virum eſſe, cui perinde ſit, quid de religione publice traderetur; eum æquo animo ferre poſſe, ſi capita religionis graviſſima impugnarentur, aut negarentur; dum modo pax obtineri poſſit; aut ſilentium altum tenere, quando animos erroribus depravari audit, aut errores graves pro leviſſimis habere, atque ita ſemper dicta ſua factaque moderari, ut tranquillitas quædam externa, nullo habito veritatis tuendæ & erroris revincendi reſpectu, locum occupet ſuum, vel ut uno verbo dicam, Theologum pacificum & indifferentiſtam (liceat hoc vocabulo in ſcholis recepto uti) eodem plane videntur habere loco. Quam vero falſa ſit ſiniſtra hæc opi-

nio, quantum malorum post se trahat, quam sit ea veritatis, pietatis & eruditionis progressui noxia, nemo non qui sapit, & salutem ecclesiæ promotam esse cupit, videt. Non melius vero huic errori occurri posse crediderim, quam si publice perspicuam aliquam, vivam & sinceram Theologi pacifici imaginem, mentis oculis contemplandam, exhibeamus.

Talem denique imaginem in meos usus delineandam esse putavi, in quam tanquam in speculum inspicerem, ubi noxiorum premi soleo insolentiis. Postquam ante aliquot annos amplissimorum & venerandorum gymnasii nostri Præsidum voluntate tradendis sanctioribus disciplinis admotus eram, non solum publice & privatim operam dedi ut sanctissima religionis capita rite proponerem, argumentis probarem, exitiales errores impugnarem, omniaque quæ animis adolescentum veram & masculam pietatem ingenerare possent, adferrem; sed & in publicis, quæ habendæ sunt, dissertationibus, talia argumenta mihi explananda sumsi, quæ sua sese utilitate & gravitate commendare possent. Hæ vero non solum ab excellentissimis & doctissimis Helvetiæ nostræ viris, sed & ab exteris præter meam spem & expectationem tam benigne fuerunt exceptæ, & adhuc avide hinc inde leguntur, ut jure aliquo de successu rerum mearum mihi gratulandi causas habere existumaverim. Hæc certe benigna virorum præstantissimorum de laboribus nostris judicia vehementer me incitarunt, ut quo pede cepissem strenue pergerem: sed nescio quo fato accidit, ut quicquid ab aliquo tempore a me scriptum & editum est suspectum valde esse debeat. Sub quolibet lapide dormit scorpius, sub qualibet phrasi, si quosdam audias, latet dolus; multi ex pustulis ulcera faciunt & in media pace classicum cani animadverto. Innocentissima quæque in pejorem partem rapiuntur. Si recentioris ævi Doctores omnium pene judicio præstantissimos ad sententiam meam comprobandam vel exornandam adduco, clamant me veteres, id est, Majores nostros contemnere: si horum vero vestigiis insisto, & testimonia magnorum virorum, v. gr. Zwinglii, Bullingeri profero, dicis gratia id fieri ingeminant: verbo, omnia pene mea impune pessimo in bonas litteras ac candidam veritatem, quas nemo ingenuus deamabit, ubi amasse eas tantum periculum erit, exemplo, aspero dilacerantur dente. Utrum

talia

talia meritus sim, & utrum tam indoctus & indignus sim publicus Doctor, in quem insolentissimus & indoctissimus quisque, ob levissimas vel nullas plane causas, impune sua sputa conjicere possit, aliis dijudicandum relinquo. Ego vero hoc non obstante, quantum valeo, non desinam de ecclesia, de re literaria, & de studiosa juventute bene mereri, certissima spe nixus Deum, qui omnes conscientiæ meæ angulos perspectos habet, & solus καρδιογνωστης est, quique ab ipsa juventute usque ad hanc ætatem singulari, nec ullis laudibus satis deprædicanda cura me direxit, porro gratia sua mihi adfuturum; omnibusque citius aut tardius tandem manifestum futurum, *Zimmermannum* pro viribus incredulitatem, superstitionem, hypocrisin, impietatem & fanaticismum impugnasse; in tuenda vero casta puraque veritate, pietate & charitate vere christiana, in provehendis optimarum literarum studiis, pro ingenii modulo strenue officio suo defunctum esse. Ne vero in hac της ευφημιας και της δυσφημιας vicissitudine, in hac cordatorum innocentiæ vindicum paucitate, adfectuum impetu abreptus, a vero rectoque, a charitate & æquitate unquam discedam, quid cordato & pacifico Theologo in omni vitæ casu præstandum vel negligendum sit, serio meditatus sum, eumque in finem in chartas conjeci, vobiscum publice mea cogitata communicaturus. Rem ipsam, quantum in me est, tam perspicuis verbis proponam, & characteres pacificorum Theologorum juxta veritatis leges ita describam, ut non sine ratione credam, omnes quotquot sine adfectibus imaginem pacifici nostri Theologi contemplaturi sunt, amore talis viri incensum iri, omnibusque votis & desideriis expetituros, ut non solum florentissima nostra patria, sed universa qua patet ecclesia Christi, copia Theologorum pacificorum abundaret. Vos modo A. O. O. P. animis linguisque favete, & ut imaginem illam rite intueri possitis, per horulam quæso, & si forte quid excesserit, vobis persuadete, non *Zimmermannum*, sed alium quemdam, vobis ignotum plane hominem verba facere.

I.

Exhibiturus autem imaginem Theologi pacifici, non necesse esse puto, ut auditoribus meis explicem, quid vox Theologus, & pacificus significet, & unde utraque vox sit composita; insulsum enim mihi videtur, ea pluribus explicare velle, quæ omnes plane pulchre

sciunt. Hoc tantum a me requiritur, ut nimirum characteres illos, & virtutes, quibus Theologus pacificus ornatus esse debet, rite & secundum partes exponam & repræsentem; quibus solerter detectis, & in apricum productis, vera pacifici Theologi imago animis vestris obversabitur. Ut autem hoc rite fiat, dispiciendum ante omnia, quibus præsidiis ornatus Theologus ad eam virtutem enitatur; non enim in puncto temporis, sed per gradus, multisque meditationibus & exercitationibus adjutus, divinæque lucis radiis collustratus, ad tantam tamque præcellentem virtutem pervenit.

II.

Primo igitur dico, eum, qui pacificus evadere vult Theologus, omnibus illis literis instructum esse debere, quæ animum perpolire & aciem ingenii intendere possunt. Huc referendæ sunt disciplinæ philosophicæ in genere; inprimis vero ars cogitandi non perfunctorie est intelligenda; cognoscenda sunt veritatis inquirendæ impedimenta, qualia sunt, præjudicatæ opiniones, antiquitatis vel novitatis nimia veneratio, studium partium, & imprimis vehementiores animi affectus: ponderandi sunt probabilitatis gradus; sciendum quantum ad demonstrationem moralem & ad mathematicam requiratur; dispiciendum utrum error vim suam in mores hominum exercere possit vel non; cognoscendum quid æquitas in disputationibus cum aliis postulet; sciendum quam facile homines in erroneas opiniones incidant, & quam pertinaciter iis, quas cum lacte materno quasi hauserunt, adhærere soleant. Naturam inprimis & jus conscientiæ, variosque illius status probe perspectos habere debet, atque cognoscere, in quo verus pro tuenda veritate zelus consistat, & quos limites habeat, &, ut uno verbo dicam, mens ejusmodi hominis ad veræ sapientiæ regulas ante attemperata esse debet. His ubi caret futurus Theologus & V. D. Minister, miscebit quadrata rotundis, magna & gravia minutis; errores leves extollet in majus; pro levibus vero pugnabit tanquam pro aris & focis; amore sectæ in præceps ruet, & logomachias excitabit nonnisi rixas & contentiones parituras; sibi omnia ignoscet, aliis nil remittet, adversus leviter errantes quosvis concitabit; errores deprehendet, ubi alii vel armatis oculis nil tale se videre posse contestantur. Sententiam & hypothesin, quæ nonnisi umbram veritatis habet vel probabilita-

tis

tis duntaxat aliquam speciem, pro demonstratione venditabit, & arctorum cognitionis humanæ limitum vel ignarus, vel immemor, de quibuslibet, ad quæ tamen pertingere mens humana non potest, tam confidenter tamen garriet, ac si certissima planissimaque illa essent: ut de aliis malis, in quæ homines præsidiis illis, de quibus jamjam verba fecimus, destituti incidere solent, plura non dicamus.

III.

Prudens Sacrarum Literarum cultor, qui evadere vult pacificus Theologus, perspectum ante omnia habet, non tantum ignorantiam & præjudicatas opiniones, sed pravos adfectus potissimum, nimirum superbiam, φιλαυτιαν, sectæ studia, inclarescendi cupiditatem, aliis placendi vel nocendi desiderium, & ita deinceps, a cognitione solida veritatis homines abducere. Eum igitur in finem, antequam ad alios vel veritate imbuendos vel ab erroribus revocandos progreditur, in se ante omnia descendit, omnesque animi sui recessus & angulos examinat: fieri enim non potest, ut animus affectuum æstu abreptus, vel pravis opinionibus captus, religionis gravissima capita rite examinare, nedum sincere de aliorum sententiis judicare possit: ad veram Theologiam, utor verbis *Erasmi*, perveniendi, aliorumque opiniones rite trutinandi primum præceptum est, *ut ad hanc Philosophiam plane cœlestem animum adferamus ea dignum, non tantum purum ab omnibus quoad fieri potest vitiorum inquinamentis; verum etiam ab omni cupiditatum tumultu tranquillum ac quietum. Hoc sacrum limen adituris absit omnis fastus, procul absit illa veri nocentissima pestis, gloriæ fames.*

Excellentissimus *Pfaffius*, Academiæ Tübingensis Cancellarius, idemque Theologus doctissimus & pacis amantissimus, alicubi narrat, *Antonium*, Academiæ quondam Halensis Theologum præstantissimum, quando animum ad habendum collegium polemicum adjecisset, ante omnia cum auditoribus suis materiam de impedimentis inquirendæ veritatis, & de imperio pravorum affectuum subjugando in medium proposuisse, auditoresque suos serio monuisse, ut de suis vitiis & erroribus prius eradicandis sint soliciti, quam alios emendare in animos inducant. Et profecto sapienter ita egit Theologus ille. Notum enim est, multas controversias inter Theologos

& Philosophos exortas esse, non tam veritatis tuendæ, gloriæ divinæ promovendæ, & gravium errorum revincendorum studio, quam vero superbia, omnia sciendi & definiendi desiderio, & eruditionis ostentandæ cupiditate. De multis certe Theologis idem dici posset, quod *Cicero* de Græcis statuit, nimirum eos contentionis cupidiores esse quam veritatis. Hæc vitia tot lites & contentiones, etiam inter fratres, uni eidemque religioni addictos, pepererunt. Hæc ubi regnant, nubila mens est vinctaque frenis, neque unquam tali morbo laborans, pacificus, sed contra contentiosus evadet Theologus, qui per omnem vitam contendendi cum quovis quæret occasionem, nec alio fine aliorum scripta leget, quam ut ea carpere possit.

IV.

Theologus pacificus semper recordatur sese hominem esse, adeoque errori etiam ut cæteros mortales obnoxium, † *ac proinde neminem eorum, cujuscunque sit gradus, doctrinæ, famæ, dignitatis, imo & nullum eorum cœtum, quantumvis venerabilem, infallibilitatis privilegio ornatum esse. Ac revera primarius hic est Reformationis nostræ articulus; quo stante stat, quo cadente cadit tota Protestantium Ecclesia. Neque vero fictitiam illam non errandi prærogativam, vel Tiberino Pontifici, vel Conciliis, vel Ecclesiæ Patribus, abstuliisse multum juvaret, si eam postmodum aliis Theologis, vel Theologorum conventibus, velut postlimino adscriptam vellemus. At, inquies, quis hoc sibi sumit? Nemo disertis verbis, fateor: Verùm si hoc semper Theologis, se errare posse, infixum maneret, quis non videt eos longe mitius in plerisque sese gesturos? quis non videt eos propriis placitis tanta pertinacia non adhæsuros? quis non videt, expendi sua dogmata, eos non adeo ægre laturos; sed, quæcunque proponi possent, placide semper audituros, imo & si quid melius occurreret, id ambabus ulnis amplexuros? quo quidem facto, tum ad veritatem magis magisque illustrandam, tum ad sarciendam, colendamque pacem, expeditissima via existeret.*

V.

Sapiens religionis cultor, qui pacificus evadere vult Theologus, lectis veterum & recentiorum, eorumque doctissimorum Theologorum scriptis, & deprehensa cum imbecillitate ingenii humani, tum vero

† Sunt verba celeberr. *Turretini.*

vero multarum quæstionum vel levitate vel difficultate, *ignorantiæ doctæ* memor est, atque adeo sibi diffidens, non omnia definire, explicare, aut errantibus in re non magni momenti insultare, in animum inducit suum. Videt insuper multas quæstiones, de quibus passim inter se litigare solent docti, salva salute & viri eruditi fama, ignorari tuto posse. Hinc pacificus Theologus in eo est, ut immensam illam quæstionum, curiosarum sæpe magis quam utilium, farraginem minuat potius quam augeat, lubensque sæpe, accurato licet instituto rerum examine, suam fateatur ignorantiam. Quo magis autem in lectione veterum & recentiorum versatus est, quo acutius de rebus omnibus meditatur, quo magis ætate & eruditione crescit, eo magis ad divinam hanc plane & præcellentissimam virtutem, nimirum ad pacis sacræ studium propendet. Qui vero hoc neglecto putat, se omnem, qua patet, quæstionum historicarum, criticarum, chronologicarum, exegeticarum &c. campum emensurum, omnesque difficultates & salebrosas quæstiones ita soluturum, ut nihil obscuri vel dubii remaneat in disciplinis sanctioribus, risui sapientum sese merito exponet, & cum iis, qui suo sese pede metiuntur, neque ulterius se progredi posse existimant, serram disputationis reciprocare gestiet, licet illi aliis, qui majore se eruditionis apparatu instructos esse putant, lubens palmam scientiæ, si Diis placet, perfectissimæ, concedant. Morbum hunc quorundam Theologorum graviter notavit cl. *Conradi*, Professor Theologiæ in Academia Franequerana præstantissimus, in erudita & bonæ frugis plenissima oratione de necessariis Theologi polemici virtutibus. Inter alia sic loquitur: *Theologi superbia & ambitione inflati ac turgidi magnifice admodum de se suisque placitis sentire solent. Veritatem omnem dudum a se possideri, nec ullas novas veritates sibi haud perspectas in apricum produci, nec melius se informari posse, non sine insigni fastu sibi persuadent; ac, licet non errandi prærogativam disertis verbis sibi haud arrogent, re ipsa tamen se falli difficulter credunt. Hinc fit ut de omnibus, utut obscuris atque inperviis, audacter pronuntient, nihilque adeo vereantur, quam ne dubitare aliqua de re videantur, ac meliora docenti morem gerere dedecus sibi esse putent. Hinc fit, ut omnes in suam sententiam rupere, conscientiis hominum leges proponere, suasque opiniones tanquam credendorum regulam aliis obtrudere conentur. Hinc fit, ut dissentientes tolerare nequeant, atque*

que, ubi sunt, qui in adversum eunt, libertatemque suam pro viribus tuentes, id quod sibi verum videtur, licet vulgo invisum, in publicum egregie effundunt, ad certamina mox provolent, nullum habitura finem, quibus innocentissimæ sæpe sæpe veritati erroris larva induitur, aut, ubi subinde ex humana imbecillitate erratum fuerit, omnia in pessimam partem rapiuntur, ut ex musca, quod dicunt, fiat elephas, ex quovis errore fingatur hæresis, atque ii saltem, quibuscum contendunt, orthodoxiæ gloria priventur. Ita Theologus ille Belga.

VI.

Qui pacificus evadere vult Theologus, omnem impendit curam, omnemque ingenii intendit aciem, ut id quod in religione præ cæteris grave, excellens, momentosum & pulchrum est, cognoscat; hoc si semel rite perspectum habet, sentiet religionem ab O. Numine nobis non ad disputandum & rixandum, sed potius ad vitæ usum datam; quod ipsum efficiet, ut ipsemet ante omnia de gravissimis & momentosissimis veritatibus sit convictus & persuasus, deinde ut easdem auditoribus suis graviter inculcet, impedimentaque quæ veritatis & pietatis studio officere possunt, quantum in se est, tollat, discipulisque suis vivam aliquam & plane cœlestem, non vero trivialem & scholasticis quæstiunculis fœtam religionis christianæ imaginem exhibeat, & præjudicia pietatis studio nociva, & altissime adolescentum animis infixa, evellat. Quod si Theologus noster pacificus insuper ad degenerem eheu! quo vivimus Christianismum, ad juventutis scholasticæ & studiosorum corruptionem, ad multitudinem eorum, qui segniter officiis ecclesiasticis defunguntur, ad grassantem ubique carnalem securitatem, ad tantum numerum hominum religioni apertum bellum indicentium, animum serio convertit; si monstra hæc debellare, veram pietatem & religionem tueri & vindicare, animosque a pravis erroribus & vitiis avocare serio in animum induxit, videt quantis & quam multis & gravibus laboribus sibi sit vacandum: eum igitur in finem a difficilibus nugis refutandis sibi temperabit, neque in minutis erroribus, qui neminem spe salutis cœloque excludunt, revincendis tempus collocabit. Qui vero salutari hac religionis cognitione & fine destitutus est Theologus, in cognoscendis & refellendis omnibus minutis opinionibus erit occupatus, errores etiam leves, magis eccle-

siæ

siæ & reipublicæ noxios esse clamabit, quam vero vitia; propterea-que se tradendæ sanctiori disciplinæ admotum credet, ut in quæstionibus non gravibus tantum, sed & levissimis enodandis tempus terat; ethicæ christianæ capita vel rarissime vel aliud agendo inculcabit, summamque voluptatem contra capiet, si omni data occasione de minoris momenti rebus cum dissentientibus disputationum serram reciprocare possit. Quam grave vero sit hoc malum, & quam sit hæc agendi ratio genio religionis adversa, pietatisque castæ progressui noxia, malo iterum verbis cl. *Conradi*, Theologi reformati Belgæ, qui quorumdam judicio omnium optime sciunt in quo puritas reformatæ fidei consistat, quam meis uti: *Cavendum* (inquit) *sedulo est, ne quæstiones mere problematicas, aut quasvis nostrarum partium opiniones ac placita maxime communia, mox inter veritates ad salutem creditu prorsus necessarias referamus; ne, accuratissimum in his omnibus consensum intemperanti nimis rigore exigentes, errores ac hæreses exitiales innocentibus adfricemus, eoque prætextu cœlo & ecclesia excludamus, quos ipse Deus tanquam filios suos complectitur, quosque ipse Christus pro genuinis corporis sui mystici membris agnoscit; imo cœlo & communione Dei excludamus, qui beatorum numero dudum adscripti, forte de hodiernis controversiis, deque articulis, quorum fides tanta nunc sæpe severitate requiritur, parum vel nihil intellexerunt. Cogitandum serio, quanta sit temeritas, si nos homunculi tanquam creditu necessaria obtrudamus aliis, quæ ut talia neque ipse Christus Dominus, neque ejus spiritu ducti Apostoli a discipulis suis & ecclesiæ membris postularunt, minimosque errores circa ea, quæ liberæ opinationi ipse Deus reliquit, fundamentales pronuntiemus. Recte & ad rem cel. J. A. Turretinus in orat. de Theologo veritatis & pacis studioso: Enimvero quinam nos sumus, qui in ecclesia leges feramus, quas ipse Christus non posuit? Quinam nos sumus, qui eas quæstiones ad fidei summam pertinere pronuntiemus, quas verbum Dei non pronuntiat? Quinam nos sumus, qui ab iis rebus salutem æternam suspendamus, a quibus eam Christus non suspendit? Quinam nos sumus, qui a Christi communione arceamus, quos ab ea Christus non arcet? Nonne unus est Doctor, nempe Christus? cujus proinde definitionibus ac legibus ita standum est, ut, qui ab eo non determinata, determinare audeat, legesque de iis sancire, ac propterea alios damnare, is usurpati Christi dominii, & exercitæ in fratres tyrannidis, notam effugere non possit.*

Quo quidem spectant eximia illa Apostoli nostri effata: Tu quis es, qui alienum famulum condemnas? Is proprio Domino aut stat, aut cadit. Ita rursus reformatus ille Theologus.

VII.

Sapiens & pacificus Theologiæ cultor, revelationis & pietatis amore incensus, præsidiisque, quæ ad S. Litterarum interpretationem requiruntur, adjutus, ad legendas eas reverenter & ἀθεῤ παθῶν accedit, consultis antiquis pariter & recentioribus interpretibus, iis præsertim qui linguarum sunt periti; ad hanc revelationis normam publice receptos religionis articulos exigens, deprehendet omnia ad salutem necessaria in S. Literis contineri, articulosque ab antiquissimis Christianis dudum receptos & a Protestantibus admissos ibidem tradi; quædam vero ob antiquitatem, temporum & variarum circumstantiarum diversitatem, tuto ignorari, alia clarissimis verbis vel per consequentiam planam & perspicuam exprimi, alia vero probabiliter erui posse. De his pro cognitionis modulo judicat, aliisque, qui non vident, quod ipsemet se cernere existimat, non irascitur, nedum iis insultat; firmiter persuasus, dissentientem in quibusdam æque veritatis amore tactum esse, ac semetipsum; atque ita animus ejus ad modestiam, pacisque erga alios studium incenditur. In hisce vero regulam *Augustini* sequitur, qui ad *Hieronymum* epistola 19. ita loquitur: *Ego solis iis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam: alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Hic vero frequentissime peccari a multis quotidie sentias. Nimirum plerique, anticipatis opinionibus imbuti, ad lectionem Sacrarum Literarum accedunt, atque ubique deprehendunt opiniones, quas dudum amplexi sunt, unum aliquem interpretem deosculantur, cæteros alto supercilio contemnunt; si quis hic vel illic alium, quam ipsi vellent, sensum se reperire putat, clamores excitant, quasi majore instructi essent ad verum inquirendum jure, quam alii. Quod si accedat δοκησισοφια quædam, non poterunt non inter fratres, uni etiam & eidem religioni addictos, contentiones graves oriri.

VIII.

VIII.

Pius ac pacificus religionis cultor, accuratæ & piæ S. Literarum lectioni intentus, omnibus subscribit, quæ vel perspicuis verbis, vel per legitimam consequentiam ex S. Literis erui possunt, sive illa sint historici, sive moralis, sive dogmatici argumenti. Cum enim non solum de divina origine religionis christianæ sit persuasus, sed & firmiter credat, hanc ipsam religionem iis libris contineri, qui S. Scripturæ nomine veniunt, non potest non omnibus tanquam divinis subscribere, quæ inibi contineri manifeste deprehendit: unde patet, vel ignorantia vel alios traducendi lubidine, quosdam asserere, pacificos Theologos pro lubitu articulos religionis admittere vel rejicere, aut perinde ipsis esse, quascunque vel ipsimet, vel alii de religione foveant sententias, adeoque veri amore exiguo tactos esse; quasi vero inter turpem indifferentismum & inter ineptum quoddam & morosum studium omnes minutas scholarum opiniones defendendi, & ob leviſſimum dissensum quoslibet etiam doctissimos & religionis amantissimos allatrandi, nullum daretur plane medium. Nimirum his artibus utuntur quidam, quando aliis fucum facere, eosque contra cordatos & pacificos Theologos concitare volunt. Interim his non moveri debet pacificus Theologus; præstat enim exemplum mitissimi Servatoris, qui pacificos beatos esse prædicavit, nihilque magis quam fraternum amorem suis discipulis injunxit, sequi, quam rixatorum clamoribus adduci, ad ea facienda, quæ æquitati, genio religionis christianæ & officio doctoris pii & pacifici contraria sunt; inprimis si perpendat, quot mala cum infaustis illis litibus sint conjuncta. Idem pacificus Theologus non ofor est publicarum ecclesiæ suæ confessionum, in quibus præcipui religionis articuli omnibus repræsentantur; illæ enim non obstant, quo minus ecclesia in tradendi modo, in ritibus, & in minutis & problematicis opinionibus vel admittendis vel non admittendis, sibi aliquam semper servet libertatem. Totidem fere verbis hoc contestantur *venerandi confessionis helveticæ auctores*, quando in præfatione illi præmissa inter alia sic loquuntur: *Tametsi vero* (inquiunt) *in diversis ecclesiis quædam deprehenditur varietas in locutionibus & modis expositionis doctrinæ, in ritibus item & ceremoniis, eaque recepta pro ecclesiarum quarumlibet ratione, opportunitate & ædificatione, nunquam tamen ea materiam dissensionibus & schismatibus visa est suppeditare. Semper*

enim hac in parte Christi ecclesiæ usæ sunt libertate. Abunde piæ vetustati satis erat mutuus ille in præcipuis fidei dogmatibus, inque consensu orthodoxo, & charitate fraterna consensus. Ita pia illa Majorum nostrorum declaratio sonat, cujus utinam semper memores essemus!

IX.

Pacificus Theologus, accurato religionis examine instituto, mox videbit, articulos in religione christiana contentos alios esse majoris, alios minoris momenti, quosdam errores primaria capita religionis hujus convellere, alios plane non attingere fundamenta fidei; sed cum vera pietate & fide in Jesum Christum, quæ unica salutis nostræ anchora est, facile consistere posse. Hæc omnium Theologorum reformatorum sententia est, communi consensu recepta. Ut igitur hoc discrimen nunquam ex oculis dimittat, omnem impendit curam pacificus Theologus. Eum in finem non solum omnem ingenii vim & aciem intendit, ut gravissima religionis capita ipse perspecta habeat; sed & ut eadem altissime animis suorum auditorum infigat, nulli operæ vel labori parcit. Hoc fine dissentientium & graviter errantium opiniones sincere & candide repræsentat, & eos firmissimis argumentis impugnat. Leviores quidem errores non probat Theologus pacificus, interim imbecillitatis humanæ & fraternitatis christianæ memor, fratri in minoris momenti rebus sua opinione erranti non insultat, aut propterea clamores & rixas excitat; quod enim sibi jure fieri deposcit, idem etiam erga alios præstandum esse firmiter est persuasus. Contentiosus vero Theologus distinctionem illam, utpote evidentissimam, non negat quidem, interim cum ad rem deventum est, errores, qui celeberrimis, orthodoxissimis, & religionis gnarissimis, leviores videntur, ita exaggerat, ut jurares, eum discrimen hoc non admittere. Non minus enim clamat & paratragœdiatur, ubi de minoris momenti articulis agitur, quam ubi de vindicandis maximi momenti capitibus & refellendis gravissimis erroribus quæstio est. Atque hoc effecit, & adhuc in causa est, ut nonsolum cordatissimis & religiosissimis viris graves illatæ sint injuriæ, vitaque illis acerba reddita sit; sed & nimius ille, & ineptus rigor, multos cætera acutos & non malos viros eo deduxit, ut audito duntaxat controversiarum, earum etiam,

quarum

quarum momenta cognoscere deberent, nomine exhorrescant, & eas inter inanes Theologorum rixas referant.

X.

Pacificus Theologus, omni rixandi lubidine destitutus licet, in pace de bello cogitat, haud nescius fieri vix posse, ut qui pacem amet, a turbulentis ingeniis in pulvere scholastico educatis, non lacessatur. Ad certamina vero cum dissentientibus incunda nonnisi invitus, & suprema urgente necessitate coactus accedit; novit enim, quanta ut plurimum cum iis sint conjuncta mala. Quemadmodum enim in justissimo etiam bello impediri tamen non potest, quo minus multa æquitati, justitiæ, imo humanitati contraria a ducibus & militibus committantur, ita pariter idem dicendum de certaminibus theologicis. Ambitio enim, ira, vincendi cupiditas, suspiciones, inclarescendi & eruditionem ostentandi studium, sæpe etiam viros optimos impediunt, quo minus tuendæ veritati & revincendo errori unice sint intenti. Qui vero genuina hac religionis idea destituuntur, & cerebrum innumeris quæstionibus scholasticis repletum habent, incredibili studio cum quibusvis, & de quibusvis rebus, certandi ardent, & tum demum se officio Doctoris publici rite se defunctos putant, si bellicosi audiant Theologi. Hoc unum vero obtinent, ut inter Doctores umbraticos referantur, a sapientibus explodantur, scriptaque illa eristica tineis & blattis, & si quid vilius istis, tradantur. Interim non cogitant scholastici illi athletæ, quam sæpe graviter contra amorem proximi, qui tamen ad essentiam christianæ pietatis pertinet, peccaverint, quam multos pietate & eruditione eminentes offenderint, & inepto suo zelo religionem in contemtum adduxerint.

XI.

Theologus pacificus, ubi necessario ad certamen deveniendum est, ante omnia sedulam navat operam, ut accuratam quæstionis, de qua agitur, habeat notitiam; ut errorem sincere & cordate repræsentet, argumentis, argumentis inquam non convitiis impugnet, nihilque adversario imputet, quod ab opinione ipsius est alienum. Quemadmodum enim in genere officium Theologi est, ut accuratam, (neque enim hic de minutis quæstiunculis controversis, quarum millenæ sunt, agitur) gravissimarum controversiarum habeat

notitiam; ita prudentiæ leges inprimis depoſcunt, ut ejus potiſſimum quæſtionis, de qua lis intercedit, plenam habeat cognitionem; hac enim ſi careret, in logomachias incideret, & minus ad rem facientia ſine neceſſitate urgeret. Contentioſus contra Theologus in ſinu gaudet, ſi æquivocationibus uti, & ſtatum controverſiarum ancipitem reddere poteſt; ita enim elabendi rima ſemper patet; errores in majus extollet, ex muſca elephantem faciet, argumenta inepta & plumbea contra hoſtem ſatis ponderoſa ſibi vidébuntur; ad adverſarium ſuum exoſum reddendum omnia argumenta ab invidia petita, quæ viris eruditis ſatis perſpecta ſunt, ſtudioſe conquiret, tantiſque omnia involvet tenebris, ut vix tandem, de qua re agatur, cognoſcere poſſis; nimirum inſtar *Caci Virgiliani:*

Faucibus ingentem fumum, (mirabile dictu)
evomit, involvitque domum caligine cæca,
proſpectum eripiens oculis; glomeratque ſub antro
fumiferam noctem commiſtis igne tenebris.

XII.

Pacificus Theologus controverſias examinaturus, vel errores debellaturus, ad hoc potiſſimum animum advertit, ut nimirum videat, utrum error aliquis momentoſis veritatibus & pietatis ſtudio officiat, nec ne. Ubi videt errorem mere eſſe theoreticum, nulli veritati ponderoſæ contrarium, nec eum impedire, quo minus errans omnibus pietatis officiis defungi rite poſſit, a refutatione illius aut abſtinet, aut ſi quid de eo, pro officio ſuo, monendum eſt, breviter, & vel aliud agendo, mollibus utens verbis, redarguit; ubi vero per errorem pietatem manifeſtiſſime lædi ſentit, hîc vero Theologus pacificus zelum ſuum pro gloria divina oſtendit, eum rationibus graviſſimis impugnat, & quantum in ſe eſt, radicitus ex animis errantium evellere nititur. Contra æquiſſimam illam regulam paſſim a Theologis peccari triſtis eheu docet experientia! Sunt qui leviſſimas opiniunculas, nullum pietati veræ detrimentum allaturas, ſtrenue tamen impugnandas eſſe putant; hi ad turbas excitandas nati eſſe videntur, & vel in ſomno de diſſentientibus debellandis cogitant. Hinc ſæpe in academiis rixarum omnia plena

ſunt,

sunt, & de bellis fratrum in omnibus circulis sermo est. Quamprimum novus aliquis Professor munus suum incipit, & in re non magni momenti a collegis suis dissentit, non desunt qui strenue illam opinionem impugnent, collegam lacerent, & sæpe in concionibus publicis, ubi omnia nonnisi pietatem & pacem spirare deberent, tragicos clamores excitant. Iidem tamen simul, ubi vitia grassantia solide impugnanda essent, tepidi valde sunt, imo sæpe errores practicos, longa annorum serie molitos, ne digito quidem tangunt. Qua agendi ratione nonsolum fraternus amor minuitur, vel tollitur plane; sed & animi auditorum, conspiratis factionum partibus, distrahuntur, & sæpe per omnem vitam pro leviſſima opinione defendenda acerrime decertant.

XIII.

Pacificus Theologus errorum gravium postulatus, atque adeo ad legitimam defensionem instituendam adactus, non tam id agit, ut adversarium suum exosum reddat, aut ut omnes ejus ratiunculas, phrases & verba vellicet; sed ut argumentum ipsum, de quo disceptatio orta est, in plena luce collocet, accusationem gravissimis argumentis diluat, & hosti erroris causam commonstret. Hoc facto haud facile ad iteratam apologiam progreditur, inprimis ubi videt adversarium nonnisi conquisitis undique consequentiarum ambagibus id agere, ut dissentientis nomini, famæ & existimationi detrahat: nonsolum enim respondendo tempus pretiosissimum & gravioribus negotiis consecratum male collocatur, animus magis ac magis exacerbatur, vera mentis tranquillitas turbatur, officia sanctissima mutui amoris negliguntur; sed & ut plurimum nihil proficitur. Bachæ bachanti si velis adversari, ex insana reddes insaniorem: solent enim ejusmodi homines irarum fluctibus æstuantes, quicquid in buccam venit tandem effutire, & in protractione litis spem certam victoriæ ponere. Et quot quæso volumina eristica a viris cætera doctissimis, *Erasmo*, *Arnoldo*, *Grotio*, *Salmasio*, *Calixto*, aliisque pluribus edita sunt, quæ omitti potuissent, tempusque longe utilioribus laboribus consecrari. Rectius iteratæ illæ vitilitigationes contemnuntur, quam refutantur. Illustris *Tillotsonius*, Theologus sapientissimus & pacis sacræ amantissimus, non quidem nobili, sed honesta tamen familia natus, cum ad summam

dignitatem,

dignitatem, nimirum ad *Archiepiscopatum Cantuariensem*, ob insignia in religionem & rempublicam merita evectus esset, a variis Theologastris variorum errorum postulatus est, quod receptam Theologiam tradendi methodum & artem concionandi a scoriis & abusibus purgare & liberare tentasset, apologiam edidit luculentissimam, in qua solide, egregie, & intrepide, innocentiam suam vindicavit, quod scriptum eruditissimis & a partium studio alienis ita placuit, ut posthac magnifice de religione ipsius, & peritia theologica sentirent. Clamosis vero posthac Doctorculis nil reposuit; sed fasciculum libellorum calumniis contra eum sparsis plenum, cui hæc verba inscripsit: *Pater ignosce illis, nesciunt enim quid faciant*: proxime ante mortem flammis tradi curavit. (*)

XIV.

Theologus pacificus fratres in quibusdam a se dissentientes, penes principes patriæ viros atro carbone notare, & eorum virtutibus detrahere non solet, multo minus errores eorum in majus extollit; sed potius de iis, quantum æquitas suadet, benigne judicat, & si quæ malo animo in sinum tantorum virorum delata sunt, ea iis eximere, virtutesque eorum contra commendare solet. Hoc nonsolum deposcunt leges humanitatis & disciplinæ christianæ genius, sed inprimis vinculum fraternitatis, quod inter Ministros Evangelii Jesu Christi intercedit, id postulat: novit enim Theologus pacificus, nil magis ad sinceram amicitiam confirmandam, remque sacram promovendam facere, quam virorum doctrina & pietate eminentium consensum: nihil vero magis tranquillitati publicæ & communis rei sacræ saluti obesse, quam mutuas lites, suspiciones, & contentiones eorum, qui eadem sacra sequuntur. Idem pacificus Theologus, ortis certaminibus theologicis & philosophicis, causam non ad principes rerum publicarum & ad imperantes defert, si alia ratione sibi consulere potest: præterquam enim, quod principes gravioribus curis districti sint, quam ut subtilioribus quæstionibus theologicis & philosophicis discutiendis vacare possint; sæpe ita agendo evenire solet, & accidisse experientia testatur,

(*) Vide vitam magni viri a Burneto conscriptam, & primo tomo voluminum sacrorum præmissam.

ſtatur, ut non minus errori quam veritati patrocinium ſit datum, & pro mutatione & opinione imperantium immutabilis veritas in diſcrimen fuerit adducta. Quid illuſtri Philoſopho Chr. Wolfio obtigerit ante aliquot annos, in vulgus notum eſt.

Ita legi in biographia *Reinbekii*, Theologi præſtantiſſimi τε νυν ἐν Ἁγιοις, eum cum meletemata cl. *Wolfii* diligenter legeret, nihilque, quod tam acri cenſura dignum eſſet, reperiret, imo pleraque aſſenſu ſuo digna judicaſſet, eoque nomine a clamoſis quibuſdam doctorculis impeteretur, & graviter accuſaretur, ſæpe propterea querelas in ſinum amicorum ſuorum depoſuiſſe, atque quod innocenti vitam redderent acerbam doluiſſe. Cum vero amici conſilium dediſſent, ut ad regis aures deferrentur acerbæ calumniæ, eum enim homines illos ita compeſciturum eſſe, ut poſthac altiſſimum ſint ſervaturi ſilentium, ita reſpondiſſe fertur: huic veſtro amici conſilio non aſſurgo; non enim veritas auctoritate, minis & pœnis, ſed potius amicabili virorum doctorum examine eſt diſcutienda, & facile ita fieri poſſet, ut, quæ eſt ingeniorum humanorum varietas & mutabilitas, iiſdem artibus errores pariter & veritates æqualem eſſent expertura ſortem.

XV.

Pacificus Theologus variorum errorum, ſed falſo poſtulatus, calumniiſque proſciſſus, ignoſcit tamen demonſtrata & detecta ſua innocentia accuſatoribus, & ad omnia officia hoſtibus, quantum in ſe eſt, præſtanda paratum ſe exhibet, imo etiam Deum orat, ut ſi malitia ipſum offenderunt, ipſis peccata remittat. Ipſemet vero, quantum accuſationis natura permittit, ſibi perſuadet, calumnias contra ipſum ſparſas, ignorantiæ potius, præcipitantiæ & fervori, quam vero deliberatæ malitiæ deberi Ubi vero videt homines, quibuſcum lis interceſſit, inani ſuperbia tumere, vera ſapientia deſtitui, ſcientiarum verum guſtum non habere, incredibili ſtudio neſcio quam inſolitam orthodoxiæ famam adfectare, omnes novas opiniunculas, leves licet & nullius momenti, tanquam errores impugnare, & extollere, eos permittit ſuo genio, ſociiſque ejuſdem metalli.

Idem Theologus pacificus, quando videt inter fratres clandestinas lites & studia partium gliscere, non solum omnem operam navat, ne in incendium erumpat latens discordiarum ignis, sed & ut animos diffidentia & clandestinis discordiis distractos componat, litium fontes detegat, & ad sinceram animorum conjunctionem reducat. Quod si vero in nervum erupit latens malum, quantum in se est, efficit, ne illud latius serpat, probe sciens, quantum & quam noxium sit odium theologicum, & quantum detrimenti ecclesiæ adferant fratrum infausta certamina, qui dum exemplaria viva esse deberent pietatis, concordiæ & amoris, sese mutuo sæpe lacerant, & ne quidem hominum, nedum Christianorum officiis ita defunguntur. Altissime Theologus pacificus cordi infixum habet illud Soteris: *In eo, in eo* (audite quæso quotquot hic adestis fratres) *cognoscent omnes, vos meos esse discipulos, si mutuo vos amore prosequimini.*

XVI.

Cum fieri non possit ut Theologus pacificus, in hoc feraci disputationum seculo, absque oforibus vivat, mature constituit non quibuslibet de se sparsis calumniis aures præbere; sed animum contra eas obfirmat, & in sincero conscientiæ testimonio firmissimum præsidium quærit, præsertim ubi videt, viros solida eruditione & pietate eminentes, concives & exteros de innocentia sua esse persuasos, idque publicis scriptis contestari. Hoc nisi faceret, vitam hanc per se miseram sibi redderet acerbissimam, & amitteret illam suavissimam ἀταραξιαν, quæ inter bona hujus vitæ non postremum occupat locum.

XVII.

Theologus insuper pacificus operam potius navat, ut indies magis in veritatis & pietatis studio crescat, aliosque ad eandem calcandam viam inducat potius, quam ut in omnibus minutis quæstionibus cognoscendis & revincendis tempus consumat. Novit „ illud Apostoli: „ Si & hominum loquar & angelorum linguis, „ neque caritate sim præditus, sum æs resonans aut cymbalum tin- „ niens. Et si tantum divinationis habeam, ut omnia arcana scien- „ tiamque omnem teneam, si adeo omni fide sim præditus, ut vel

„ montes

„ montes transmoveam, & tamen caritate non sim præditus, ni-
„ hil sum. Et si omnes meas facultates in liberalitatem erogem, &
„ si vel meum corpus comburendum tradam, & tamen caritate non
„ sim præditus, nihil proficio. „ Et profecto si quis Theologus nonsolum præteritas & præsentes, sed & futuras controversas quæstiones in numerato haberet, Dei vero & proximi amore destitueretur, non obstante omni sua cognitione theologiæ polemicæ, ne quidem guttulam veræ & salutaris lætitiæ in mortis articulo constitutus exinde perciperet. Quod si Theologus pacificus, virtutibus hisce, quas exposuimus, ornatus est, & ad æquissimas illas & vere christianas regulas vitam suam componit, neque tamen impedire potest, quo minus injuriis variis & calumniis obnoxius sit, fatale exitium corde durato fert, donec fortunam criminis sui pudeat, ipseque ex his litium & contentionum sedibus eductus, ad cœlestem illam, ubi alma pax & ardentissimus amor regnat, academiam transferatur.

Ut denique Theologus pacificus in hoc suo studio magis magisque confirmetur, utque ad ea semper quæ in theologia præcipua sunt attendat, & auditoribus suis nonnisi scitu necessaria & utilissima proponat, sæpe sibi in memoriam revocare debet statum hominis pii, Theologi inprimis, mox ad plures abituri, curasque quibus tunc temporis ejusmodi homo vacat. Profecto tum temporis ad pauciſſima illa redigitur totius ille theologicæ scientiæ apparatus, dispallescunt omnes illæ minutæ controversiæ, de quibus junior & viribus valentior quammaxime solicitus fuerat: hoc unum quæritur, utrum certam & immotam habeat beatæ immortalitatis spem & fiduciam, per infinitum λυτρον Soteris sui obtinendam; non quærit utrum numerus electorum parvus sit vel magnus; quis ordo decretorum divinorum; utrum pro multis an omnibus Christus mortuus sit nec ne; ut de multis aliis quæstionibus in systematibus tradi solitis nil dicam; sed hoc unum, utrum ipsemet ex eorum numero sit, qui mox sufficienti fiducia innixus ad beatorum migrare possit sedes. De his ubi sanus & incolumis frequentius cogitat, non potest non eo adduci, ut nonnisi gravia, utilia & momentosissima suis auditoribus proponat, & resecet omnes quæstiones inutiles, ad lites potius serendas quam ad

perficiendam mentem aliquid conferentes, semper memor illius: Hoc age. *

Atque ita vobis A. O. O. H. veram & nativam, quantum quidem ob brevitatem temporis licuit, Theologi pacifici imaginem delineavi. Aut omnia me fallunt, aut talis est hic Icon, qui amorem omnium, quotquot solidum & pulchrum ab inani discernere valent, sibi conciliare possit. Neque adeo opus esse puto, ut pluribus ostendam, quantum ejusmodi Theologus ad pacem rerumpublicarum & ecclesiarum stabiliendam, alendam & confirmandam facere possit. Quis enim non videt, Doctorem publicum his virtutibus ornatum animos auditorum ad veram sapientiam inducturum, & a pravis affectibus retracturum? Apertum simul est, quantorum malorum auctores sint Theologi contentiosi, per hos enim rixæ & contentiones excitantur, vinculum amicitiæ, quod inter utriusque ordinis ecclesiastici & politici viros intercedere deberet, laxatur, imo sæpe ob maturam illam diffidentiam optimorum consiliorum cursus sufflaminatur, fraternaque animorum conjunctio tollitur. Ubi vero sapienter & pacifice religionis negotia tractantur, & ineptus zelus abest; ubi gravia & momentosa a levibus probe distinguuntur, riteque semper expenditur, quantum error pietatis studio officere, vel non officere possit; ubi fratres in quibusdam dissentientes ad mutuam tolerantiam revocantur, nonsolum pacata est respublica, concors ecclesia, summa inter Proceres utriusque ordinis consensio, & ad eruditionem & pietatem alendam & promovendam maxima animorum propensio & conspiratio; sed & ipsæ literæ florebunt, atque ita in his terris tenuem aliquam imaginem cœlestis illius ecclesiæ, quæ in cœlis locum habebit, cernere dabitur

Ad vos igitur venio, Fratres atque Collegæ reverendissimi atque doctissimi; vos vel me tacente nostis, nihil magis saluti ecclesiæ & scholæ prodesse posse, quam prudentem consensionem in iis, quæ ad veram felicitatem internam & externam conferre possunt.

(*) Adde vitam Buxtorfii, a cl. Werenfelsio scriptam, in qua cur cl vir professionem theologicam recusarit, rationem a nimia sui diffidentia adfert.

sunt. Ad hanc consensionem obtinendam nonnisi prudentia & ardenti pacis studio opus est. Hoc studio si animati estis, nullus inter nos orietur rancor, lites nullæ & contentiones locum habebunt; sed erit mutua in necessariis unitas, in non necessariis libertas, in omnibus vero charitas. Ad hoc pacis studium quærendum, alendum & prosequendum non tantum æquitas, prudentia & charitas, sed & religionis christianæ genius, exemplum Soteris nostri & Apostolorum, & tot præclara ab iisdem prolata fraterni amoris encomia, potissimum commovere debent. Vix verborum satis invenerunt Apostolus Paulus & Johannes in hac virtute commendanda. Hæc enim fratres in levioribus paululum a se invicem dissentientes glutine quodam ita constringit & jungit, ut non obstante qualicunque opinionum diversitate, in sanctæ pacis & amoris oscula ruant. Nulla unquam ecclesia militans, florentissima licet, in omnibus minutis opinionibus conspirabat, neque quo minus id fiat per rerum naturam fieri potest. Si quis Majorum nostrorum, virorum excellentissimorum, *Zwinglii*, *Calvini*, *Bullingeri*, *Pellicani*, *Bibliandri*, *Bezæ*, *Oecolampadii*, & his similium scripta evolvit, deprehendet, eos in variis argumentis, v. gr. de origine punctorum hebraicorum, de auctoritate 70. viralis versionis, de limitibus providentiæ divinæ circa salutem hominum, de horum vel illorum S. Scripturæ locorum interpretatione, non omnes idem sensisse, & tamen, teste M. *Hottingero* patre, tanta erat tum temporis ecclesiæ tigurinæ doctorum animorum consensio & fraterna charitas, quanta in ecclesia militante obtineri potest. Quidni & nos hoc præstemus, Fratres in Christo colendissimi? ab ecclesia romana discessimus, imo discedere debuimus, non ob leves speculationes, ob subtiles opiniones & accessorias quasdam controversias, de quibus jam inter Protestantes quædam dissensio est; sed ob errores exitiales, superstitionem anilem, idololatriam detestandam, ob sublatam libertatem conscientiæ, & intolerandam tyrannidem romanorum pontificum. Atqui jam in libertatem asserti sumus, omniaque scitu necessaria religionis capita unanimi consensu profitemur & tuemur. Cur ergo tam infelices essemus, ut propter levem aliquem dissensum, fraterni amoris & pacis vinculum rumperemus? Quod si rei ipsius æquitas atque necessitas, Christi & Apostolorum præcepta & exempla, quosdam ad pacis studium adducere

non valent; eos vel solius prudentiæ leges commovere deberent. Nostis enim eos, qui ordini sacro male cupiunt, in sinu ridere, & singulari voluptate perfundi, quoties vident Sacrorum Ministros in partes scissos, litibus atque contentionibus distineri; tum enim se obtinuisse putant, quod optarunt. Horumne in gratiam studium pacis & fraternæ charitatis abjiciemus? Et licet educatione, ingenio, institutione, lectione & eruditione discrepemus, sufficit, quod in iis omnibus, quæ ad salutarem fidem & pietatem requiruntur, conveniamus. Quod si qui sint, qui incredibili disputandi lubidine ardent, singularique zelo pro veritatibus quibusvis, etiam minimi momenti, tuendis animati sunt, & singulari sese instructos præ cæteris eruditione esse putant, en habent illi hostes apertos & audaces, quos adoriri possunt.

Dantur enim in cœtibus Protestantium eheu! tales, qui religionem albis dentibus rident; sunt profani, qui nullo vel exiguo religionis tacti sunt amore; sunt quibus perinde est, quamcunque tueantur religionem; sunt qui religionis revelatæ fundamenta concutiant; sunt qui in omnium scelerum pravitate versentur; sunt denique hypocritarum & degenerum Christianorum ingentia agmina. Hos adoriantur viri illi ad disputandum nati; scilicet: hic ingenii & eruditionis suæ excellentiam monstrent; hic zelum suum exerceant; hic peritiam theologiæ suæ polemicæ ostendant; adversus fratres vero, communi religionis vinculo devinctos, parata non tollant cornua, illisque acerbam reddant vitam; sed spiritu pacis & amoris animati, quicquid ad salutarem concordiam servandam & alendam facere aliquid potest, potius conferant. Hoc si fecerint, florebit eruditio, caput tollet veri nominis pietas, & pacata erit ecclesia.

Tandem ad vos sese convertit oratio mea, suavissimi optimarum litterarum studiosi. Nostis vos omnes, me publice & privatim id agere, ut sanctissima religionis capita rite proponam & probem, errorum fontes detegam, eosque pro viribus impugnem. Nostis me nonsolum crassos & pietati inimicos errores, sed & impietatem & scelera adoriri, omnique animi contentione id agere, ut vera eruditio & mascula pietas animos vestros totos occupent; scitis,

me

me singulari hora gravissima Pastorum officia explicare & insinuare. Centies me audivistis ingeminantem, V. D. Ministrum, quantacunque litterarum cognitione instructum, sine pietate tamen merum histrionem esse, & non tantum sibi æternum exitium attrahere, sed & gregem curæ suæ concreditum exemplo suo ad impietatem devocare. Hæc omnia non ignoratis charissimi auditores. At & hoc vobis perspectum est, me animos vestros a φιλαυτία, quæ fœcundissima rixarum & contentionum mater est, quantum possum, revocare, & contra ad concordiam & ad fraternum amorem inflammare, eumque in finem probe vobis inculcare, quid in religionis negotio ponderosum, grave, & ad ingenerandam masculam pietatem faciens; quid contra leve & parum profuturum sit. Ex historia ecclesiastica subinde exemplorum inductione ostendo vobis, quantum malorum ecclesiis intulerint superba & disputacia ingenia. Hæc omnia cum sciatis, quid restat O MEI, quam ut generoso impetu incitati, ad studia sacra rite tractanda animos adjiciatis, & non tantum eruditione, sed & pietate, modestia & pacis studio eluceatis. Præsunt vobis duo Theologi, (ut de cl. aliarum disciplinarum Professoribus nil dicam) concordes nonsolum inter se & pacis studiosi, sed & tales, qui ut hanc virtutem animis vestris insinuent, omnem curam adhibent. Ostendite tandem hæc nostra monita vim in animos vestros habuisse: ego certe satis me vixisse arbitrabor & officio Theologi defunctum, si aliquot duntaxat nactus fuero discipulos, non tantum eruditionis, sed & pietatis & concordiæ studio incensos. Hi enim suo tempore propugnaculi loco esse possunt adversus superbos & ridiculos disputatores & zelotas, qui ex pustulis ulcera facere, & in media pace classicum canere volunt. His auxiliis & defensoribus veritatis opus est, ubi inter fratres lites oriri solent. Faxit vero Deus, propter cruentum unigeniti sui Filii sacrificium, ut non modo ea, quæ de pacifico Theologo dixi, ore profitear, sed & moribus exprimam, præsertim in iis, quæ ad mansuetudinem & patientiam christianam pertinent. Omnes simul boni viri, pacisque ac veritatis amantes toto animo

Deum precemur, det gregi lucem
Hic quanta sat est: hac det esse contentum.

Det

Det non loquentes sua reperta Doctores.
Det non sonantes semper omnium linguas:
Aut corda saltem: præpotente vi flammæ
Caliginosas litium fuget sordes.
Ut spiret unum tota civitas Christi,
Vitamque terris adprobet; fidem cœlo.

D I X I.

ORATIO

SISTENS

IMAGINEM THEOLOGI CONTENTIOSI.

QUamprimum perorandi vices ad me devolutas esse ex Venerabili nostro Antistite percepi, morem ipsi, ut par est, gesturus, sine ulteriore anxia deliberatione cogitare occepi, quodnam potissimum argumentum, dignum tanta nobilissimorum & eruditissimorum virorum corona, meoque conveniens muneri pertractandum mihi sumerem. Memor autem probe eram, nec incertis indiciis persuasus, plerosque auditores, cum ultima vice oratoris publici officio defungerer, atque imaginem Theologi pacifici animis auditorum repræsentassem, benevole mea dicta excepisse, & vel invitos in amorem Theologorum pacificorum raptos fuisse. Dandam igitur mihi operam esse existimavi, ut hac oratione probarem, eos non sine ratione ita judicasse, & album calculum meæ sententiæ adjecisse. Existimavi autem, me non melius scopum, quem intendo, obtenturum, quam si canonem logicorum, (*oppositа juxta se positа magis elucescunt*) sequens, vobis ob oculos ponerem fœdam imaginem Theologorum contentiosorum, illicitarumque artium & studiorum, quibus ad alios denigrandos, ecclesiam & rempublicam turbandam, innumeraque mala in societate civili excitanda utuntur, detegerem. Neque ego dubito, quin auditores mei, si non omnes, saltem plerique, non solum vacivas aures mihi præbituri; sed & pravos mores & nocituras artes horum hominum improbaturi, imo detestaturi sint. Atque hunc adfectum in animis vestris eo confidentius excitatum iri credo, quando ad animos vestros revocatis, quæ hodienum in tanta litterarum luce in ipsa Gallia, excellentissimorum ingeniorum fœcunda matre, ut

de Hungaria, aliisque Europæ provinciis adversus Reformatos perpetrantur scelera, non religioni tantum, sed humanitati omni contraria, idque sub nomine nescio cujus pietatis & orthodoxiæ cheu fieri solent, expenditis. Contentiosis certe illis, sive Monachis sive Theologastris, omnia illa mala, sive crimina, quæ cum persecutionibus conjuncta esse solent, adscribenda sunt.

Cum vero argumentum ipsum ita comparatum sit, ut mihi amplissimam differendi copiam submministret, arctis vero temporis cancellis nos inclusos esse sciam, summa tantum rerum vestigia sequar, adducturus præcipua duntaxat capita, quæ ad delineandam imaginem contentiosorum Theologorum facere posse existimavero. Antequam vero rem ipsam aggrediar, duo antea monenda esse puto. *Primum* est: me in hac oratione imaginem quidem Theologorum contentiosorum repræsentaturum, at ita tamen, ut de vitii ipsius, quo laborant, fœditate potius sim futurus solicitus, quam ut multorum recentium cumprimis exemplorum inductione dicta mea sim confirmaturus. Cum enim res ipsa per se manifesta satis sit, cur ex antiqua pariter & recentiore historia ecclesiastica ingentem testium numerum adferam, inprimis cum mihi probe perspectum sit, homines qui hoc morbo laborant irritabiles valde esse, causam video nullam. Quod si qui sint in ordine nostro, qui, quod commune est multis Theologis & V. D. Ministris, in se dictum putent, stulte nudabunt animi conscientiam; hisce nihilominus me excusatum esse volo, quia animus est dicere de vitiis, parcere personis. Interim ego causam non video, cur de hoc argumento publice verba facere Theologo non conveniat. Cum enim contentiosi Theologi præter & contra sacratissima conscientiæ jura licentiam sibi sumant, optimos sæpe & innocentissimos viros vel leviter duntaxat errantes perstringendi, vitamque ipsis acerbam reddendi, nemo cordatis viris vitio vertere potest, si fraudulentas, rationi pariter & Evangelio J. Christi contrarias artes, quibus utuntur, & quæ innumera mala rebuspublicis & ecclesiis omni tempore intulerunt, in apricum producant. Habemus, quibus causam nostram tueamur, duces divinos pariter & humanos. Paulus certe, qui Timotheum suum monuit, quid in munere suo, quo defuncturus erat, præstandum atque cavendum sit, omnibus futuris V. D. Ministris

nistris, regulam quam sequantur, religiose præscripsit, dicens: *Juveniles cupiditates fuge; justitiam, fidem, caritatem, pacem una cum iis, qui Dominum sincero animo invocant, persequere. Stultas & indoctas quæstiones declina, quippe quæ, ut scio, pugnas gignant. Quum Domini servus pugnare non debeat, sed erga omnes mitis esse, ad docendum accommodatus, injuriæ patiens, cum mansuetudine erudiens dissentientes, si forte, Deo eos ad frugem revocante, verum agnoscant, ad seque redeant.* Inter Doctores vero publicos magnus semper fuit eorum numerus, qui data opera vitium, quod oppugnarunt, perstrinxerunt. Duorum tantum dignitate & eruditione eminentium, quique adhuc florent, & de ecclesia pariter & republica litteraria amplificanda soliciti sunt, mentionem faciam. Prior est Ch. M. *Pfaffius*, Theologus celeberrimus & Academiæ Tübingensis Cancellarius dignissimus; hic singulari edito libello de præjudiciis Theologorum, malisque, quibus aliquando adversus dissentientes utuntur artibus, candide & cordate egit. Posterior est J. L. *Moshemius*, Theologus Academiæ Göttingensis famigeratissimus, Cancellarius itidem hujus Musarum sedis nobilissimus, editis tribus ad citata Pauli ad Timotheum loca, de Theologo non contentioso, dissertationibus. Et profecto cordatus quisque & prudens Theologus sedata mente mala, quæ per contentiosos sacrarum Ministros in rebuspublicis & ecclesiis omni tempore excitata sunt, perpendens, necessitatem sibi impositam esse existimabit, auditores suos & futuros V. D. Ministros contra exitialem hunc morbum præmuniendi, atque meliora consilia commendandi. Vident enim, qua sunt perspicacitate, viri sapientes & cordati, infinitis quæstionibus orbem christianum omni tempore agitatum fuisse, partim inficetis & utilitate vacuis, partim abstrusissimis & inexplicabilibus, partim pernicios & noxiis disceptationibus. Vident non de rebus ipsis sæpe numero, sed de verbis, de formulis, de modis loquendi, bella inter Doctores geri Punicis graviora: vident eadem argumenta non secus ac Sisyphi saxum volvi & revolvi; nec ullum litibus finem statui, inspectantibus & ridentibus iis, quibus nec veritas curæ est, nec pietas vident, quod de Græcis scite quondam Cicero dixit, contentionis eos cupidiores esse, quam veritatis; id in eorum nonnullos aptissime convenire, qui in controversiis explicandis operam ponunt; nec id inter partes quæri, qui-

nam verius & melius sentiant, sed quinam ingenio magis & eloquentia valeant ad sua defendenda? vident fratres, quorum animi conjunctissimi esse debebant, mutuis sese cladibus conficere, & aut gloriæ studio, aut privato ductos odio, infestis signis concurrere: vident criminationum, maledictorum liberalissimos esse, qui se patientissimi Servatoris discipulos profitentur, atque adeo qui aliorum animos sanare volunt, vitiis voluntatis & intelligentiæ gravissimis laborare: vident denique pugnandi lubidinem, quam opinione citius animi juniorum, quos honoris plerumque vexat aviditas, concipiunt, incredibilem malorum vim in rempublicam christianam inferre, & ab eo, quod unum est necessarium, abducere. Quis igitur cordatus Theologus rebus sic stantibus non omnes ingenii sui nervos intendat, ut morbo huic quantum in se est occurrat; postquam manifestum est numerum horum hominum quotidie crescere. Verum enim est illud poetæ cujusdam dictum. „Quo te ambulando cumque vertas gentium, vitare non est disputatorum genus procax, protervum, fastuosum, garrulum, quos pacis hostes ultima hæc ætas tulit, qui nocte lucem, nigra vertunt candidis.„

Alterum quod monendum, quodque facile silentio involvi posset, si omnes auditores æqui essent rerum arbitri, est, me nimirum *contentiosorum Theologorum* nomine minime intellectos velle viros eruditos & sapientes, qui capita religionis gravissima solidissimis argumentis probant; adversus religionis omnis hostes acriter defendunt; incredulitati apertum indicunt bellum; grassantia inter Christianos vitia severe reprehendunt, & nihil eorum intentatum relinquunt, quæ ad veram solidamque religionis castæ curam propagationem & defensionem facere posse existimant. Tantum abest ut de hisce viris abjecte sentiamus, aut eos in contentiosorum Theologorum numerum referamus, ut potius eos in cœlum tollamus laudibus, dignosque judicemus, qui in ecclesia eminentissimos honoris gradus obtineant, & ab omnibus maximi æstimentur. Neque etiam in numerum contentiosorum Theologorum refero eos, qui in rebus minoris momenti, atque adeo ad fundamenta religionis christianæ non pertinentibus, a fratribus suis dissentiunt, & hunc suum dissensum argumentis, non convitiis manifestum faciunt, idque eo fine, ut veritas in majore collocetur luce. Fieri enim per naturam

ram rerum non potest, ut omnes, qui iisdem religionis vinculis constricti sunt, idem tamen de omnibus sanctioris disciplinæ partibus sentiant. Aequo igitur animo inter fratres hic dissensus ferendus, qui in hac rerum divinarum & humanarum imperfecta cognitione ad fines usque vitæ nostræ duraturus est.

Celeberrimus quondam hujus illustris nostræ scholæ Theologus *H. Heideggerus*, in præfatione formulæ consensus præmissa, ipsos illos viros doctos, a quorum sententiis discedendum esse putabat, non obstante levi illo dissensu, qui tamen infaustarum litium occasionem suppeditabat, *Papelli* nimirum & *Amyraldi* sequaces, appellavit viros fratres ejusdem sanctissimæ fidei socios. Et in libello lectu dignissimo, de pace inter Protestantes ineunda, totum illum dissensum inter nos & fratres Lutheranos, *stramineum*, id est, levissimum esse clarissimis declaravit verbis. Tales profecto, qui ita de fratrum vel veris vel putatitiis erroribus sentiunt, idque opere ipso præstant, inter Theologos contentiosos referendos nulla ratione censemus. Hisce in antecessum notatis, breviter *primo*, quid nomine contentiosi Theologi aut V. D. Ministri intellectum velimus, explicabimus; dein vero, quantum temporis spatium permittet, insigniores horum hominum characteres repræsentabimus. Theologum ergo contentiosum appello eum, qui sive accuratiore rerum divinarum scientia destitutus, sive inepto zelo, superbia, inclarescendi studio, δυσσοφία, aliisque pravis affectibus commotus, homines vel plane innocentes, vel leviter errantes graviorum errorum reos esse clamat; eos quavis data occasione verbis & scriptis impugnat, lacerat, mordet, omnia ab invidia petita argumenta ad eos exosos reddendos in medium profert, cum invisis hæreticis illos comparat; eorum famæ, existimationi & fortunis quantum in se est detrahit; controversiam vel levem errorem in majus extollit, per consequentiarum consequentias talia erranti imputat, a quibus alienissimus est; qui Regibus & rerumpublicarum moderatoribus dissentientem tanquam pestem societatis civilis depingit; qui ex pustulis ulcera facit, & in media pace classicum canit; qui non argumentis, sed criminationibus ad suam sententiam tuendam utitur, idque sub prætextu zeli pro gloria Dei; qui æstu fervoris cæci ita abripitur & exardet, ut quid dicat atque defendat ipsemet ignoret; qui instar Caci virgiliani,

Faucibus ingentem fumum (mirabile dictu)
Evomit, involvit que domum caligine cæca,
Prospectum eripiens oculis; glomeratque sub antro
Fumiferam noctem commixtis igne tenebris.

Qui denique omnia illa facit, præstat, quæ ad dissentientem exosum reddendum, vitamque ei acerbam faciendam facere possunt. Facile conjicio auditores, hanc qualemcunque delineationem Theologi contentiosi nondum sufficere ad omnia illa cognoscenda, quæ veram indolem horum hominum repræsentare, innumerasque μεθοδείας, artesque religioni rationique contrarias, quibus omni tempore usi sunt, depingere possint: requiritur igitur, ut quantum temporis spatium permittit (neque enim jam librum scribimus, sed brevi oratione in compendio, quæ de hoc argumento dicenda esse putamus, vobis in memoriam revocamus) præcipuas quasdam artes & μεθοδείας, quibus potissimum ad alios exosos reddendos hi homines uti solent, exponamus. Cum ab omni ratione, legibus conscientiæ & religionis plane abhorreat, hominem innocentem plane, aut in rebus minoris momenti errantem, graviorum errorum reum postulare, eumque apud alios exosum reddere, aliquid contentiosis illis Theologis excogitandum ante omnia erat, quo perversam illam suam judicandi & agendi rationem aliqua ratione commendarent, saltem apud vulgus hominum, quod nihil expendere, sed antecedentium turbam sequi solet. Cum vero religione nihil sit excellentius & magis venerabile, in ea præsidium quærendum esse in rebus maxime culpandis & sensui communi contrariis putabant. Deposcit nimirum sincerus religionis amor, ut ad omnia ea, quæ ad illam promovendam legitime conferre possunt, vires omnes impendamus: cum vero boni illi homines opinationes suas præjudicatas, & quasi cum lacte materno haustas, pro gravibus religionis articulis habeant, aut saltem pro talibus æstimari videri velint, alios atro carbone notaturi, & vesaniam suam, superstitionem, & malitiam excusaturi, fingunt sese ad ita judicandum & agendum mero pro gloria Dei zelo, nullis vero pravis animorum commotionibus compelli.

Quamvis vero homines non plane stupidi facile perspicere possent, nihil absurdum magis esse & pietati inimicum, quam mentiendi & calumniandi effrænatam lubidinem religionis & singularis pietatis titulo venditare & excusare velle; nihilominus ab ipsis christianismi

ſtianiſmi incunabulis, inprimis vero, poſtquam in ſectas itum eſt, propudioſæ & ſceleratiſſimæ hæ artes adverſus diſſentientes in religionis negotiis adhibitæ, & ab iis, qui etiam in ceteris acutum cernere ſolent, neque fanaticis imbuti ſunt opinionibus, ſi non publice adprobatæ, repreſſæ tamen non ſunt. Plebem facile, ementita pietatis ſpecie, fanaticis & plane nihil ſignificantibus verbis decipi poſſe, omnis ævi docuit hiſtoria; at viros etiam haud indoctos, imo juris ſæpe divini & humani peritiſſimos, fraudulentis illis artibus, quæ a quovis agyrtha & hiſtrione uſurpari poſſunt, ad iniquiſſima quævis probanda & peragenda ſeſe abripi paſſos, credere nunquam potuiſſem, niſi luculentiſſimis teſtimoniis de his edoctus eſſem. Nimirum dantur, inprimis in rebuspublicis, homines vanæ laudis amore quidem capti, at iis eruditionis copiis deſtituti, quibus nomen aliquod inter eruditos conſequi poſſent; putant tamen ſeſe facile famam eruditionis & ſingularis pietatis conſecuturos, ſi pro receptis quibusvis minutis opinionibus fortiter ſtent, diſſentientium vero ſententias impugnent; cum quibuslibet & de quibuslibet rixentur, inque Heterodoxos, ut eos appellant, coram plebe iisque qui controverſiarum momenta non intelligunt, ſtrenue debachentur. Ubi vero audiunt, ſe ob fervorem illum, vel a plebe, vel a verſutis quibusdam aut fanatici ingenii hominibus laudari, exiſtimant, ſe lumina eccleſiæ orthodoxæ eſſe & cælo ceteris propiores. Plebs enim & vulgus eruditorum, verbis utor ſapientiſſimi Theologi *S. Werenfelſii*, in hæc erumpunt verba: *Illi ſoli ſancti, religioſi, illi zelotæ, illi orthodoxiæ ſunt columina, qui nihil quicquam remittunt adverſariis, qui omnia eorum dicta in hæreſes transformare, leviſſimas quasque diſſenſiones immane quantum exaggerare ſciunt, qui omnem tolerantiam, omnem manſuetudinem, concordiam, tanquam communionem Chriſti cum Belial execrantur, qui identidem ex cathedra, ex ſuggeſtu, cygneam Didonis virgilianæ repetunt cantionem.*

- - - - Stirpem & genus omne futurum
Exercete odiis: cinerique hæc mittite noſtro,
Munera. Nullus amor populis, nec fœdera ſunto.

Hoc plebeculæ, iisque qui accuratam religionis notitiam non habent, placet. Lubentius audiunt declamatores, qui in diſſentientes debachantur, quam pios concionatores, qui cara ſibi oppugnant vitia. Quid tu?

tu? audiviſti hodie noſtrum? Hui! quam ſtrenue ſe geſſit? quantopere invectus eſt in eos, qui fratres noſtri eſſe vellent? quanto ardore eos in orcum deturbavit? Hic vir, hic eſt; hic adverſarios ſuos debellare novit; hic ſtat orthodoxia! Hi vero homines inepto furore abrepti uſque adeo ſibi in hoc zelo placent, ut exiſtiment, ſe illo, quicquid alioquin vitiorum ſibi ineſſe poſſit, redimere & expiare; his elui omnes maculas ſuas, his defectus abunde compenſari, uſque adeo, ut Deus quodammodo obligatus ſit, ad multa ſibi, tam devotis ſcilicet & fervidis ſuis cultoribus, condonanda, quæ in aliis tolerare non poſſet. Hactenus oculatiſſimus ille Theologus.

Sub eodem ſingularis pietatis & zeli pro gloria Dei prætextu, Theologi contentioſi alios inviſos reddituri, ad *Majorum auctoritatem* provocant in rebus ad eſſentiam religionis plane non pertinentibus, quaſi in religionis negotio veritas & vetuſtas pari paſſu ambularent. Nimirum ſæpe fieri ſolet, neque propter rerum ipſarum & ingeniorum diverſitatem aliter poteſt, quam ut vir doctiſſimus etiam verique amantiſſimus in examine rerum divinarum, in primis vero in interpretatione S. Litterarum, a receptis quibusdam majorum ſententiis recedere teneatur, quoniam in hisce non minus falli poterant veteres, quam noſtræ ætatis Theologi. Hinc vero contentioſi noſtri Theologi & V. D. Miniſtri inſolitos excitant clamores, atque aſſerunt, non ſine contemtu majorum hanc vel illam novam ſententiam & S. Litterarum interpretationem in medium proferri, & ut elegantiſſima horum hominum phraſi utar, dicunt tales *mingere in parentum cineres.* Hacque occaſione, quaſi de eo quæſtio eſſet, merita majorum, quod diſſentientes negarunt nunquam, in cœlum tollunt laudibus, itaque de iis loquuntur, quaſi omnes de cœlo fuiſſent delapſi, infallibiles, omnisque erroris etiam in minimis expertes. Iidem vero μαλαιόλογοι manifeſtiſſimis indiciis produnt frequentiſſime, ſe non tam pro gloria patrum & majorum, nedum Dei, quam vero potius pro gloria ſua, commodis ſuis, & opinationibus pugnare, mutaturi ſingulas in horas ſententias, ſi muſteus aliquis doctorculus novam aliquam ſententiam, majoribus ignotam plane, in medium eſſet prolaturus. Uno atque altero exemplo dicta noſtra confirmabimus. Superiore ſeculo in Belgio exortus eſt vir celebris Joh. Coccejus, qui novas quasdam hypotheſes theologicas in medium attulit, eum ſucceſſu temporis, ut fieri ſolet, ingens

turba

turba sectatorum insecuta est. Reperiebat ille in V. Testamento non solum multos typos & prophetias singulares recentiori ævo applicandas, sed & longe plurima testimonia Veteris Testamenti de S. S. Trinitate, Deitate Filii & aliis argumentis. Calvinus vero cæterique majores nostri nulla vel exigua horum testimoniorum vestigia apud veteres reperiunt. Quid igitur faciunt hic contentiosi & pro majorum gloria adeo soliciti Theologi? Calvinum aliosque *Reformatores* deserunt, & a male informatis ad melius informandos provocandum esse putant. Idem *Calvinus* cum *Beza*, *Musculo*, *Pellicano*, & *Bibliandro*, at quantis viris! pro novitate vocalium hebraicarum pugnabant, & in rebus minoris momenti, antiquitate temporis, insciția & oscitantia librariorum, in utroque Fœdere aberrationes quasdam reperiri asserunt. Horum vero sententiam multei illi & orthodoxiæ tenacissimi scilicet viri, tanquam periculosam valde rejiciunt, & contrarium statuendum esse clamant. At num hoc est majorum auctoritatem tueri? ut jam non dicam eos, qui ad majorum semper consensum provocant, sæpissime ne per vitam quidem eorum scripta evolvisse, sed recentioribus quibusdam præceptoribus totos esse addictos. Et quid tandem ex jactata illa majorum auctoritate & consensu in examine veritatis contra dissentientes colligi potest? plane aut nihil valet illa argumentatio, aut si legitima est hæc ratiocinandi ratio, sequitur, in Gentilium aut Pontificiorum castra, in quibus olim militabant majores nostri, rursus esse transeundum. Ex quibus manifestissimum est, contentiosos nostros Theologos nonnisi eum in finem adversus fratres ad consensum majorum provocare, quam ut eos possint reddere exosos & heterodoxiæ suspectos. Patescet autem magis quam sit ille jactatus pro gloria Dei zelus ineptus & falsus, si perpendamus, quibus mediis doctores nostri seraphici uti soleant, ad hominem dissentientem corrigendum, & si erraverit in viam revocandum. Nimirum vir veri amore tactus, & singulari cupiditate luce salutari errantem perfundendi incensus, nihil eorum omittit, quæ ad saniorem mentem eum revocare possunt. Hinc placide modesteque sententiam ipsius expendit, argumenta quibus nititur, amice trutinat, erroris fontem detegere allaborat, eaque omnia caute evitare studet, quæ eum aliqua ratione offendere, aut in errore confirmare possent. Nostri vero bellatores contra omnia illa convectare solent, quæ dissentientium animos

a veritate inquirenda non solum retrahere; sed & ad iram provocare & in errore confirmare possunt. Huc referas omnia illa argumenta *ab invidia petita*, quæ singulari dissertatione explicuit celeb. *Clericus* atque exemplo Hieronymi illustravit. Paucis unum vel alterum hujus argumentandi methodi afferam exemplum, brevitati consulturus. Prima & longe usitatissima methodus homines dissentientes exosos reddendi est: quod nimirum eos cum invisis hominibus, hæreticis nimirum antiquis pariter & recentioribus conferant. Hinc audias tantis Doctoribus dignas argumentationes: Tu, inquiunt, Nestorianus es; tu Eutychianus; tu Manichæus; tu Prædestinatianus; tu cum Pelagio aut semi-Pelagianis sentis; tu Socinianorum aut Fanaticorum in catalogum referendus, & ita deinceps. Iniquas autem, ab omni humanitate alienas, & ex mera invidia petitas has comparationes vel potius criminationes esse, ex eo bene cuique constat, quod non solum manifestissimum sit, dissentientes ab horum hominum exosorum opinione sæpe longissime recedere, imo aliquando nequidem sententias, quas veteres illi defendisse dicuntur, perspectas habere; sed & quod iniquissimæ illæ comparationes & criminationes nihil plane conferant ad erroris alicujus fontem detegendum, & veritatem, cujus amore se flagrare dicunt nostri zelotæ, in apricum proferendam; ac potius errantem in suis opinionibus confirment, quando quidem videt & quasi palpat, hos homines argumentis solidis destitutos ad convitia duntaxat confugere.

Doctissimi certe omnis ævi Theologi hos paralleliſmos cum hæreticis, ubi de errore revincendo agitur, institutos semper improbarunt, quia non solum nil hi ad veri cognitionem conferant; sed disputantes inter se de sententiis quibusdam a vero statu quæstionis revocent, & ad operosas quasdam & parum necessarias disquisitiones de veterum opinionibus devocent. Mentem suam de hoc argumento sic exprimit *celeb. Moshemius*, Acad. Göttingensis Cancell. dignissimus: *Nos, inquit, quod pace dicimus doctissimorum virorum, quorum eruditionem & merita ceteroquin veneramur, tametsi haud negemus, collationem veterum & novarum sectarum & errorum nonnunquam utilitatis aliquid adferre in disputationibus; plerumque tamen, quum id tantum agitur, ut veritas illustretur & defendatur, plus incommodi quam utilitatis adjunctum habere opinamur. Principio,*

cipio, quæ faciliori negotio dirimi lites poterant, hac ratione protrahuntur & amplificantur. Nec enim amplius, si res ita instituatur, de sola dogmatum vel veritate vel falsitate quæritur, sed aliæ simul nascuntur controversiæ historicæ valde implicatæ & laboriosæ. Veterum scilicet sectarum historia exploranda est, vehementer obscura & variis difficultatibus circumsepta, & quid commune habeant novi errores cum illis antiquis, cum cura dijudicandum est: quod non sine longo labore fit. Hoc deinde si quis labore feliciter defunctus sit, & novas sectas antiquis ex toto similes esse ostenderit, nihil inde aut parum fructus capiet, ad errantis mentem sanandam, & alios contra vim erroris communiendos. Etenim cum veteres in æstimandis aliorum sententiis errare potuerint, nec semel erraverint, id nondum erroris aliquem convincere poterit, quod idem illud, quod ipse pro vero dicit, antiquis quibusdam conciliis falsum visum fuerit. Pugnabit ille potius, si ingenio valet, inscitiam & invidiam obstitisse majoribus ne veritatem perspicerent, eosque sanos & sapientes fuisse, quibus notam illi hæreseos inusserint. Quanta hæc novarum turbarum materia, quæ non potest non mentes hominum perturbare, atque ab eo quod solum erat necessarium ad res parum utiles abducere! His accedit, quod veterum hæreticorum nomina in convitiis hodie & contumeliis ponuntur, isque verbi causa, qui Tritheita, aut Pelagianus aut Sabellianus vocatur, eadem pene injuria afficitur, qua qui monstrum, portentum hominis, caudex, stipes, nebulo appellatur. Atqui Servator noster a Christianorum disputationibus omnem cavillandi libidinem abesse vult, hominesque satis propter errores suos infelices novis malis, ignominia & injuriis excipi vetat. Hactenus insignis ille Theologus.

In genere de hoc argumento loquendo, solent contentiosi Theologi omnes *minoris momenti controversias in majus extollere*, & per consequentiarum ambages vel innocentem plane, vel leviter errantem exosum valde reddere; cumque Diis iratis nati, aut ingenio & sufficienti eruditione destituti, aut malitia quadam & aliis insultandi studio in præceps acti sint, solent ex pustulis ulcera facere, & in media pace classicum canere, & ex musca, ut proverbium habet, elephantos facere.

Exempla si desideratis auditores, ingentem eorum numerum ex veteri pariter & recentiore rerum in ecclesia gestarum historia

afferre possem. At unum vel alterum duntaxat adduxisse juvabit. Quis nescit quo fervore dicam an furore controversiæ superiore seculo occasione *Cocceji* hypothesium in Belgio cum primis fuerint agitatæ, adeo quidem, ut parum abfuerit, quin apertum schisma inter fratres uni eidemque religioni addictos exortum fuerit? Habita sunt in eodem Belgio collegia privata theologica, dicta collegia contra fratres, & celeb. *Heidanus* partibus Cocceji addictus septuagenario major, & Theologus orthodoxus, de S. Litteris & ecclesia reformata optime meritus, de gradu suo fuit dejectus, ut de perpetuis publicis pariter & privatis rixis nil dicam. *Quæ unquam (verba sunt τῦ Μακαρίτυ celeb. Werenfelsii) disputationes cum pertinaciſſima Judæorum gente, cum impuris Muhamedanis, cum blasphemis, cum libertinis, cum atheis, omnisque religionis irrisoribus tam pugnaces erant, quam nuperæ illæ, sive puræ, sive mixtæ logomachiæ, cum in aliis academiis & scholis, tum præcipue in Belgio fuerunt? Risit invidia, exultavit livor; objecerunt nobis æmuli non sine magna lætitia διπλᾶν καπνα Belgium infestans: fuerunt, qui ex libris de hisce controversiis conscriptis formulas convitiandi, egregios scilicet flosculos excerpserunt. Nimirum quemadmodum rixæ inter fratres vicinosque, sicubi accensæ sunt, ardentissimæ esse consueverunt, ita verissime dixeris inter eos, qui in sententiis quam maxime vicini sunt, atque adeo qui in solis quandoque verbis dissident, fervidissimas plerumque altercationes intercedere.* Ita *Werenfelsius.* Et qua tandem de re agebatur? an de articulis ad salutem creditu necessariis? minime omnium. Quærebatur, utrum sabbathum Christianis celebrandum morale aliquid sit vel cærimoniale; utrum V. Test. fideles remissionem peccatorum obtinuerint per ἄφεσιν vel πάρεσιν; utrum omnia fata ecclesiæ septem periodis absolvantur, & quomodo illæ periodi distribuendæ; an hæc vel illa res vel persona V. Test. typus fuerit, nec ne, rerum in N. Test. observandarum; an hæc vel illa obscurior prophetia V. Test. jam impleta, vel demum post multorum seculorum decursum implementum habitura sit, & quæ aliæ erant ejusdem ponderis rationes, de quibus cuilibet sine detrimento pietatis & orthodoxiæ facultas judicandi permissa est. Mecum in hoc negotio sentit vir præstantissimus P. *Conradi*, S. Theologiæ in Academia Franequerana Professor dignissimus, in oratione lectu dignissima, de *necessariis Theologi Polemici virtutibus.* Verba ad scopum meum facientia

tia

tia sic sonant: „ Fuerunt (*inquit*) omni ecclesiæ tempore, nec „ desunt etiamnum, quibus christianæ tolerantiæ nomen pene ig„ notum, imo tantum non invisum est, quique partium sectæque „ studio supra omnem modum dediti, ne vel minimum fere in „ rebus ad religionem pertinentibus, sive majoris, sive minoris „ momenti, dissensum ferendum, nec pacem & ecclesiæ commu„ nionem cum illis, qui a communi vulgo receptarum opinionum „ tramite vel tantillum recedant, aut ineundam, aut colendam „ censent; quam animi sui sententiam, si non aperto ore profe„ rant, praxi saltem sua ac disputandi methodo satis superque pro„ dunt. Dum enim pro suis, aut partium suarum placitis acrius „ pugnant, minutissimas sæpe de rebus nihili quæstiunculas ita ex„ aggerant, quasi in periculosissimo essent errore, qui in istis di„ versum a se sentiunt, suarumque opinionum de rebus sæpe du„ biis, atque in ecclesia semper controversis, momentum ita ex„ tollunt, ut hæreseos, aut saltem heterodoxiæ in ecclesia non to„ lerandæ dicam iis scribere non vereantur, qui in omnibus illis „ assentiri nequeunt. Quod (NB.) ut facilius obtineant, certa quæ„ dam dogmata, fidei fundamentum haud quaquam attingentia, „ systemati suo, quod aut ipsi concinnarunt, aut a majoribus & „ magistris suis acceperunt, ita innectere solent, tamque arcto ne„ xu veritatibus fundamentalibus illigare conantur, ut illa nec ne„ gari, nec labefactari posse, sibi aliisque persuadeant, quin to„ tum systema reddatur mutilum atque hiulcum. Quod si ergo „ reperiantur, qui, licet modeste & nonnisi veritatis studio adacti, „ dogmata ista ad verbi divini ac sanæ rationis normam expendere, „ varias, quibus premuntur, difficultates ingenue in medium pro„ ferre, suasque opiniones libere illis opponere sustineant, mox „ salutis compagem solvi, formamque sanorum verborum negligi „ vociferantur; mox ecclesiam in periculo esse clamant, in quam „ prava ejusmodi dogmata invehantur, actum de sancta civitate, „ si exitiales ejusmodi errores in ecclesia tolerentur, fidei purita„ tem modis omnibus servandam, jamque faces & saxa volant, „ furor arma ministrat: jam parata convitiorum plaustra: jam „ erecta rigidissimæ inquisitionis tribunalia: jam dirarum atque ana„ thematum in homines sæpe innocentissimos temere vibratorum „ nullus modus. Quæcumque proloquuntur moderatiores, quæ-

„ cunque in contrarium scribunt, non attenduntur, quin potius in „ perversum rapiuntur sensum: Patres sunt sequendi, communis „ trames ineundus est, damnandi, ecclesia ejiciendi, imo orco addi- „ cendi sunt, quicunque ab eo recedunt; adeo ut pauci reperian- „ tur, qui mitiorem de illis sententiam pronuntiare audeant, nisi „ qui pectus habeant, contra minaces zelotarum vultus triplici ære „ munitum. Hac ipsa ratione, quod profecto satis deplorari ne- „ quit, earumdem partium Doctores atque Theologi non raro in- „ ter se committi deprehenduntur, qui licet tam arctis inter se „ colligentur vinculis, licet tot nominibus ad unitatem spiritus per „ vinculum pacis servandam sint obstricti, licet unus illis sit Do- „ minus, una fides, unum baptisma, unus Deus & Pater omnium, „ qui est supra omnia; verbo, licet quod ad fidei summam, eadem ince- „ dant regula, ac circa primaria omnia, de credendis & faciendis, „ doctrinæ christianæ capita accuratissime consentiant, sæpe tamen „ propter levem quendam de rebus minimis, imo de ipsis subinde „ vocibus ac terminis, non eodem utrimque sensu intellectis, dis- „ sensum, aut propter exiguam quamdam opinionem de rebus „ arduis atque involutis, quæ in hac mortalitate definiri nequeunt, „ discrepantiam a se invicem, pacis ac fraternæ caritatis vincula „ rumpunt, convitiis omnis generis se mutuo discerpere, commu- „ nibusque heterodoxiæ criminationibus infamare non erubescunt, „ atque intestinis dissidiis omnia replentes in propria viscera sæ- „ viunt, ad ingentem piorum omnium luctum, ad manifestum in- „ firmorum scandalum, adversariorum denique in nos insurgen- „ tium, nosque per nos ipsos destruentium ludibrium. „ Hacte- nus cordatus ille Theologus reformatus.

Et quodnam tandem magis illustre exemplum dari potest, quid valeant contentiosi Theologi, quam diuturnus ille & funestus, qui inter Reformatos & Lutheranos adhuc dum intercedit, dissensus? Cordati omnes Theologi reformati fatentur dissensum, qui inter ipsos est de quibusdam religionis articulis, non esse fundamentalem, sed levem, imo talem, ut in una eademque ecclesia, academia, gymnasio & schola, tanquam amici & fratres tolerari pos- sint Doctores, vel reformatæ vel lutheranæ sententiæ de prædesti- natione & gratia addicti. Hoc non obstante quidam ex iis Do-

ctoribus,

ctoribus, qui Lutherum sequuntur, momentum dissensus ita extulerunt, ut putares Reformatos vix dignos esse titulo Christianorum, & rectius eos facturos, qui amicitiam cum Pontificiis alerent, quam cum *Calvini* & *Zvvinglii* asseclis. Verbis meis fidem faciant ea, quæ mitissimi & perspicacissimi ingenii Theologus S. Werenfelsius de hoc argumento in medium attulit: „ Qui nescit (*inquit*) „ atque utinam id nesciri posset! esse inter eos, ad quos tanquam „ fratres complectendos toties heu toties frustra! brachia nostra „ extendimus, qui magis nostros amplexus horrent, quam infesta „ inimicorum odia; quam credulitatem eorum, qui non verbis, „ sed ferro, flammisque cum adversariis suis disputare solent; „ quam tam intolerabile tot humanarum traditionum jugum; quam „ superbissimum ejus, qui se supra omnes reges effert, dominatum; quam barbarum illud, quod inquisitionem vocant, „ nescio cujus Phalaridis inventum? quos facilius adduceres, ut „ Babylonem reversi, cum iis fœdus inirent, quorum doctrinam „ ut antechristianam, quorum cultum ut idololatricum, quorum „ regimen, ut conscientiarum carnificinam, majores suos tanta so„ licitudine fugisse sciunt; quam, ut non dicam cum iis in gratiam „ denique redirent, sed quoque modo tolerarent, saltem non omni„ bus diris devoverent eos, qui una cum ipsis Babylonem reliquerunt olim, cultum ejus, doctrinam & tyrannidem abominan„ tur etiamnunc, sævitiam ejus sentiunt pariter, jugum ejus pari„ ter extimescunt. Tantarum vero irarum causa est, non aliquis „ in fundamento fidei dissensus, sed (quod nemo non videt, qui „ modo aut rationis compos est, aut aurem illi præbet) in pau„ cis quibusdam, si non levibus, certe essentiam christianismi „ nullo modo constituentibus. „ Hactenus excellentissimus ille Theologus.

Mirum autem est, dari inter reformatos Doctores non paucos, qui quidem pleno gutture clamitant, Lutheranos fratres nostros esse, fratres in Christo conjunctissimos: ubi vero Reformatus aliquis de gratia & prædestinatione cum fratre adeo amico sentit, pro heterodoxo & hoste vix in ecclesia ferendo haberi & sæpe tractari solet. Mira hæc est & prorsus insolita amicitiæ ratio, quam quivis cordatus reformatæ ecclesiæ Theologus longissime a se remotam

motam vellet. Ad hoc vitium proxime accedit ſtudium ſingulare, ex diſſentientis propoſitionibus innumeras nectendi conſequentias periculoſas, atque ad eum odioſum reddendum unice comparatas. Certe multi Theologi & V. D. Miniſtri aurifabris ſimiles ſunt, qui ex parva argenti vel auri maſſa fila deducunt multiplicia & tenuiſſima, non quod artis cogitandi præter alios peritiores ſint, hoſtes enim ut plurimum ſunt hujus diſciplinæ; ſed quod patent, ſe hac ratione facillime diſſentientem oppugnaturos, victoriam de eo reportaturos, & ſtrenui pro orthodoxia militis famam adepturos: in quo tamen boni illi homines vehementer falluntur. Solent enim illi, quos exoſos reddere volunt, artem arte eludere, & ſimili argumentorum genere adverſus eos uti. Licet equidem cordato viro theſin aliquam oppugnaturo oſtendere, quid per legitimas conſequentiarum leges ex diſſentientis ſententia elici poſſit, & tentare utrum eum eo perducere poſſit, ut theſin ſuam, omneſque ejus partes & complexum denuo rite expendat. Ita ex doctrina de conſubſtantiatione, & transſubſtantiatione, ut de aliis opinationibus nihil dicam, per legitimas conſequentiarum leges poſſunt repeti conſectaria, quibus ſolvendis auctores harum theſium impares ſunt. Et hactenus cordati Theologi non peccant. At noſtri, de quibus agimus, contentioſi Theologi, nonſolum periculoſa & religioni omni adverſa ex diſſentientis ſententia nectunt conſectaria; ſed & ea conſiderant, tanquam certas propoſitiones ab ipſo diſſentiente admiſſas, ex quibus deinde de univerſa religione ejus judicant, quod iniquum ſane eſt. Cogitandum enim, poſſe hominem aut defectu judicii, aut educationis & inſtitutionis vitio, tanquam ſaxo adhærere cuidam ſententiæ, quam juvenis imprudens admiſit, neque expendit, licet ea valde pugnet cum aliis veritatibus, iiſque certiſſimis & extra dubitationis aleam poſitis. Inprimis vero hoc obſervandum eſt, ubi deprehendimus errantem, nonſolum graviſſima religionis capita ſanctiſſime credere & colere, ſed & veræ & maſculæ pietatis ſtudioſum eſſe, atque deteſtari placita, quæ forte non male ex ſententia, quam defendit, erui poſſunt. Ita novimus, cl. Theologum Genevenſem Pictetum τον νυν ἐν ἁγιοις, Calvini abſolutum decretum de fatis hominum defendentem, in lachrymas reſolutum fuiſſe, quando illi conſectaria, quæ ex hoc dogmate colligi poſſe quidam confidenter affirmant, ante oculos poſita fuere.

Ex

Ex eodem turbido fonte repetendum, quod noſtri acutum cernentes Theologi, neſcio quæ pericula ex hac vel illa nova opinione exoriri putent, ubi oculatiſſimus quiſque ne ſpeciem quidem erroris alicujus deprehendit; nimirum quærunt hi homines, quod nuſpiam eſt, reperiunt tamen: ſimiles ſunt illis, qui ſpectra & lemures ubique ſed noctu deprehendunt, phantaſiæ nimirum & ſuperſtitionis morbo deluſi. Quoties ego in talium conſequentiarum fabricatorum & textorum ſcripta incido, mihi invito & reluctanti incidit illud axioma ruſticorum calendario illatum:

Matheis bricht Eis, Findt er keins, So macht er eins.

Ita notum eſt, quantas tragœdias ſuperiore ſeculo in Belgio excitarint notiones de libertate, de conſcientia errante vel non errante, de uſu rationis in theologia, de methodo convincendi homines de veritate religionis chriſtianæ; noſtra vero ætate de mundo optimo, de fato, de animabus brutorum & ſimilis metalli argumentis, quæ accuratis exhibitis definitionibus facile componi potuiſſent. Nimirum quam primum novum aliquod philoſophandi genus, quod ſingulis ſeculis fieri ſolet, inducitur, nova Theologis, contentioſis cumprimis, rixandi materies ſuppeditatur. Novæ enim illæ hypotheſes infelici fato cum religione ſtatim miſcentur, & ad has vel illas ſyſtematum theologicarum partes probandas adhibentur, unde ſucceſſu temporis eandem vim & auctoritatem habent, ac articuli religionis graviſſimi. Theologi quidem veterani primo quidem pedibus manibuſque novis illis hypotheſibus reſiſtunt, ut plurimum vero a junioribus illis athletis ſuperantur, victaſque manus dare debent. Hi vero gaudio exultantes, mirificam poſtea ſeſe religioni allaturos lucem promittunt, licet tenebras potius ſimpliciſſimis veritatibus offundant. Et ita ſæpiſſime per ſeculorum decurſum eadem luditur fabula, & tantis laudibus elata orthodoxia pro temporum & Doctorum varietate & voluntate mutatur.

Ita novimus, ſuperiore ſeculo novas virorum celeberrimorum *Cocceji* & *Carteſii* opiniones ſyſtematibus theologicis fuiſſe illatas, quas hodierno die pauciſſimi admittunt vel laudant. Atque hæc quidem mihi cauſam ſuppeditant aliquid de orthodoxia, quam fre-

quenter in ore habent Theologi contentioſi, & qua ad alios denigrandos & ſuſpectos in religione reddendos tanquam cœlitus dato pharmaco utuntur, loquendi. Nimirum vi vocis is eſt orthodoxus, qui de re aliqua vel de argumento, cujuſcumque naturæ id ſit, recte ſentit; conſuetudine autem factum eſt, ut is de religione rite cenſere dicendus ſit, qui eam, in qua natus eſt, receptam religionem acriter tuetur. Cum autem omnes, qui ſenſu communi non deſtituuntur, recte ſe de religione ſentire exiſtiment, patet, quemlibet ſua opinione orthodoxum eſſe; unde manifeſtum ſimul eſt, eos omnes ridicule agere, qui propterea jus aliquod & poteſtatem in alium diverſa defendentem ſibi arrogant, protinus enim diſſentiens reſpondere poteſt & dicere: ego de religione recte ſentio, adeoque etiam orthodoxus ſum; tu igitur ſententiæ meæ ſubſcribere debes. Ex quo ſequitur, neceſſe eſſe, ut quilibet antequam ad alium accuſandum præceps ruit, ſciat, in quo tandem ſapientiſſimorum & præſtantiſſimorum Theologorum judicio veri nominis orthodoxia conſiſtat. Eam autem cordati quique abſolvi putant cognitione veritatum graviſſimarum in Evangelio Jeſu Chriſti clare patefactarum, ad pietatis ſtudium mirum quantum facientium; veritatum uno verbo, ſine quarum notitia nemo Chriſtianus ſpem certam conſequendæ ſalutis habere poteſt. Hæc veræ orthodoxiæ capita, Theologi ſapientes rite repræſentanda, probanda & inculcanda eſſe, imo contra adverſarios tuenda, jure meritoque arbitrantur. Longe aliter ſentiunt & agunt contentioſi noſtri Theologi, artis cogitandi & nobiliſſimarum diſciplinarum ut plurimum rudes, & in macilentis duntaxat quibuſdam & eriſticis ſcriptis verſati: orthodoxiæ nomine intellectas volunt omnes opiniones, a patribus vel majoribus inventas, graves & leves, utiles & inutiles, obſcuras & claras; has ſcholaſticas hypotheſes, vel meras opinationes parum profuturas, imo aliquando pietati & religioni detrimentoſas, cum omnibus hactenus inventis diſtinctionibus & diſtinctionum diſtinctionibus eſſe ſerio inculcandas, ſervandas, & cum omni fervore tuendas, imo ad ſeram uſque poſteritatem tranſmittendas. In ſtrenua igitur harum opinionum & hypotheſium defenſione veri nominis orthodoxiam repoſitam eſſe, quo ſunt ingenio & eruditione inſtructi, audacter affirmant, ſecuſque ſentientes merito ſuſpectos eſſe clamitant:

cumque

cumque audiant, principes quosdam reipublicæ viros aut serio vel dicis gratia suæ accedere sententiæ, exorta levi controversia eos adeundos esse putant, ut dissentientes, quos argumentis, qua sunt imperitia, in viam reducere non possunt, horum auctoritate comprimant. Novi hac arte multos inde a temporibus reformationis ad hunc usque diem usos & adhuc uti, quoniam disceptatum quidem fuit, sed non satis inter Protestantes definitum & explicatum, quibus tandem terminis circumscribendum sit jus, quod in conscientias habent Imperantes & sacri ordinis viri, de qua delicata controversia jam quidem pluribus differere nolo: sufficit, quod constet, contentiosos Theologos, ubi de controversiis agitur, frequentissime Principum auxilium implorare. Ad me quod spectat, nunquam mihi persuadere potui, necesse esse, ut illi, qui prudentiæ civilis studiosi sunt, atque ad rempublicam sese applicant, omnes minutas controversias, non dicam ab incunabulis ecclesiæ christianæ, sed a temporibus duntaxat emendatorum sacrorum exortas, nonsolum historice cognoscant, sed de earum pretio exactissimum ferre possint judicium. Per se satis onerosa est reipublicæ cura, neque adeo necesse est, ut controversiarum scholasticarum indagine & non necessaria decisione ea augeatur. Neque hoc contenti sunt sæpe contentiosi homines, sed eo usque progrediuntur audaciæ, ut in ipsis ædibus sacris, pietati duntaxat & paci sacratis, innocuas coram plebe opiniones fratrum, quos omni modo exosos reddere volunt, vellicare non erubescant, quæ res quantum ad promiscuas lites, scandala, & religionis omnis contemtum faciant, omnes facile intelligunt. Frequentissime hoc in cœtibus Protestantium factum, agmine testium probare possem, si quidem id necesse esset; unum aut alterum exemplum adduxisse sufficiet.

H. *Bullingerus*, *æternum ecclesiæ nostræ tigurinæ decus*, scripsit anno seculi decimi sexti septuagesimo secundo aureum libellum, cujus titulus est: *Adhortatio ad Ministros ecclesiæ Christi omnes, ut abjectis controversiis Christum solum ac veram in ipsum fidem & vitæ respiscentiam concorditer & simpliciter prædicent.* Qua occasione id factum sit, ita memorat celeberrimus *Hottingerus* Pater in Bibliotheca tigurina, ipsius *Bullingeri* adductis verbis: *Quando*, inquiebat Bullingerus, *adhortationem hanc scribebam, fervebant passim in ecclesia plurima*

de capitibus religionis certamina, multique Miniſti ex cathedra proniores erant ad convitiandum & rixandum, quam vero ad docendum. Unde ad eccleſiæ ſolatium hanc edidi.

Idem ſuperiore ſeculo occaſione infauſtarum litium, quæ inter Coccejanos & Voëtianos in Belgio potiſſimum exortæ fuerunt, actum fuiſſe narrat H. *Witſius*, Theologus inter Reformatos celeberrimus. Verba ejus attentione digniſſima ita ſonant: „ Nunquam „ melius comparatum fuiſſe arbitror cum populo chriſtiano, quam „ quando ſua ſe involvens credendi Evangelio ſancteque vivendi „ integritate, procul eſſe juſſis curioſarum quæſtionum argutiis, in „ caſtro Dei Chriſtique amore & certa æternæ vitæ exſpectatione „ deliciabatur. Ita Chriſtum ab Apoſtolis didicerat priſca gens fi„ delium, quæ ſimplici & impolito ſermone edocta, ſed miſſorum „ ad ſe a Deo oratorum incredibili ſanctitate commota, zelo accen„ ſa, prodigioſis operibus perſuaſa, & accedente interea divini „ Spiritus illuminatione efficaciter de veritate convicta, ad Jeſum „ Chriſtum Filium Dei tanquam unicum ſalutis auctorem confu„ giens, ejus ſe nutui ducendam regendamque tradebat, tam ig„ nara ſubtilium diſputationum, quam ſtudioſa pietatis. Tunc fuit „ quum chriſtiana fides vim ſuam omnem in animis mortalium exe„ reret, magisque eos ad mortem pro Chriſto fortiter oppetendam, „ quam ad contentionem de obſcurioribus religionis articulis acri„ moniam animaret. Atque hinc eſt, quod ſæpe mecum animo „ cogitaverim, feliciſſime fortaſſis cum iis hominibus agi, qui non „ cognoſcentes niſi Jeſum Chriſtum, eumque crucifixum, & ex „ Evangelii præſcripto temperanter, juſte, & pie viventes, de Theo„ logorum rixis ne fando quidem audiverunt. Et hanc NB. non „ minimam calamitatis noſtræ vel certe moleſtiſſimam officii partem „ eſſe exiſtimo, quod qui rei chriſtianæ præſtites ſumus, in ſpino„ ſarum controverſiarum difficultatibus enodandis prolixam ſæpe „ operam impendere cogamur. Ita ſeculum eſt: litibus perſtre„ punt omnia. Ne ea quidem æde excepta, quam paci & concordiæ „ ſacravit Deus. „ Ita *Witſius*. Animus erat, Auditores O. O. præſtantiſſimi ulterius progredi, atque reliquas μεθοδικὰς Theologorum contentioſorum, una cum præcipuis hujus morbi cauſis repræſentare; at arctis temporis cancellis cum me incluſum eſſe

ſentiam,

sentiam, citis passibus ad perorationem festino, pauca quædam adhuc cum S. Literarum studiosis de hoc argumento locuturus, eosque, quantum in me est, adversus pestilentem illum animi morbum præmuniturus, & salutaria quædam antipharmaca suppeditaturus. Firmissime enim persuasus sum, me parum provide acturum, imo contra το πρεπον peccaturum, si vobis reipublicæ & ecclesiæ proceribus longa oratione ostendere vellem, quam sint contentiosi ejusmodi homines saluti ecclesiæ & reipublicæ noxii; quas lites inter fratres excitent, alant & foveant; quanta scandala simplicioribus, profanis vero & religionis christianæ contemtoribus ridendi & triumphandi materiem præbeant; quantum hi homines inquirendæ veritatis studio obsint, & illud sufflaminent, præsertim si in gymnasiis & academiis sacra tractandi provincias nacti sunt; facile enim adolescentium animi, solida rerum cognitione hactenus destituti, & œstro quodam δοκησισοφιας & vanæ gloriæ perciti, ejusmodi contentiosorum hominum vestigia premunt, & successu temporis easdem tragœdias excitant. Hæc omnia vero cum vobis utriusque ordinis amplissimis & doctissimis viris satis nota atque perspecta sint, pluribus ingeminare necesse non est. Hoc unum vos per Deum immortalem & salutem ecclesiæ atque reipublicæ rogatos volo, ut quantum in vobis situm est, occultæ occurratis sannæ, neque facile susurronibus & fratrum obtrectationibus vacivas præbeatis aures; sed si necesse sit, eos serena fronte audiatis, quos vobis male sani zelotæ suspectos reddere satagunt.

Ad vos igitur me potius convertо, curæ meæ concreditos, sanctioris disciplinæ alumnos, futuros Evangelii Jesu Christi ministros, regulas quasdam vobis præscripturus, rationi & revelationi convenientes, quas si rite in animos vestros dimittetis, dubium non erit, quin pacifici, non vero contentiosi evasuri sitis religionis christianæ Doctores. Primo igitur ante omnia iis disciplinis rite cognoscendis incumbite, quæ animos vestros de divinis & humanis rebus rite judicandi instruere possunt, intelligo autem, quod facile videtis, culturam rationis & disciplinas philosophicas. Probe discenda est ars cogitandi, quæ verum a falso, momentosum a levi, certum ab incerto, probabile a dubio rite distinguendum injungit, & genuinos præjudiciorum detegit fontes. Profecto experientia

omnium temporum docuit, pauciſſimos inter contentioſos Theologos exſtitiſſe, qui animum hiſce diſciplinis rite excultum habuerint. Animos cumprimis mature ſatis contra pravos affectus, δυσσεβειαν, ſuperbiam, iram, altercandi ſtudium præmunite: hi enim ubi ſemel dominantur, nubila mens eſt vinctaque frenis, fierique aliter non poteſt, quam ut frequenter in nervos erumpant. Memini hac occaſione colloquii alicujus, cum reverendo *Jüngstio* Theologo Bremenſi, nunc cœlitibus adſcripto, habiti. Incidit nempe, ut fieri ſolet in promiſcuo ſermone, materia de hæreſi & hæreticis. Et poſtquam de antiquis pariter & modernis locuti eſſemus, meque pro ætate qua tum eram, non plane hoſpitem eſſe animadvertiſſet in hiſtoria eccleſiaſtica, quæſivit ex me, an non putem in ipſis Proteſtantium cœtibus dari Theologos & V. D. Miniſtros æque periculoſos, & rebuspublicis & eccleſiis noxios, ac ſunt illi, quos hæreſeos labe infectos eſſe communiter creditur. Ego altum ſervavi ſilentium. Tum ille (ut erat feſtivi ingenii) ſubridens dixit: *Ich will euch hiermit ſagen, welche ich zu allen Zeiten fyr eben ſo gefæhrliche Leuthe in der Kirche gehalten, als die ſo geheißnen Kæzer, das ſint die Herren* Selbiſten *oder* Egoiſten.

Quo nomine, ita perrexit, omnes eos Doctores & V. D. Miniſtros, etiam Proteſtantium cœtibus addictos intelligo, qui nihil rectum & orthodoxum eſſe putant, niſi quod cum opinionibus ſuis, cum lacte quaſi materno hauſtis, convenit; qui de lana caprina tanquam articulo graviſſimo diſputare ſolent; qui fratres in una eccleſia docentes inter ſe committunt; qui exorta levi diſſenſione tantos clamores excitant, ut putares Hannibalem ante portas eſſe; qui nihil aliis condonant, omnia vero ſibimetipſis remittunt; qui in pervidendis ſuis talpa cæciores, in aliorum vero taxandis erroribus oculatiſſimi ſunt; qui de quibuslibet minutis opinionibus ferram diſputationis reciprocare amant &c. Hæc verba alte in animum demiſi, & creſcente ætate non magnopere a vero aberraſſe ven. virum deprehendi. Emenſo curſu academico vel ſcholaſtico, legite, ſi vacat, præſtantiſſima quæque adverſariorum religionis noſtræ ſcripta, omniaque ἀτερ παθων expendite: profecto non ſemel deprehendetis, multa ipſis ſæpe falſo impacta, neque vim argumentorum, quibus ſententiam ſuam ſuperſtruunt, ſincere ſemper fuiſſe repræſentatam. Inprimis vero operam date, ut de di-

vina

vina origine religionis christianæ sitis penitus persuasi & convicti. Hoc si præstabitis, sordebunt vobis controversiæ de rebus minoris momenti, neque precioſissimum tempus in iis cognoscendis vel acriter tuendis collocabitis. Præjudicia auctoritatis, novitatis vel vetustatis, mature satis ex animis evellite, inprimis vero serio & frequenter cogitate de officiis, quibus V. D. Ministri defungi debent, & manifestum satis erit, per totum cursum ministerii vestri pugnandum vobis fore non cum varii generis hæreticis, aut mustearum opinionum conditoribus & defensoribus, sed cum vitiis & erroribus practicis veram religionem devastantibus. Ex quo colligere facile potestis, missas esse faciendas inutiles quæstiunculas & minutas controversias, eaque potissimum edisscenda & urgenda, quæ vos pariter & auditores vestros sapientiores & meliores reddere possunt.

Legite eum in finem mature τῷ μακαρίτῃ celeb. Werenfelsii meditationes de officiis Doctoris Theologi, de virtutibus & eruditione, quæ V. D. Ministro inesse debent; de controversiis theologicis rite tractandis; de vero & falso Theologorum zelo; de logomachiis eruditorum. Hisce præter alia adjungite ven. Antistitis nostri elegantissimam & lectu dignissimam orationem, Museo helvetico insertam, qua Apologus de religione sectatores suos recognoscente & lustrante narratur. Inter alia ita loquitur venerandus vir: „ Quum „ horridus tubarum clangor nationes evocabit, & Rex Deo satus, „ nova luce fulgens, cunctis gentibus immota jura dabit, numnam „ tunc loci quæsiturum putatis, & scrupuloso examine ponderaturum, quæ prima primi peccati causa sit; utrum ne Adam, gentis „ humanæ sator, fati, an sponte suæ crimine captus fuerit; an voluntas proprio stet arbitratu, rectoris expers; unde originis lues „ immissa sit terris; num anima sit tradux poli, an cum parentum „ semine procreetur; quis ordo rerum, sitne instabili fortunæ locus, an cuncta irreflexis constent legibus vique ineluctabili; an „ Deus, supremus rerum omnium arbiter, absoluta sorte illos salutí destinet, hos sempiternis ignibus; num hic mundus sit optimus, ut meliorem Deus condere non potuerit; utrum essentiæ „ rerum æternæ sint, an temporariæ; & si æternæ, num necessariæ in Deo, an arbitrariæ; quæque alia otiosa mens multo „ cum labore perpetim quærit, & vix tandem invenit? quorsum „ quæso,

„ quæso, ista tendunt? quid tot disputationibus, tot velitationi-
„ bus & tricis opus est? *Vox* illa, divino ore missa, veri fide
„ dignissima testis, & vitæ datrix certissima, vox quæ salutem
„ nunciat respiscentibus & credentibus, late per omnes mundi
„ plagas dicta est. Nullum juvabit inscientiæ color, nec curiosæ
„ indaginis indigemus; meridiano sole clarius liquet illa Ter Sancti
„ Numinis voluntas, quæ fidelibus & a pravitate morum ad vir-
„ tutis studium reversis cœlum recludit. Hanc septuennis puer &
„ aure hausit, & animo complecti potest. Quidni hic limes sit,
„ quem hoc illove modo demutare aut transire nefas ducendum?
„ Quidni multa defixi metu miremur, haud rimemur, cum inquiri
„ haud deceat, quæ mortalium imbecillitas non capit, & insanien-
„ tis scientiæ opus sit, plura scisciteri, quam Deus docere vult?
„ Legem supremam veritatis continet cœleste verbum, ad cujus nor-
„ mam omnia omnium aliorum dicta & scripta sunt exigenda.
„ Hæc est amussis, ad quam cætera exæquanda; hæc est cynosura,
„ index poli fallere nescia; hæc verba sunt ancilia cœlo lapsa,
„ nulli movenda; hic hæret ille terminus, quem qui ducem secta-
„ tur, & rectam fidem amore mixtam, is solus verum videt. Et
„ si in disciplina militari laudi habetur, imperia ducum non in-
„ terpretari, sed exequi; quanto magis id valebit in disciplina chri-
„ stiana, quæ sane non contando, sed parendo constat? „ Hacte-
nus ven. Antistes. Quod si aliquo veri studio tacti estis, mature
hæc ad animos revocabitis. Jam suo tempore *Seneca* dixerat: „ An-
„ tiqua sapientia nihil aliud quam facienda & vitanda præcepit, &
„ tunc longe meliores erant viri; postquam docti prodierunt, boni
„ desunt. „ Simplex enim illa & aperta virtus in obscuram & so-
lertem scientiam versa est, docemurque disputare, non vivere.
Frequentissime vobis ob oculos ponite ingeniorum humanorum
diversitatem, & facile deprehendetis, per rerum naturam fieri
non posse, ut homines per omnia idem sentiant. Nolite igitur
statim contra dissentientes, inprimis ubi agitur de quæstionibus le-
vioris momenti, aut ingenium humanum superantibus, parata
tollere cornua; nam quod aliis contingit, etiam vobismet ipsis eve-
nire potest. Facile enim in optimi cujusque animum irrepit error.
Denique frequentissime in memoriam vobis revocate definitionem
Theologiæ, datam ab Apostolo Jacobo cap. III. v. 17. non quidem
scholasti-

scholasticam, sed tanto magis evangelicam, ita sonantem: *At superne oriens sapientia primum casta est, deinde pacifica, æqua, obsequiosa, pietate bonisque referta fructibus, severa & minime simulatrix.* Quod si his & aliis monitis vacivas præbituri estis aures, sperari merito potest, vos divino auxilio adjutos suo tempore non contentiosos, sed pacificos, pios, cordatos & veri amantissimos evasuros esse Theologos, & V. D. Ministros.

Quod ut fiat, Deum omnis boni auctorem supplicibus precibus rogamus. Claudamus hanc orationem voto & verbis Theologi excellentissimi, τῦ νῦν ἐν ἁγίοις, S. *Werenfelsii*, quæ ita sonant:

O utinam terris pietas antiqua rediret,
Simplexque & nondum litigiosa fides!
Religioque foret, non bella iraque fovere,
Quæ Christi lacerant, heu sine fide! gregem.
Cessaretque error, vanis modo ritibus illum,
Et tantum externa sedulitate coli:
Sed cordis probitas divini maxima cultus
Pars foret & recti non simulatus amor:
Et Christum puro & sincero corde vereri,
Seque adeo tota tradere mente Deo.
Christe ah delusis, monstra, quid denique poscas,
Cum tibi discipulos poscis habere Fidem.

D I X I.

INDEX I.

Tractatuum, quos utraque pars hujus voluminis complectitur.

I. Dissertationum de recentiorum quorundam eruditorum præposteris adversus incredulos disputandi methodis quinque partes, I. pag. 3. II. 47. III. 93. IV. 139. V. 197.

II. Continuationes ejusdem materiæ duæ, altera de Fanaticismo Protestantium doctrinæ temere & falso impacto, p. 247. altera, qua probatur examen religionis, quod secundum principia Protestantium omnibus est instituendum, nec Indifferentismo patrocinari, nec tranquillitati publicæ officere, p. 311.

III. De pia & circumspecta in tradendis sanctioribus disciplinis sectanda simplicitate diss. VII. pars I. p. 364. II. 401. III. 462. IV. 501. V. 553. VI. 598. VII. 631.

IV. Diss. epistolaris ad D. Lud. Burgetum, de vera atque salutari pacis inter Protestantes ineundæ ratione; p. 663.

V. Meditationes binæ ad D. Davidem Lavaterum, de eo quod nimium est in studio inclarescendi, I. 699. II. 732.

VI. Dissertationes de crimine hæretificationis, ejus causis & remediis VI. pars I. 761. II. 798. III. 829. IV. 845. V. 890. VI. 923.

VII. Conjectura philolog. de Segnirim, ad Jesaj. XIII. 21. XXXIV. 14. p. 959.

VIII. Diss. ad D. Dan. Gerdesium, de Fato Stoicorum, binæ, I. 977. II. 1024.

IX. Epistola ad D. Nicol. Nonnen, qua Evemerus & Diagoras ab atheismo contra Plutarchum & alios vindicantur, p. 1052.

X. Dissertatio de Theologia M. T. Ciceronis, p. 1081.

XI. Dissertationes de Atheismo, ab à la Croze Jord. Bruno Nolano impacto, binæ; pars I. p. 1128. II. 1163.

XII. Oratio, de præcipuis S. Theol. Professoris virtutibus, 1189.

XIII. Oratio, qua imago Theologi pacifici exhibetur, 1222.

XIV. - - qua imago Theologi contentiosi fistitur, 1247.

INDEX

INDEX II.

Locorum S. Scripturæ, quæ allegantur vel illustrantur.

Levit. XVII. 7. pag. 963. sq. 969.
II. Cron. XI. 15. 963. sq.
Eccles. III. 11. 221. sq.
VIII. 16. 17. 118.
Jesaj. XIII. 1. 959. sq. 974.
XXXIV. 14. ibid.
Sap. lib. IX. 15, 16. 119.
* ubi indicia quædam dantur, recte eum librum in apocrypha referri.
Siracid. III. 22. 23. 122.
Matth. VI. 2. pag. 708.
Joh. III. 5. 436. sq.
XXI. 15. 211. sq. 223 * 244.
I. Cor. I. 18. sq. 123.
III. 2. 408.
Coloss. II. 8 125.
Tit. III. 20. 766. 776. sq.
Hebr. V. 12 - 14. 409.
VI 1. 412.
Apoc. III. 15. 774. sq.

INDEX RERUM.

A.

ACADEMIIS quales viri præficiendi sint, p. 341. seq. Studiosi Theol. ab utraque parte Protestantium in quasnam Acad. essent mittendi, 948. seq. 696. seq. Academiis Theologi utriusque familiæ admovendi essent, 670. vid. pacis.

de ACCUSATIONIBUS quorundam de aliis certo judicari non potest, 1070. 1056. seq.

de ALLEGORIARUM nimio studio monitum, 427. 507. sq.

AMBITIONIS lues & damna, 704. sq. & usus, ib.

AMOR veri non quærit quid parti, auctoritati &c. suæ inserviat, sed quid Scriptores S. senserint, 1195. -- in rebus gravissimis a Theologo erudito requiritur, 1194. amoris officia ex revelatione plus virium, quam ex theol. naturali capiunt, 294. sq. amor errantium est nota Christianismi, & præceptum rationis, 930. in amorem Dei & proximi Deistæ omnia resolvunt, cætera pro vero fanaticismo habent, 294. sq. amoris Dei, proximi incentiva, 52. sq.

ANALOGIA fidei quid plerumque valeat, & revera sit, 504. seq. 571.
ANALYTICA methodus quid de ea censendum, vid. methodus.
ANGELI, quid systema theol. de his docere debeat, 589.
ANGLICANA concionandi methodus in quo consistat, 474. sq. eadem commendatur, ib. vid. method.
ANIMAM mundi quandam præter Deum statuere est systema naturarum plasticarum, 1167. sq.
ANTIQUATÆ controversiæ & ritus quatenus cordatorum & sapientum Theologorum consilio abolendi essent, 809. antiquitas ecclesiæ romanæ quomodo sit nota certa infallibilitatis ejus, 155. sq.
ANTONIUS Prof. Theol. Hal. collegium polem. inchoaturus de impedimentis veritatis lectiones habuit, 1227.
APOCALYPSIS Johanneæ prolegomenon non inelegans cl. Bernhardi, 531.
APOSTOLORUM privilegia præ modernis V. D. Ministris, 942. -- acta & monita erga hæreticos, 765. seq. 870. 942. apostolicæ constitutiones examinantur, 429. sq. vid. Inspirat.
ARCANI disciplina antiquis Christianis usurpata quomodo consideranda sit: capita ejus, 431. sq. erat causa opinionum ineptarum, 433.
ARGUMENTA imbecilla pro veritate religionis christianæ nocent ipsi, 3. sq. 569. sq. -- quibus fides nititur & veritas auxilii S. Spiritus, quid sint, 101. -- Pontificiorum contra Protestantes sunt plerumque ita comparata, ut invicte probent, nonnisi per viam examinis ad controversias mutuas expendendas perveniri posse, exempl. Nicole, 223. sq. argumentum petitum ab erroribus, qui per examen rel. oriri in quibusdam possint, plus probat, quam probandum esset, 327. seq. argumenta quibus Oratores S. ad probandum thema quod uti debent, quomodo comparata esse debeant, 621. sq. argumenta a consequentiis petita plus probant, quam erat probandum, 681. argumenta a comparatione hæreticorum antiquorum & modernorum institutæ, inania sunt, 830. seq. 1256. sq. ubi Moshemii argumenta ab invidia petita sunt pessimæ notæ, 1256. sq. 1064 1068. sq. argumenta a verisimilitudine quid sint, 1118. sq.
ARISTOTELES taxatur, 745. sq.
ARNOLDI G. hist. hæreticorum laudatur, 772.
ARRIANI testimonium quid homini sapienti in hac vita sit præstandum, 378. sq.
ARTICULORUM religionis christianæ distinctio in fundamentales & non fundamentales est maxime observanda, 870. sq. 1234. articuli fundamentales definiri præcise non possunt, nec inde definiri potest, quatenus error excludat a salute, 369. sq. de articulis fundamentalibus singulare caput: systemata theologiæ habere deberent & quare, 574.
ARTIS cogitandi imperitia est causa defectus simplicitatis theol. 649. sq. ejus usus, 891. sq. ex testim. Wolfii, Breitingeri &c. Vid. Logic.
ATHEISMI accusatos vindicare cui bono servire debeat, 1070. sq. In atheismum prolabi facile est viro superstitionibus anilibus septo, nec verum a falso recte distinguenti, 1077. seq erectiora ingenia cur proscripto examine religionis, quando eam tamen privatim examinandam suscipiunt, in Atheismum, Deismum prolabantur, dantur causæ duæ, 330. sq.

Atheum,

Atheum, Deistam, Scepticum nuncupari quales homines sibi laudi ducant, 713. tales depingit Bayle, Evremont, & eorum exempla Epicurus, Tolandus &c. ib. sq. Atheorum numerum augere est male sanum, 1026. sq. 1059. Atheus quis, 1070. exemplum ejusmodi athei dari nequit, qui Deum quidem negaverit, sed cultui publice recepto obtemperaverit, & tamen patrio solo pulsus esse dicatur, sed Athei dicebantur plerique, quia opinionibus & cultui Deorum patrio refragati sunt, 1072. Christiani primi cur Athei vocati, ib. vid. superstit.

Auctoritas conciliorum incredulo parum valet, 152. sq. auctoritas majorum mox valet, mox abrogatur, 1254. sq. 913. sq. quatenus sit suspicienda, 810. sq. 1254. 643. sq. via auctoritatis non est medium reducendi Protestantes in gremium ecclesiæ romanæ, 128. via auctoritatis longe difficilior est via examinis, 201. via auctoritatis ad impossibilia obligat, 211. sq. - - hypocritas gignit, 232. via auct. non potest nisi violentia commendari, 233. via auct. Deistis religionem omnem ludibrio exponit, ib. via auctoritatis diversa est ab ea, quam Christus & Apostoli docuerunt, 237. sq. via auctoritatis Deum ad perpetua miracula obligat, 239. sq. via auctoritatis absurda alia multa involvit. 241.

Auctor biographiæ Fenelonii quis, 248. Auctoris Anonymi des lettres sur la religion essentielle à l'homme, distinguée de ce qui n'en est que l'accessoire, systema methodi novæ incredulos convincendi examinatur, 8. seq.

Auditores cœtuum Protest. quid ab iis requiratur ratione Sermonum S. 465.

Augustini libellus de catechisandis rudibus examinatur, 448. sq.

B.

Baptismi appellationes nimium exaggeratæ quid mali pepererint, quando lux, unctio, salus &c. dictus est, 435. ante baptismum infantes a malis dæmonibus occupatos esse, unde originem hæc opinio trahat, 440.

Baumgarten S. Sententia de necessitate revelationis divinæ laudatur, 266. seq.

Baylius corrigitur, negans Stoicos in materia quærere originem mali physici, 997. sq. refellitur, simile quoddam Chrysippi de cylindri motu ad explicandam originem mali compositum, exagitans, 1016. sq

Binghamus taxatur, collaudans Christianorum primorum inventa simplicitatem ceremoniarum magnificis titulis ornandi & negandi catechumenis conspectum Sacramentorum, 434. sq.

Bossueti episc. opera critica examinantur & refelluntur, 219. sq.

Buceri M. cogitata de hæreticis, 767. sq.

Buddeus stoicam theologiam impugnans examinatur. 1024. 1027. sq. quod Stoici Juris N. officia inde deduxerint, quod quivis homo pars Dei sit, 1029. sq. quod Deum animam mundi habuerint, 1033. sq. quæ rebus omnibus ita sit unita ut corpori anima, 1035. 1041. sq. ubi simul VI. Thomasii propositiones examinantur, vid. Thomasius, 1039. sq. quod docuerint de Deo ea, quæ cum doctrina de fato cohæreant, 1046. sq.

quod ineluctabile fatum docuerint, certe talia, quæ de providentia divina dici nequeant, 1046. sq. ejus judicium taxatur, 1021.
Bruni (Jord.) scripta de iis monita, 1129 sq. ejus mors ex epist. Scioppii, 1144. sq de natura & Deo systema, 1130. sq. 1135. libellus ejus, bestia triumphans an atheismum doceat, 1148. sq. ex lib. de immenso & innumerabili, qui spinosismum præ se ferre dicitur, schema propositionum, 1150. sq. singulæ examinantur, 1153. sq. accusatus ab à la Croze errorum V. gravissimorum, scil. universum unum esse Deum; Adamum nec protoplastum, nec hominum parentem fuisse; religionem christianam esse fabulam; & quod de Mosaica & ceteris religionibus affirmatur; nullam esse creationem, omnia esse æterna & necessario existere; animas hominum & animalium è corporibus in corpora migrare; sed ab his defenditur, 1164. sq de narratione Mosis non satis reverenter sentire videtur, 1174. caracter ejus sec. Brukerum, 1188. Spinosæ & Bruni systemata comparantur, 1155.

C.

Callimachi hymni ad Jovem quidam locus corruptus restituitur, 1055. sq.
Calvinus male Judaismi incusatur, 5.
Canonisatio Sanctorum; ejus origo; est merus Fanaticismus, 165. sq.
Cartesius an principia suæ philosophiæ ex Bruno hauserit, 1131.
Catecheticarum institutionum necessitas, 402. utilitas, ib. origo, 407. de voce κατηχειν, ib earum vestigia viris doctis videntur exstare in N. T. I. Cor. III. 2. Hebr. V. 12 -- 12. VI. 1. quæ loca expenduntur, 412. sq. de institutionibus catecheticis primorum Seculorum quid judicandum sit, 413. sq. quænam earum monumenta huc referantur & quo jure, 415. sq. de Symbolo Apostol. διδαχαις των Αποστολ. Hermæ pastore, ib. quomodo agendum in iis, 457. sq.
pro Cathedris inerrantes invehi male fanum, 831. sq. vid. orator.
Caussæ litium & dissensionum in Theologia sunt ignorantia, superbia, fervor disputationum, non dissensiones circa opiniones, 687. vid. causs. hæretif.
Certitudo sæpissime in caussa providentiæ cum necessitate confunditur, 1003. 1019.
Chillingworth, libelli ejus fata, 140.
Christianus verus mysteria, prophetias, miracula admittit, 33. 46. ad quid Christiani præcipue præparandi & muniendi sint, 656. sq. vid. Relig. Christianus & Philosophus quomodo & quo cum discrimine uterque moriens ad misericordiam Dei recurrat, 653. Christiani quomodo ex revelatione Deum mundo adesse edoceantur, & quomodo Stoici ea de re loquuti sint, ostenditur, 1037. sq.
Christi præcepta, quæ dura videntur, quomodo considerandæ, 623. sq. de solo Christo audiendo 381. vid. Jesus.
Cicero quomodo de Stoicorum fato, præcipue Chrysippi testis sit, 1016. seq. locus quidam divinat. per conjecturam restituitur, 1066. Ciceronis theo-

logia

logia taxatur, 1065. sq. ejus caracter, 1082. seq. pueritiæ laus, 1084. seq an fuerit philosophus, 1086. seq. Schotti argumenta pro Ciceronis philosophia examinantur, 1088. sq. officiorum liber judicatur, 1090. sq. Laudis insatiabili cupiditate laborabat teste epistola ad Luccejum, aliisque, 1091. sq. vivida imaginandi dicendive vi instructus fuit, quæ eum sæpe ultra veritatis regulas abripiebat, & in variis vitæ casibus varius, 1096. sq. ad jocos & verborum lusus inclinatus, 1099. sq. levis & inconstans in ratiocinando & agendo, 1100. sq. quid de religione ejus existimandum, an atheus & irrisor omnis religionis fuerit? 1102. sq. probatur, eum Deum, providentiam, leges naturales, immortalitatem animæ, admisisse, 1103. sq. ubi argumenta ejus, 1104. sq. unde systema theologiæ ejus sistitur, 1111. sententia ejus de immortalitate animæ præcipue expenditur, 1112. sq. a Collino religio Ciceronis suspecta redditur, & intra Scepticos refertur, quo jure disquiritur, 1116. sq. 1123. sq. contra Tolandi accusationes, quod Pantheista sive Spinosæ antecessor fuerit, vindicatur, 1120. sq. inter eos refertur, qui de religione rectius sentiunt, quam loquuntur, 1125. sq.

Citationes, ubi minime opus est, conglomeratæ, & ex linguis diversis, non sunt argumentum infallibile eruditionis, 711. quando sint utiles, 712.

Clementis Alexandr. caracter & judicium de ejus institutionibus catecheticis fertur, 418. sq.

Crameri R. vitæ fatorumque brevis delineatio, 1211. sq.

Critica moderata in S. Codice num sit illicita? 522. sq.

Cognitionis theologiæ imperfectionem meditari est medium contra hæretificationem, 955. utrum periculosum sit? ib. De imperfectione cognitionis esset singulare caput systematibus theol. inferendum, 573. solida, 489.

Concilia, quid de iis sit statuendum, 204. concilia probant ecclesiam romanam esse Fanaticismi ream, 173. 184. quod per partes exempl. concilii Tridentini ostenditur, ib. seq. conciliorum auctoritas incredulo parum valet, 152. seq. 205.

Conciones, quod tot Sacræ vim exiguam habeant in animos auditorum, caussa, 403. ubi Stakhouse, Roques, Osterwald citantur, ib. sq.

Concordiæ impedimenta urgent plures, sed dissensus incommoda non cernunt, 692. sq. vid. pax.

Confessionum publicarum relig. contenta, & quomodo sint considerandæ, 879. seq. quid de usu & abusu confessionum publicarum, & earum obligatione sit censendum, 875. sq.

Conscientiæ jura sive libertas in quo sit ponenda, ex testimonio Theologorum Protestantium, 358. sq. 675. sq. conscientiæ & juris ejus notitia est necessaria, 893. vid. libertas.

Consensus multorum nil facit ad probandam rei bonitatem, 152. sq.

Consequentiæ, quid de iis, ex aliorum opinionibus & thesibus deductis sit sentiendum, 883. quousque imputandæ aliis consequentiæ periculosæ, 1262. Regulæ generales circa consequentias observandæ, 886. sq.

Contemplativa vita quid sit, 745. sq. quænam res illæ sint, in quarum contemplatione plurimi lætantur, 747.

Controversiæ, quid circa eas observandum, 782. controversiæ de rebus minutis erga fratres agitatæ, quid mali apud plebem progignant, 786. sq. querelæ de multitudine novarum controversiarum non sunt nimium urgendæ, 383. quomodo agendum in controversiis inter Protestantes, 574. sq. quid simplicitas theol. in iis tractandis velit, monita quædam, 589. sq. quid in polemico requiratur: ib. sit gnarus veræ orthodoxiæ, 590. statum controversiæ perspectum habeat, & clare ponat, ib. in minutis erroribus non hæreat, 592. 770. momenta rerum noscat, ib. non infirmis argumentis utatur adversus graviter errantes, 594. errorem errantis non nimium exaggeret, 595. sq. placide & modeste disputandum, ib. eligendus antagonista excellens, 596. absit ineptus zelus, ib. controversiarum inutilium multitudo ad hæretificationem multum confert, 921. sq. controversiæ nonnisi momentosissimæ tractandæ, 927. sq. controv. studium duplicem habet notionem, 764. sq.

Cultus ecclesiæ romanæ externus est via ad incredulitatem, 130.

Chrysippi Stoici definitio Fati expenditur, 1006. sq. explicatio originis mali physici laudatur, 1008. sq.

Cyrilli Hieros. caracter & institutiones catecheticæ examinantur, 441. sq.

D.

Decreta Dei, de iis articuli tenendi, 689.

Decreta religionis, quæ a Protestantibus docentur, non patrocinantur Fanaticismo, 248. sq.

Deistæ male accusant Protestantes Fanaticismi, ideo quia revelationi subscribant, 272. seq. & quia ex rebus ignotis incentiva ad pietatem depromant, 282. sq. Deistæ omnia in amorem Dei & proximi resolvunt, cetera pro mero Fanaticismo habent, sed male, 294. sq. Deistarum sententia de simplicitate theologica, 385. postulata quædam, quæ plurimi Deistæ concedere debent, 287. sq. vid. problema.

Deus adpellatur Jesus, non ob excellentes virtutes solum, quod contra Souverainium ostenditur, 71. sq. in Deum injuria est, dicere, eum salutem hominum cupere, nec tamen facultatem dedisse viam ejus ope examinis inveniendi, 208. Deus Stoicis dicitur ignis artificiosus, quomodo, 985. sq. de Deo & operationibus ejus in mundum, quomodo hi docuerint, 1033. vid. Stoici. Deus num non sit colendus in spem remunerationis, 627.

Diagoras Melius ab Atheismo vindicatur, 1052. sq. quo titulo accusatus, 1069. sq. verba pro eo fiunt, 1070. sq. de Stillingfleeti judicio circa eum observatur quid, 1073. etiam circa Fabritii de eo censuram monetur quid, ib. sq. opinionis de Diis communiter receptæ subversor fuisse videtur, 1074. sq. ubi contra Baylium, Budddeum defenditur, ib. sq.

Dialogus inter Scepticum & incredulum de quibusdam gravibus religionis capitibus, de principiis religionis, de via auctoritatis, de conciliis, de fide divina, de transsubstantiatione, 104. sq.

Dictatoris instar de omnibus rebus scribere, dicere, est medium inclarescendi & quale, 712 sq.
Difficultatum in causa relig. exaggeratio nimia non est sine periculo, quod simili aliquo ostenditur, 206.
Digressiones nimiæ in libris taxantur, 1646.
Dii olim homines fuerunt, 1062. sq. Deorum vitia an modo a Poëtis efficta fuerint, 1058. sq.
Disciplinarum philosophicarum cultura commendatur, ut medium contra hæretificationem, 923. In disciplinis sanctioribus, quomodo præpostere agatur, 364. sq
Dissensionibus quæ occasionem solent dare, aut ab imbecillitate humana sunt, aut ejusmodi, ut arte & per media emendari possint, 353. sq. dissensus levis non tollat pacem, 673 sq.
Dissentientibus an possit silentium imponi, in gratiam eorum, qui incalescunt, ubi alia atque instituti fuerant, audiunt, 351 sq.
Distinctiones frivolæ & quæstiones inutiles abesse deberent a systematibus religionis christianæ, 485. sq.
Divinitas Jesu Christi adstruitur, 71. sq.
Doctissimi interdum in errores graves illabuntur. deliniti opinionibus quibusdam, 97. sq. doctorum virorum quæ debeant esse conanima tot morbis hominum medicinam salutarem adferendi, 761. sq.
Doctrinæ universalitas Pontificiis tantopere laudata non sine operoso examine cognoscitur esse nota infallibilis veræ ecclesiæ, 206. Doctrina de gratia breviter proponitur. 634. sq. quo ea ex consensu Protestantium tendat, 781. ea nil detrimenti patitur, si libertas homini tribuitur, 577. vid. simplicit.
Dogma fundamentale quod, 581. sq.
Dordracena Synodus, quomodo ejus auctoritas unioni Protestantium obesse possit, 682. sq.

E.

Ecclesiæ notio data, 223. sq. de loco ecclesiæ quiddam monetur, 573. ecclesiæ primæ doctores mysteria de J. Christo docuerunt, uti in V. & N. codice ad credendum data sunt, 58. sq 82. Ecclesiæ Gallicanæ differentia ab ultramontana, 103. sq. ecclesia sciri certo nequit, sine examine notarum ejus, quæ vera, 201. sq. vid. rom. eccles.
Eclectici theologi quinam, 323.
Egoista quis ille theologus, 1268.
Eloquentia, de ejus forma, 1096. sq.
Ephemerides quomodo esse deberent, 744.
Epistola ad Ephesios ut systema theologiæ insigne laudatur, & quid de ea re moneatur, 558. sqt
Error non est statim eo ipso Fanaticismus, quia error, 298. 304. error, unde momentum ejus judicandum, 594. 870. 915. quid sit circa errorem observandum, 883. error an hic vel ille a salute excludat, dici

certo nequit, quia numerus articulorum fundamentalium definiri non potest, 369. sq. errores leves exaggerare quid efficiat, exemplo Coccejanismi, Protestantium &c. docetur, 774. 1257. sq. errores unde plerumque oriantur, 323. 353. 931. errores practici sive hæreses practicæ sunt longe periculosiores theoreticis, 935. sq. errores patrum, majorum modeste ostendere an sit crimen, 816. sq.

Errantes plerumque existimant se recte sentire, & alios errare, 932. amor errantis est nota christianismi & præceptum rationis, 957. errat nemo sponte, 930. errantes circa articulos fundamentales quomodo tractandi sint, ubi Werenfelsius citatur, 882. errantes in viam sunt reducendi, 338. sq. media ejus sunt demonstratio veritatis & amor eorum, non vis & coactio, si etiam illa nil proficiant, 339. 824. si errantes pertinaciter errori adhæreant, examine ejus abutantur, & metus sit controversiarum finem nullum fore, quid agendum sit, 347. sq. si licet eos, qui ex mea opinione errant, persequi, idem ego eis jus meo exemplo attribuo agendi; jus errori & veritati idem competet, 354. sq. errantes in Novo Testamento ab Apostolis interdum comparantur cum invisis nominibus, & quare hoc iis licitum sit, quod hodie in vitio ponitur, 834. 870. in errantibus etiam virtutes veræ laudandæ sunt, 858. sq. 1196. errantes an liceat damnare, & quæ inde mala oriantur, ubi Arminius, Clericus, Moshemius, Chillingvvorth citantur, 869. sq. 874. 1204.

Eruditio si hominem ad fastum effert, unde sit, 753. quid inde malorum oriatur, 754. vere eruditorum judicia circa res momentosas, quomodo comparata sint, 712. & illorum, qui inani fastu tument, quomodo se habeant, sq. quis scopus sit vere eruditi in literis humanioribus, & hominis qui nonnisi inanem gloriam aucupatur, 718. sq. eruditissimi non in fama eruditionis, sed in testimonio bonæ conscientiæ præsidium quæsiverunt, docent exempla Lokii, Persii &c. 737. sq. eruditio theologica debet esse sapiens, 1192. sq. sit instructa cognitione disciplinarum philosophicarum, 891. amore veri in rebus gravissimis, 1194. notitia juris naturæ & ethicæ philosophicæ & christianæ, 899. cognitione juris & obligationis conscientiæ, ib. notitia historiæ ecclesiast. 894.

Ethicæ philosophicæ & christianæ usus, 752. sq. 893. 924. ejus studii necessitas, 601. cultorum ejus despectus unde oriatur, 602. ubi Bernardi testimonium adfertur, ib. & causſæ neglectus ejus, quod multi id quod in theol. eximium est, non cognoscant, parte theoretica contenti, 603. quod dein controversiis incumbant, 604. quod opinione imbuti sunt, facile esse corollaria ex dogmatibus eruere, ib. quod commiscetur ethica gentilis & christiana, 605. multum ad neglectum ejus definitiones hyperbolicæ & macilentæ, 606 sq. nec non quod multi systematis partes ut fidei essentiam nimium laudant, 608. etiam opinio, ethicam esse principiis rationis superstructam, 609. quid ethicæ philosophicæ accedat per revelationem sacram, 610. accedit auctoritas divina iis, quas ratione eruimus leges vivendi, ib. fundamentum ethicæ magnum momentum consequitur per doctrinam de immortalitate animæ,

mæ, 611. incentiva ad virtutem ampliora sunt, 612. exempla gravissima, ib. promissiones suavissimæ, ib. auxilium divinum, 613. ubi Clarkii testimonium adfertur. Vid. simplicitas.

EVANGELII mysteria male habentur ab auctore Anonym. des lettres sur la religion essentielle à l'homme &c. 10. sq.

EVEMERUS Messenius ab Atheismo vindicatur, 1052. sq. veterum de eo testimonia, 1054. ejus scripta, ib. accusatur a Plutarcho atheismi, 1055. defenditur ab eo, 1056. sq. accusatur a Callimacho, 1060. cur atheismi reus fuisse videatur, 1062. sq. 1062. sq. & quo titulo, 1064. sq. ab accusatione Ciceronis vindicatur, 1065. sq. contra Sext. Empiricum tegitur, sq. in numerum aliorum sic dictorum Atheorum refertur, & quo jure examinatur, 1068. sq. ab Theophilo Antiocheno atheis adnumeratur, & quo jure, 1077.

EXAMEN religionis a revelatione præscribitur, & requiritur, 150. 234. religionis examen cuivis incumbit, 127. examen religionis interdictum est res maxime suspecta, 127. examen locorum S. S. plebis ecclesiæ romanæ nil valet, quia privati hominis est, 184 sq. examinis via non præcipitat in Fanaticismum & Indifferentismum, 199. sq. 297. sq. 314. Pontificiorum argumenta contra viam examinis plus probant, quam probandum esset, 199. sq. 327. examen religionis qui difficultatibus insuperabilibus obnoxium esse dictitant, virtutibus Dei detrahunt, 207. Pontificii quidem examen religionis exosum reddunt, sed illuc scriptis suis invitant, & probant, 255. sq. Pontificii ad persuasionem plebis de articulis religionis hæc requirunt, 1. ut de authentia librorum S. convicta sit, 2. ut sciat utrum libri apocryphi reliquo canoni adjiciendi sint, nec ne; 3. ut persuasa sit de convenientia versionis cum originali textu; absque his decipi & in propositionibus quibusdam falsis velut divinis adquiescere, quod fanaticum sit, quod, quatenus verum sit, disquiritur, 303. sq. Via examinis est necessaria, ex scopo revelationis, 314. ex locis disertis Sacræ Scripturæ, 315. ex natura fidei, ib. ex fine miraculorum Christi, ib. ex judicii ultimi norma, ib. ex regulis prudentiæ, 316. ex eo, quod Jesus Judæos de intermisso examine vaticiniorum toties increpabat, ib. Examinis via non in Indifferentismum inducit, neque ex sua natura, nec ex revelationis indole, nec ex ingenii humani natura, 317. abusus examinis non tollit autem usum legitimum, 317. sq. non obstat præcipue nec imbecillitas ingenii humani, nec corruptio facultatum hominis, quod Pontificii potissimum urgent, 320. sq. nec examinis via in indifferentismum inducit, licet tot sint controversiæ, partes, sententiæ, interpretationum diversitas tanta inter Protestantes, 322. sq. examinis via se commendat a consensu plerorumque Christianorum in rebus capitalibus, 324. sq. examinis hujus neglectus est via in Indifferentismum & Scepticismum inter Pontificios, 329. sq. examine serio & accurato dignissimum esse disquirere, quousque usus & abusus confessionum, formularum fidei publicarum adstringat, & quis erroris gravioris vel levioris reus sit, 875. sq. torpor inveteratus ad examen religionis, circa id quod in ea eximium est, impedit simplicitatem theol. 661. sq.

EXEMPLI Soteris noſtri conſideratio, & rationis, qua uſus eſt erga diſcipulos & Judæos incredulos, eſt medium tolerantiæ contra hæreticationis malum, 940. ſq.
EXORCISMUS antiquioris eccleſiæ unde originem ſuam ducat, & quid de eo ſit obſervandum, 438. ſq. 937. ſq.

F.

FANATICISMUS quid ſit definitur, 162. ſq. 249. 609. reformata eccleſia fanaticiſmi a Nicole incuſatur, 162. 207. 223. Fanaticiſmi eccleſia romana potiſſimum rea eſt, 163. 242. 299. Decreta religionis apud Proteſtantes minime patrocinantur fanaticiſmo, 248. vid. Proteſtant. Dogmata religionis chriſtianæ non eo ſtatim ſunt fanatica, quia etiam ab eruditis imperfecte cognoſcuntur, 281. Fanaticiſmus, cujus eccleſiæ romanæ doctores accuſant Proteſtantium cœtus, in quo potiſſimum quærendus ſit, 297. & quam male ejus accuſentur, ib. ſq. Deiſtæ quatenus Proteſtantes fanaticiſmi incuſare ſoleant, vid. Deiſt. quatenus quidam Proteſtantium Doctorum fanaticiſmi rei haberi poſſint & quales, vid. pontif. rom. phraſ. Pyrrhon.
FATA philoſophiæ paulum oſtenduntur, 726. fata theologiæ proponuntur, ib. de fato Stoicorum notio duplex dari poteſt, 1005. ſq. fati neceſſitas, quomodo ex mente Stoicorum concipienda ſit, & an inevitabilem eam docuerint, 1018. ſq. fata ſcribere, quid Stoicis denotet, 1002. fatum ubi eſt, ibi nulli rerum fines dari poſſunt, quod Spinoſæ ſyſtema eſt, 989. vid. Stoici.
FELICITAS Dei in quo conſiſtat, contra Ariſtotelem, 745. Deum velle homines felices eſſe Stoicorum, 998.
FENELONIUS male oſtendit tribunal infallibilis judicis, Pont. roman. eſſe viam optimam convincendi incredulos, 95. 141. ſq. 1078. exemplo ſuo fanaticiſmum probavit, 193. ſq.
FIDEI chriſtianæ natura & ambitus, 33. ſq. fides plebis eccleſiæ romanæ quid involvat & ſupponat, 184. de fide in genere & juſtificante ſpeciatim quædam, circa quæ ſimplicitas theologica verſatur, monentur; 581. ſq. falſarum de fide opinionum cauſſæ, ib. de fide cæca & oculata; humana & divina, ib. ſq. de generali & ſalutari ac juſtificante quædam, 583. ſq vid. Trinit.
FILIUS Dei Deus eſt ex teſtimoniis primorum Chriſtianorum, quorum aliqua allegantur, 62. ſq.
FINES ſapientes & ordinem in univerſo Stoici ſtatuebant, 984.
FINITA ab infinito Ente produci poſſunt, 1152. vid. infinit.
FOEDERA, doctrina de fœderibus religionis chriſtianæ ſyſtemata rectiſſime curere poſſent, 588 ſq.
FORMULARUM diſtinctio in primariam & ſecundariam nihil valet, 877. ſq. Formula conſenſus helvetica nonniſi articulos religionis non fundamentales continet, 880. ſq.

G.

GATTAKERUS Deum animam mundi apud Antoninum Phil. reperiens taxatur, 1037.
GAUDENTIUS pagan. laudatur, 982.
GERMANORUM quorumdam methodus concionandi examinatur, & ejus incommoda præ Anglicana ostenduntur, 477. 483. sq.
GLORIA in quo reponi possit, 702. stimuli ad eam non sunt interdicti, 704. quando vana, 706. sq.
GRAMMATICUS fastus, 719.
GRATIA, doctrina de ea breviter proponitur, 634. sq. doctrina de gratia quo ex consensu Protestantium tendat, 731. doctrina de gratia nil detrimenti patitur, si homini libertas tribuitur, 577. de statu naturæ & gratiæ sæpissime nimis hyperbolice dici audias, 616. 620
GUSTUS spiritualis, de eo non temere est judicandum, 257. 292.

H.

HÆRESIS erat vox media pridem, 776. ubi Erasmus citatur; hodie communiter dicunt, hæresin esse errorem fundamentalem, prout quis latiorem vel strictiorem articulorum fundamentalium ideam sibi formavit, 777. romanæ ecclesiæ Doctorum; codicis Theodosii, græcæ ecclesiæ, Arminianorum de eadem sententiæ, ib. sq. præstaret hoc titulo plane abstinere, 778. sq.
HÆRETICI, cujus sint generis, 765. sq. aut omnes christiani hæretici sunt, aut plane nulli inter eos sunt, 778. sq. hæreticorum antiquorum cum modernis parallelismus nil valet, 831.
HÆRETIFICATIONIS definitio, 762. 771. 779. sq. an periculosum sit de hæretificatione scribere, & cur? 763. sq. mala hujus, 780. sq. 784. sq. 932. sq. hæretificatio est crimen, 791. sq. hoc malum serpit potissimum inter Theologos, 784. origo & profectus ejus, 785. sq. EFFECTA ejus sunt potissimum hæc; tales 1ò. nocent innocentibus vel leviter errantibus; 2ò. dant scandala, 786. 3ò. cura veritatis investigandæ jacet, & officium lites componendi, 788. 4ò. alios in incredulitatem conjiciunt, & incredulitatem fovent, 790. 5ò. in societate civili discordias, in aulis principum crudelitatem, in familiis odia, in ecclesia hypocritas serunt, ubi Posterus citatur, 790. sq. METHODI hæretificum alios suspectos reddendi, hæ recensentur, 799. sq. 1. Magistratus incitant, contra errantes ut velut contra pestem sæviant, ib. 2. alios exosos reddunt ideo, quod libros hæreticorum legant, & quædam in iis laudent, exemplo Arminii ostenditur, 302. sq. 3. insurgunt in omnes, qui non statim exortis quibusdam novis opinionibus arma vertunt contra earum auctores, exempl. Witsii, Drusii, 805. sq. 4. quod hic vel ille non omnes opiniones, distinctiones &c. majorum adprobet, 808. sq. 5. quod hic vel ille in congressibus novas opiniones proponat & defendat, vel serio vel exercitii gratia, & eum Indifferentistam,

rentiſtam, Latitudinarium, Deiſtam adpellant, 814. ſq. 6. quod hic vel ille nævos & errores patrum producat, 816. ſq. & quod quædam argumenta, vel loca S. S. a majoribus uſurpata nolit arripere, 817 ſq. 7. quod uſum rationis in rebus ad religionem pertinentibus urgeat, 819. ſq. 8. quod errantes cum inviſis hæreticis comparant, 829. ſq. 9. quod hic vel ille commercium literarum cum iis alat, qui periculoſarum opinionum ſuſpecti ſunt, 837. ſq. 10. quod hic vel ille non omnes diſtinctiones in ſyſtemate receptas adprobet, 838. ſq. 11. pro cathedris in errantes invehuntur, 839. ſq. 12. omnia mala in errantes effutiunt, nomina mutant, ridicule vertunt, 845. ſq. 13. quod hic vel ille de quibuſdam oratoribus ſacris, qui rhetoricantur, myſticis phraſibus utuntur, abjecte ſentiat, 850 ſq. 14. quod hic vel ille non per omnia cum factione doctorum dominantium conveniat, 854. ſq. 15. quod duriora conſilia in errantes improbet, & dominium aliorum in conſcientias damnet, 855. ſq. 16. quod hic vel ille non ſtatim novas opiniones acriter perſtringat, 857. ſq. 17. quod errantium veras virtutes data occaſione laudet, 858. ſq. & quod ex putatitiis difficultatibus theſin ipſam non ſtatim rejiciat, oſtenditur exempl. Capelli; 864. ſq. 18. quod nolit quis decretorium judicium ferre de ſalute cujus, 869. ſq. 19. quod a confeſſionibus recedat, 875 ſq. 20. quod ex hujus vel illius ſententia periculoſæ conſequentiæ deduci poſſint, 883. ſeq. inprimis ubi atheiſmi ſuſpecti redduntur, 887. oſtendunt ſe non tam ſententiarum, quam hominum oſores eſſe, 914. CAUSSÆ hujus hæretificationis; 1. defectus accuratioris cognitionis rerum humanarum & divinarum, 890. ſq. 2. ſuperſtitio ſpecie religionis ſe tegens, 895. ſq. 3. ſuperbia & opinio eruditionis ſuæ, nec non livor, ubi Watts citatur, 899. ſq. 4. orthodoxiæ ſtudium, 901. ſq. 5. falſi nominis zelus pro opinionibus ſuis, 908. ſq 6. præjudicatæ opiniones, 914. ſq. 7. ſtudium inclareſcendi, 918. ſq. 8 magiſtratus, principes, qui nimis vacivas aures zelotis præbent, 920. ſq 9. controverſiarum de quæſtionibus inutilibus nimia multitudo, 921. MEDIA contra hæretificationem; 1. cultura diſciplinarum philoſophicarum, 923. 2. domare adfectus & ea diſcere quæ ad ſalutem neceſſaria cognitu ſunt, 925. ſq. 3. minutas controverſias mittere aut narrare prætereundo, graviſſimis nonniſi intentum eſſe, 926. ſq. 4. tolerantiæ ſtudium, 929. ſq. 5. lectio præſtantiſſimorum ſcriptorum theologicorum, qui graviſſimas veritates ſolidis argumentis probarunt, & moderati animi fuerunt, 939. ſq. 6. conſideratio exempli Soteris & methodi, qua uſus eſt erga diſcipulos & Judæos, 940. ſq. 7. principes & eorum conſiliarii huc multum conferre poſſunt, 923. ſq. 8. miſſa operoſa lectione polemicorum, plus incumbere philologiæ S., criticæ &c. 945. ſq. 9. ſi præficiantur ſcholis theologi eruditi, ſapientes, pacifici & moderati, 947. ſq. 10. ſi ſtudioſi utriuſque partis Academias frequentarent, 948. ſq. 11. ſi Doctores juvenes inflatos & diſputaces mature retraherent per ſapientes ironias & laudem ἐποχῆς, ubi ex. Werenfelſ. 950. ſq. 12. commercium epiſtolicum cum viris eruditis diverſarum partium relig. 953. ſq. 13. meditatio frequens imper-

imperfectionis cognitionis theologicæ, & ejus insinuatio erga alios, 955. 14. amor errantium ex præcepto Christi & rationis, 957. vid. errans.
Helvetii, quo loco inter eos maximam partem formula consensus sit, 694.
Hermineutice, regulæ generales quædam circa eam observandæ, 571. sq. vid. interpret. & simplic. & superstit.
Herrenhutensium & mysticorum cogitata de simplicitate theologica, 386.
Historiæ literariæ studium, si accuratius consideretur, docet potissimum duas res, 699. sq. ea est historia & sapientiæ & stultitiæ, 756. historiæ ecclesiasticæ cognitionis necessitas, 894.
Homo, non tam quæritur, quam suaviter is vivat, sed quid Deo, sibi & societati debeat, 746. ignorantia varietatis ingenii, educationis &c. hominis mala post se trahit, 894.
Huetius commendat philosophiam scepticam, incredulos convincendi optimum medium, sed pessime, 95. 100. sq. vid. Dialog.
Hypotheses novæ in religionis caussa probanda noxiæ sunt, 7. 783. fata hypothesium novarum, 855. 1263. sq. hypotheses & sectæ studium impediunt sæpissime, quo minus interpretes verum cernere possint, 803. sq. hypotheses quovis seculo novæ nascuntur, 1263. singulares non sunt nimis deamandæ, 927. sq. hypotheses philosophicæ cum decretis religionis christianæ commistæ mala gignunt, 659. sq.

I.

Ideæ de ideis Dei ex mente Stoicorum, 995. sq. vid. virtus.
Idiotæ morientis confessio, 737.
Jesus est Messias, quid hoc effatum involvat, 34. est Deus, 71. sq. Jesu resurrectionis testium qualitas est argumentum maximum pro religione christiana, 26. Jesu Doctoris præcepta quomodo comparata sint, 36. sq. eorum dignitas, 49. sq. Patres ecclesiæ primæ Jesu passiones, mortem, resurrectionem, & inde orta beneficia docuerunt, 76. sq. quomodo tolerantia usus sit, 674. sq. 941. sq.
Ignatii inscriptio epistolæ ad Ephesios excutitur, 64. sq.
Ignorantia docta est medium s. antidotum sectæ studii & hypothesium novarum in interpretat. S. S. 509. 514. 1229. sq.
Immortalitas animæ sepositæ revelatione S. est dubiis exposita, 56.
Incentiva ad laborem possunt plerumque esse vana, etsi labor ipse inutilis non sit, 702. incentiva ad pietatem quo jure ex mysteriis petantur, 286. incentiva ad pacem, vid. pax & revelatio.
Inclarescendi literis studium, quatenus licitum & laudabile sit, 701. ex natura & determinatione hominis, ib. sq. quatenus nimium sit, 706. si quis scriptis vult inclarescere, qui exiguis dotibus instructus est, ib. si dein nonnisi famæ caussa facit, ubi Lucianus citatur, ib. quam vanum hoc studium sit, patet ex his: 1. cupido laudis impedit, quo minus bene scribat, ubi Arrianus citatur, 710. 2. ostentat eruditionem in citandis aliis, ubi opus non est, scriptoribus, 711. 3. dictatoris instar

instar de omnibus scribit, 712. sq. unde duo mala, aut periculosas fovere sententias, aut alios lacessere, oriuntur, ib. 4. receptas opiniones ad minutissima, singulari ardore usque ad hæretificationem defendit, 117. sq. in elegantioribus literis quid vere doctus & nonnisi nominis alicujus cupidus quærat, 718. sq. Vanitas hujus studii pluribus ostenditur, 720. sq. ex rationibus, quæ cum hanc, tum vitam post fata concernunt, ib. incommoda ejus moralia, 732. sq. talis in lecto emortuali constitutus inducitur commemorans studia & vitam, 736. sq. Caussæ ejus: 1. defectus se excutiendi, 739. 2. eruditionis solidæ gustu carere, ubi Malebranche citatur: 3. literarum doctores, quando fastum fovent, Plutarchus citatur, 740. sq 4. a nemine nisi ab amicis pendere, qui ut plurimum adblandiri solent, ubi test. Senecæ, 753. 5. ephemeridum scriptores, 744. 6. opinio felicitatem consistere tantum in contemplatione veritatis, 745. ubi Aristoteles examinatur & refellitur, ib. 7. minus cogitare de exiguis fructibus plerorumque scriptorum, 748. Media ad tollendum hoc malum, 1. philosophicas & mathematicas disciplinas addiscere, 750. sq. 2. matura ætate eos legere libros, qui erudite docent, quantis difficultatibus disciplinæ pleræque obseptæ sint; libros de vanitate scientiarum, de moribusque incommodisque doctorum umbraticorum, 754. sq. 3. consideratio brevitatis vitæ & necessitatis officiorum præstandorum Deo, sibi & aliis, 756 sq.

Incredulitas fovetur & stabilitur per studium hæretificationis, 790. seq. Incredulus quid de infallibili judice sentiat, 286. quæ inter Pontificios incredulitatem adaugere soleant, 116. sq. vid. Dial.

Indifferentismus ex principiis Romanensium fluit, 320. Indifferentismus, unde examine libero concesso, inter Protestantes oriatur, 331. Indifferentistarum idea de simplicitate theologica, 386. Indifferentismi falso rei, qui errantes non statim judicii postulant, 765. studium pacis non est indifferentismus; vid. pax.

Infallibilis judex quid incredulis sit, 286 infallibilis judex nil juvat si difficultates in animo nihilominus hæreant ut antea, & nihilo magis verum cernas, 154. 160. 512. si veritates per se claræ sunt, infallibilis judex nil momenti addere potest, 303. infallibilis judex comparatur infallibili critico, 155. difficile inventu est, ubi talis sit, 209. sq. impossibile est probare, talem alicubi existere, nam ad id probandum requiruntur, dari revelationem distinctivam; in ea doceri claris verbis, Deum talem judicem dedisse; & infallibiliter sciri Pontifices Romanos tales esse, non alios, 314. sq. & 143. sq. & 143. sq. vid. eccles. rom.

Infantes ante baptismum dæmoniis occupari, unde natum videatur, 440.

Infinitum ab infinito quomodo produci posset, 1154.

Ingeniorum diversitas est probe consideranda in diversitate opinionum de religione, 931. neglectus scrutinii ingeniorum & diversitatis eorum pericula habet, 894. ingenia erectiora quomodo ab insano inclarescendi studio revocanda sint, ubi Plutarchi monitum, 741. ingenia magna cur proscripto examine religionis, si eam privatim examinandam

dam ſuſcipiunt, ſæpe in Atheiſmum vel Deiſmum prolabantur, cauſſæ, 330.

Inspiratio divina, num quid mutaverit in modo narrationis, verbis &c. Apoſtolorum, 548. ſq.

Interpretes SS. qui eam ſecundum quaſdam philoſophicas hypotheſes interpretati ſunt, turbarunt theologiam moralem, 600. ſq. Interpretes SS. cur in diverſa abeant, cauſſæ ſunt, cum verba, tum res; item ſtudia ſectarum & hypotheſes vel falſæ vel veræ, 502. ſq. quid ſimplicitas theologica ab interprete requirat, vid. ſimplic. in interpret.

Ironiæ Socraticæ uſus erga adoleſcentes opinione ſui tumentes, ubi Taylor citatur, 951. ſq.

Judicium & ingenium in quo ſe oſtendant, 1087. Judicium decretorium ferre de ſalute cujus eſt valde magnus hæreticationis gradus, 860. ſq. iniquum eſt ferre judicium de cœtu aliquo univerſo religioni diverſæ addicto, ex uno vel altero quo, 917. in judicio extremo quid potiſſimum in cenſum ſit venturum, & quid non, 583.

L.

Labor ſæpe utilis eſt, etſi incentiva ſint inania, 702.

Langleti (Epiſcopi Soiſſ.) biographia Margareth. Alacoque velut fanatica rejicitur, 151. ſq.

Laus vera unde metienda, 703. laudi, qua alii nos ornant, non eſt nimium tribuendum, 708. ſeq. felicitas eſt miſella, quæ laude aliorum nititur, 707. ſq. cupiditas laudis quatenus licita vel illicita, vid. inclareſcendi ſtudium.

Leibnizii judicium de Stoicis ut durius culpatur, 1000. ſq. illuſtrat ſyſtema Stoicorum, de origine mali, & defectus oſtendit, ubi nulli ſunt, 104. ſq. parum differunt Leibnizii & Chryſippi ſyſtemata, 1013. in quo differant, 104. ſq.

Libertas ſentiendi de rebus ad religionem pertinentibus, quid utilitatis habeat, 773. ſq. libertatis abuſus eſt cauſſa vitiorum & errorum, tamen de eo ſobrie eſt judicandum, 936. ſq. libertas conſcientiæ, in quo conſtituenda ſit, ex mente Theologorum Proteſtantium, 358. ſq. Libertas conſcientiæ unde perſpici poſſit, 700. ubi Loke & Bayle laudantur & anon. Gallus, 957. eſt adſtruenda contra dominium in conſcientias, 855. ſq. de libertate humana & impotentia morali ſobrie eſt agendum, 576. ſq. quomodo loquendum ſit de ea, monita quædam, 578. ſq.

Libri ſymbolici ex principiis Proteſtantium quid eſſe debeant, 695. libri cur plerumque parum utilitatis habeant, 749. libri practici quo plerumque vitio laborent, 600. libri quales adoleſcentulis, theologiam tractantibus legendi ſint, 940. libri hæreticorum ſæpe interdicuntur, & gentilium commendantur, 302. ſq. libri qui docent, quantis difficultatibus pleræque diſciplinæ obſeptæ ſint, maturiore ætate lecti uſum inſignem habent; exemplum Cœlii, 754. ſq. de explicatione librorum Sacrorum quæ

quæ serie fit, quædam monentur, 471. sq. librorum quis esse scopus debeat, 748. libros scribere non est summorum tantum ingeniorum, sed & mediocrium, 793. ubi testimonium Plutarchi, quis librorum scribendorum esse debeat adducitur, 709. sq. vid. mystici. scriptor.

LITTERÆ humaniores, quomodo in iis versetur vere doctus, & nonnisi famæ cupidus, 718. commercium litterarum, 697. sq. 953. sq.

LOGICES veræ usus, 891. sq. 649. sq.

LOKIUS unum tantum dogma fundamentale inter articulos religionis christianæ agnoscit, Jesum esse Messiam, 583.

LUX interna non potest loco caracteris esse, unde revelationis divina origo certo possit peti, 256.

LUCI sylvæ sacræ, antiquorum parum casti, 967.

M.

MÆCENATES, ad querelam de paucitate hujusmodi hominum respondetur, 705. sq.

MAGISTRATUS quum libertatem conscientiæ defendant, omnia præstare oportet, ut rixæ & motus in societate evitentur, 336. 341. jus non habent in conscientias, 341. sed tantum, quæ ad externum ordinem dirigendum pertinent, in ecclesiis; ib. & 815. quid Magistratibus Protestantium incumbat, qui eandem cum subditis & civibus sequuntur religionis partem, & respectu horum & aliorum, qui diversæ religioni subscribunt, 341. sq. magistratibus quid circa controversias religionis requiratur, 799. 1265. quid officium eorum sit circa sacra, 875. 943. sq. ubi Clericus videatur: Magistratus quales Theologos scholis & academiis præficere debeant, 947 sq.

MAJORES, eorum veneratio quousque procedere debeat, 643. sq. eorum auctoritas mox valet, mox jacet, 913. seq. 1254. sq. majorum opiniones & ritus quomodo sint respiciendi, 810. sq. 1254. a majoribus allata argumenta, vel loca S. S. annon examinare & alia eorum loco usurpare liceat, 817. sq.

MALEBRANCHII sententia, quod non anima agat, sed Deus in ea, quæ & Fenelonii est, rejicitur, ut systema caussarum occasionalium, 250. sq.

MALI Physici originem Stoici in materia quærebant, 997. sq. 1009.

MARTYRES primorum Christianorum nec singularis spes gloriæ, nec sola imaginatio acuit, 85. sq.

Μεταιολογια, ex verbis Erasmi, 388.

MATHEMATICA methodus in theol. quanti sit facienda, 395. sq. Matheseos usus, inprimis contra Pyrrhonismum magnus, ubi Werenfelsii testimonium, 751. sq.

METHODUS quænam simplicissima videatur conciones habendi, scilicet anglicana, 474. sq. Belgarum & Germanorum quorumdam examinatur, 477. hæc ad sensum Sacræ Scripturæ & stylum Sacrorum Scriptorum cognoscendum utilis laudatur, sed quatenus verum sit, inquiritur, 483. sq. hujus incommoda præ illa ostenduntur, 485. sq. methodus interpretandi S. S. quæ plerorumque sit, 504. de methodo analytica S. S. inter-

interpretandi quid sit censendum, 542. sq est vana ex natura rerum, quas S. S. tradit, 544. sq. Lampius hanc methodum laudans examinatur, 546. 552. per eam res potius obscurantur, quam elucidantur, 549. finis hujus disquisitionis, 549. eadem est in sermonibus sacris inutilis, 953. methodus de rebus gravissimis in utramque partem disputandi, non probatur, 1125.

Ministri evangelici præparatio ad sermones sacros habendos quæ esse debeat, 195. Ministris evangelicis non licet errantes vi ad assensum cogere, 340 vid theolog. studium, simplic. oratori observ.

Miracula recte censentur in argumentis pro religionis christianæ veritate & divinitate, 25. sq. 39. sq. nihil in doctrina de miraculis Deo indignum est, 42. sq. miraculorum Jesu scopus primarius fuit ostendere, ipsum esse Messiam promissum, 41. sq. miracula, quæ ecclesia romana jactat, ementita sunt, & via incredulitatis, 131. sq.

Misericordia Dei, quomodo verus Christianus & Philosophus moriens, & quam diverse ad eam confugiat, 613.

Modestia in Theologo necessaria, ratione objecti & ratione aliorum, ratione interpretationis S. S. 1197. sq. utilitas ejus, ex testimonio Witsii, 1200. sq

Morus laudatur, 735. sq.

Moshemius de necessitate Revelationis citatur, 268. ejus de Synodo Dordracena consultatio culpatur, 677. sq. Cudworth contra Moshemium defenditur, 1112. 1119.

Mundus Stoicis mox Deum, mox Deum cum creaturis denotat & quo sensu, 1043. non tamen inde ea conjunctio statuitur, ut necessario simul sint, & unam substantiam efficiant, quod Spinosæ error est, 1049. sq. Mundos plures dari ex Dei bonitate probare velle, probat plus, quam probandum esset, 1139. sq.

Muratorius, Biblioth. Mutin. sub personato nomine Lamindus Pritanius, laudatur, 319. 349.

Mysteria, querelæ de usu phrasium scholasticarum & absonarum circa mysteria, 15. 275. mysteria religionis christianæ sunt accipienda & docenda velut præcepta, nisi dicas aut ea fuisse ab Apostolis male intellecta, aut mentionem eorum historiæ Jesu per maleferiatos homines fuisse insertam, aut ea esse ασυσατα, aut tuto ignorari posse, 16. seq. 24. Deistæ Tyndal. Collin. &c. pro eliminandis e religionis christianæ mysteriis laborant, & quare, 21. sq. mysteria credere non est fanaticum, 272. non sunt ασυσατα, quamquam obscure cognosci possunt, 276. sq.

Mystici libri taxantur, 850. sq. phrasium mysticarum periculum, 851. sq. caussæ studii mystici proponuntur, 853. sq. Vid. phrases.

N.

Naturæ vox, quando caussam omnium rerum ea Stoici notabant, quid iis potissimum significet, 1038. sq. Naturam sequi, 493. sq.

NECESSITAS revelationis divinæ quomodo sit statuenda contra minus accuratos quorumdam de ea sermones, 258. sq.
NEPOTISMUS inter Romanenses & Protestantes infelix, 704. sq.
NEUMANNUS D. Med. Berol. experimento evidenti miraculum aliquod, quod Neapoli S. Januarii caput expertum esse dicitur, imitatus & consequutus est, Epist. Anon. 27. sq.
NICOLE prejugez legitimes in summam rediguntur & refutantur, redeunt omnia ad IV. prop. 1. omnes homines debent esse persuasi, Deum omnes homines salutis compotes facere velle vel simplicissimos; 2. ad hanc salutem obtinendam nullum aliud iis Deus concedit medium præter cognitionem veræ religionis; 3. non solum possibile, sed facile est veram religionem cognoscere; 4. hoc tamen non obstante clarum est, quod nulla via ad examen ejus sit difficilior, periculosior & minus omnium ingeniis attemperata, quam hæc ipsa, sc. examinis 207. sq.
ΝΟΣΕΙΝ, morbo laborare, I. Tim. VI. 4. Erasmi com. laudatur, 389.

O.

ODIUM theologicum, 784. sq.
OFFICIUM Oratoris sacri ostenditur ex eo, quod Cic. defuit, 1097. sq. de officio V. D. M. systemata theologica singulariter agere deberent, 575. Officia Christianorum pondus gravissimum habent ex dogmatibus religionis christianæ, 52. sq. seria meditatio officiorum est instituenda, quæ Deo, nobis & aliis debeamus, 756. sq.
OPINIONES præjudicatæ, 914. sq.
ORATIONIS dominicæ usus interdictus catechumenis ante baptismum, 417. sq.
ORATORIS Sacri officium circa controversias, 690. sq. circa vitia, errantes, 916. sq. Oratori sacro præcepta proponuntur ad simplicitatem perveniendi, 487. sq. Oratores sacri ex parte sunt interpretes, quum verba faciunt ad populum, ubi Roques & Reinbeck citantur, 478. monitum ad Oratores sacros ut perspicuis phrasibus utantur, 290. sq.
ORTHODOXI quinam vulgo habeantur, 658. is est ridiculus, qui orthodoxia sua pugnat, 903. sq. 1264. orthodoxia quid non sit, & quid sit, 902. sq. 1263. falso dicta orthodoxia periculosa est, ubi testimonium Anonymi, 903 sq. & quædam de Weltphalo, 905. orthodoxiæ studium præposterum, 657. sq. 901. sq.
ORIGENES, de ejus catechesi secundum Huetium, & de περι αρχων, judicium fertur, ex caractere ejus, 423. sq.

P.

PACIS inter Protestantes conciliandæ impedimenta non debent absterrere a tentaminibus eam quærendi, 665 sq. peccant qui desident, 667. qualis pax inter Protestantes ex mente auctoris cl. ineunda esset, scilicet ut ea concordia inter duas familias esset, ut non obstante dis-

ſenſu qualicunque in una eademque academia, gymnaſio atque eccleſia Doctores utriuſque partis ſimul docerent & ſacris operarentur, & non majus diſcrimen inter eos haberetur, atque duorum philoſophiæ &c. Profeſſorum in eadem academia diverſam philoſophandi viam ingredientium, ubi J. J. Huldricus citatur, 670. ſq. Hanc concordiam pacis ratio poſtulat; 672. ſq. argumenta pro ea, 1. conſenſus in iis, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, 672. ſq. 2. Levitas errorum ſ. diſſenſus inter fratres, 673. ſq. 3. Præcepta Chriſti & Apoſtolorum, 674. 4. Ea ſequitur ex natura concordiæ & tolerantiæ, quæ omnibus veritatem amantibus curæ eſſe debent, 677. 5. Non impedit Synodus Dordracena, 682. ſq. Impedimentum, ea ratione partium ſtudia, lites exorſuras eſſe in academiis, examinatur, 686. ſq. Impedimentum, plebem in diverſa abituram eſſe, expenditur, 690. ſq. Media ad hanc pacem, 1. ut viri pacifici muneribus publicis admoveantur, teſtim. Clerici, 695 ſq. 2. ut ſtudioſi promiſcue academias utriuſque partis adeant, 696. ſq. ut Theologi familiare commercium alant literarum, 697. ſq. pacis ſtudium in theologo quid ſit, 1201. utilitas ejus & modus, ib. & 1242. ex exemplo Soteris & Apoſtolorum, ib. id non tollit zelum pro veritate, 1205. ſq. non eſt indifferentiſmus, 1233. ſq. ad pacem inter fratres incentiva, 1242. ſq. non eſt in ſuavia ſomnia referendum, 929. ſq.

PALINGENII zodiacus, contra hunc diſputat Brunus, ille enim extra ætherem lucem incorpoream incipere ſtatuit, 1170. 1173.

PANCHAJA inſul. quam Evemerus laudat, Jovis res geſtas in templo ipſi ſacro oſtendit, de ejus ſitu diſquiritur, 1057. ſq.

PARALLELISMUS veterum hæreſium cum modernis erroribus non eſt licitus, 831. ſq.

PATRES primitivæ eccleſiæ laborabant multis erroribus, quod oſtendunt Dallæus, Barbeyrac. Withby, Cleric. Beauſobr. Lardner, 816. ſq. Patrum inſtitutiones catecheticæ, quod ex ſcriptis patet, parum valebant, 455. ſq. uſus patrum hodienum inter Doctores pontificios & proteſtantes, 213. 271. patres primitivæ eccleſiæ aliquando acrius cum errantibus egerunt, 771. ſq Patrum errores an detegere nefas, 816. ſq.

PAULI V. Pontificis laudabile inſtitutum in lite Jeſuitas inter & Dominicanos circa auxilia gratiæ, 782. ſq.

PEARSONIUS in cauſa divinitatis Jeſu adverſus Souverainium vindicatur, 71. ſq.

PELAGIO an Stoici præiverint in adſtruenda libertate mentis humanæ, ub; Vitringa, Buddeus citantur, 993. ſq.

PERSECUTIONES ob religionem juvant ad incredulitatem promovendam, 134. perſequendi libertas quid poſt ſe trahat, 933. quomodo contra perſequendi ſtudium agendum ſit, ib ſq. vid. Tolerant. perſequutiones, ſive duriora erga errantes conſilia pacificus nunquam probabit, 855. ſq.

PHILOLOGICA ſtudia laudantur, ubi ſimul de Huetio, 945. ſq.

PHILOSOPHICARUM diſciplinarum uſus, 923. ſq.

PIETAS primorum Chriſtianorum unde potiſſimum orta ſit, ſcilicet ex articulis fidei, qui in S. S. dantur, 83. ſq. pietas ſola an ſufficiat inter-

preti S. S. ad inveniendam veritatem, 516. sq. pietatis pretium in rebus moralibus, ib. pietas in Theologo, in quo sit sita & in quo non, 1206 sq. etiam in cæteris requiritur, ib. ad pietatem masculam quid requiratur, 89.

Plebs Protestantium non est ad examen religionis ineptum, 297. sq

Plutarchus Stoicis fatum inevitabile tribuens fallitur, 1063. ejusdem carácter non admodum præstans sistitur, 1056. sq.

Polycarpus, ex epistola ejus ad Philipp. locus vindicatur, 77. sq.

ΠΟΛΥΜΑΘΕΙΑ affectata, impedimentum simplicitatis theologicæ, 644. seq.

ΠΟΛΥΠΡΑΓΜΟΣΥΝΗ gloriæ cupidorum taxatur, ubi Gualdi test. in vita Pinelli, 719. sq.

Pontifex Romanus quando legitimus dici possit, 203. sq. quando ex cathedra dicat, ib. Pontificis Romani electio est documentum Fanaticismi, 163. sq. ejus edicta quid ad veritatem valeant, 185.

Pontificii studeant revocare Protestantes in sua castra ejusmodi argumentis, quæ tamen examinare eos non posse statuunt, 214 Pontificiis ad Dogmata sua probanda aut procedendum est methodo Protestantium, per viam examinis, aut in castra Fanaticorum & Scepticorum est transeundum, 271. sq. Dogmata quæ potissimum incredulitatem inter Pontificios adaugent, sunt interdictum examen religionis: exaggeratio difficultatum, quas in examine occurrere ajunt: ratio cultus externi: miracula ad stabiliendum eum jactata: vitæ sanctorum: doctrina de transsubstantiatione: persecutiones & inquisitio, 126. sq. vid. rom. eccles. & Protestantes.

Præcepta religionis christianæ per se non sufficiunt, quatenus rationi conveniunt, ad divinam ejus originem probandam, 21. sq. præcepta Jesu non sunt monita, sed totidem leges, 49. vid. Jesus.

Præceptores & Doctores quomodo inculcare debeant tolerantiæ studium, 929. sq. & ab hæretificationis crimine mentes avocare, 950. sq.

Prædestinatio, de ea & gratia theses quædam proponuntur, 634. sq.

Principes, vid. Magistratus.

Problema theologicum & ejus solutio: utrum convenientius sit homini, Deistam manere, an ecclesiæ romanæ se adjungere; posito alterutrum esse faciendum, 1078. sq.

Promissionum & comminationum vis ad virtutem, 54. seq

Prophetiis Jesus claruit, 46. prophetiarum interpreti quid simplicitas agendum suadeat, 527. probanda veritas & divina origo Novi Testamenti, ib. stylus metaphoricus in simplicem reducendus; στοχα ut non facile determinetur, nisi Scriptura ipsa determinet: temeraria adplicatio obscurorum miraculorum omittenda: quæ impleta in Vet. Test. non detorquenda ad posterius ævum: duplex interdum sensus literalis & sublimior admittendus: meditanda ignorantia plurimarum rerum: testimonium doctorum virorum, 534. sq.

Proselytus, quid a tali, si liberalibus artibus excultus sit, requirendum esset, 451. sq.

Pro-

Protestantes docti & indocti quid circa difficultates in causa religionis agant, 129. Protestantium doctrina ab omni specie fanaticismi aliena & pura est, 198. sq. eorum principia religionis nec indifferentismo, nec paci publicæ officiunt, 312. seq. Protestantes principia admittunt, quibus scientiæ omnes & religio naturalis & revelata innituntur, 250. sq. admittunt demonstrationes mathematicas, morales, & historicas probabiles, 253. contendunt non aliam esse datam hominibus facultatem veritates probandi, erroresque rejiciendi præter rationem, 254. confirentur ad probandam religionem christianam & ad certos ejus articulos ex Sacra Scriptura eruendos, vindicandosque examine opus esse accurato, 255. certos revelationis caracteres ponunt ante omnem demonstrationem, ex quibus vera dijudicatur a falsa, 256. sq. revelationis præstantiam, necessitatem & utilitatem multis argumentis probare solent, 258. sq. eam methodum sequuntur probandi dogmata sua, qua & Deistæ & cæteri omnes utuntur, 269. sq. res excedit omnem fidem, Protestantem aliquem per rationes in castra Pontificiorum transire, 230. vid. examen.

Pyrrhonismus & religio consistere nequeunt, 102. Pyrrhonismus & Fanaticismus sunt fructus doctrinæ de infallibilitate Pontificum Romanorum, 187. sq. 321. unde Pyrrhonismus oriatur, 754. Scripta quæ ad Pyrrhonismum inclinant, num ex orbe proscribenda essent, 755. sq. prudens repræsentatio imperfectionis cognitionis theologicæ, nec est Pyrrhonismus nec ad eum ducit, 955. vid. Scepticismus.

R.

Radicati comit. de Passer. ad meliorem mentem reductio, 13. sq.

Ratio non docet infallibilem judicem in causa religionis a Deo constitutum esse, 143. sq. de rationis usu in causa religionis ecclesiæ romanæ Doctores abjectissime sentiunt, & quare, 188. sq. 228. sq. quod via auctoritatis fieri debet, ibi nullus rationis usus, est accusatio providentiæ, 237. rationis dictamina si tantum de novo inculcata fuissent loco revelationis, brevi iterum in tanta hominum miseria extincta fuissent, 258. rationis usus in theologia morali, 609. sq. quinam potissimum in rationem invehantur, 717 quid ratio sit, 819. sq. de usu ejus theses quædam, 571. sq. 821. cur multi Protestantium adversus usum ejus insurrexerint, 819. sq. 821. sq. ubi Conrad. & Tillotsi. citantur: non est alia hominibus concessa facultas veritates & errores intuendi, præter rationem, 254. 609.

Reformati, quia ab ecclesia romana secessionem fecerunt, injuste Schismatici audiunt, 223. sq. Reformatorum vitia & lapsus retorquentur, 221.

Reipublicæ turbatores in causa religionis, quinam potissimum sint, 933.

Religionis examen cuivis incumbit, 127. vid. examen; interdictum ejus est res suspecta, ib. religionis præcepta sunt cuivis prius probe ad revelationis normam exigenda, quam se ad sectarum scripta legenda parat,

rat, 158. sq. 917. nulla fere religionis familia in omnibus idem sentit, 161. religionis nomine quid potissimum intelligatur, 656. religio christiana ubique tolerantiam suadet, 935. sq. ubi Limborchius testis citatur, sq. dissensus leviores in caussa religionis ab imbecillitate ingenii humani, ut nunc est, separari omnino non possunt, 353. in religione præcipuum nititur cum in cognitione veritatis, tum in præstatione officiorum evangelicorum, 513. religio cur adeo exiguam vim habeat, unde id fiat, 1209.

RELIQUIÆ Sanctorum, earum cultus est fanaticismus, 170. falsas a veris distinguendi modus, ib. spuriæ si colantur ea mentis devotione, ac si essent veræ, dicuntur tamen usum insignem habere, 171.

REVELATIO nil pro infallibilitate judicis supremi statuit, 147. sq. illa ubique viam examinis præscribit, & eam requirit, 150. 234. revelatio quomodo probanda sit pagano, 259. sq. quid ea sit, 262. Revelatio est possibilis, utilis, & quo sensu etiam necessaria, 263. sq. etsi cognitio dogmatum ejus sit imperfecta, non impedit tamen, quo minus inde incentiva ad pietatem depromi possint, alioquin actum est cum omni etiam naturali religione, cujus principia non perfecte cognoscuntur, 283. sq.

ROMANA ecclesia multa publice Dogmata tradit, quæ religionem christianam non solum suspectam reddunt, sed acutum cernentes in incredulitatis barathrum conjiciunt, 126. sq. Romanæ ecclesiæ methodi ad Protestantes reducendos, 96 ecclesiæ romanæ Doctores cum tantopere jactata infallibilitate judicis sui, nil tamen magis verum cernunt, 148. sq. ecclesiæ romanæ doctores infallibilis judicis existentiam probare volentes, id vel ex ratione, vel ex revelatione, vel ex traditione probare debent, quod quam sit impossibile ostenditur, 143. sq. vid. infallibil. ecclesiæ romanæ Doctores in caussa religionis rationem abjectissime habent, 188. vid. ratio.

S.

SANCTORUM vitæ apud Pontificios multum ad incredulitatem conferunt, 133. & ad Fanaticismum, 189. 1063.

SAPIENTIA erudita quid in theologo faciat, 1192. quid ratione controversiarum, docendi methodi &c. 948. vid. eruditio.

SARPI Concilii Tridentini historia laudatur, 173 sq.

SATANAS an ejus astutiis nimium sit tribuendum in errore aliquo, 832. sq.

SATYRI de iis doctrina unde orta fuisse videatur, vide Segnirim.

SAURINI apostasiæ ad Pontificios rationes, 230.

SCEPTICISMUS, vid. Pyrrhon. & Dialog.

SCHARBAU parallelismus cum hæreticis taxatur, 831. sq. vid. argumentum.

SCHEFFENMACHERUS Jesuita refellitur ut impudens & rudis, qui quidem docet, nullam sine admisso infallibili judice persuasionem certam dari de veritate articulorum religionis christianæ; sed tamen dubitari posse, utrum solus Pontifex infallibilis sit, nec ne, 226. sq. ib. ait, aliter agendum

agendum esse, quando Mahomedanus, Judæus, Gentilis convertendus sit, & aliter quando Protestantes in gremium ecclesiæ romanæ reducendi sint; illos de necessitate & existentia judicis infallibilis convinci debere, antequam dogmata religionis doceantur, his tum demum judicem esse commendandum, quando de veritate religionis christianæ & authentia librorum sacrorum persuasi sint, 228. sq.

SCHOTTUS Ciceronis philosoph. defendens examinatur, 1088. sq.

SCIENTIÆ multum de splendore suo amittunt, si earum patronis veritas, probitas & studium recti desint, 1081. sq. vid. eruditio.

SCRIPTOR, qui se ad librum conscribendum parat, quid prius animo agitare debeat, 757. sq.

SECTÆ studium superstructum est principio cæcæ obedientiæ vel auctoritatis, 648. sq.

SEGNITIA in Sacra Scriptura, 960. sq videntur nec esse naturæ potentioris humana, 962. sq. nec hirci sylvestres, 964. sed sacerdotes villosis vestibus induti, ib. sq. origo eorum probabiliter ostenditur, 972. seq. ubi & object. respondetur, ib sq.

SEPTUAGINTA interpretes sæpe textum sacrum reddiderunt secundum opiniones tum temporis dominantes, 962. sq.

SIAMENSIS regis responsum ad Ludovicum XIV. 269.

SIMPLICITAS primorum Christianorum nil detrahit auctoritati articulorum fidei, 87. sq. Simplicitas doctrinæ, de ea testimonium Erasmi, Bullingeri, P. Martyris, Witsii, Werenfelsii, Turrettini, Moshemii, 365. sq. nec non Oporini, Lutkemanni, ubi observationes quædam, 381. sq. imo qui de sapientiæ cultura Gentiles tradunt, Socratis, Arriani, Antonini Philosophi, Ciceronis, Senecæ, 378. sq. Simplicitas theologica in quo consistat, 383. sq. 464. ejus attributa, ib. indoles vera exemplo Christi & Apostolorum ostenditur, 387. sq. & falsæ studium docetur, 385. sq. est sectanda quoad verba, & quomodo, 395. ubi quædam monentur de stylo, docendique methodo & catechismis, sq. est sectanda quoad res, 357. sq. Oratori sacro quomodo ea sit observandâ & quam necessaria, 463 quædam sunt cavenda ratione pronuntiationis, styli & rei tractandæ, 465. sq. quædam vero præstanda, 469. sq. præsidia ad eam obtinendam, brevitas orationis; resecanda quæ nil valent ad probandum, illustrandum, materiæ cognitu maxime necess. eligendæ, 469. sq. de argumentorum delectu sive textibus monentur quædam, 472. ib de methodo nonnulla, 474. seq. media ad eam perveniendi dantur X. 487. sq. Simplicitas in interpretatione Sacræ Scripturæ, 501. sq. quæ ejus attributa s. partes, 515. sq. ubi quæ fugienda sint, sectæ studium, hypotheses, ostentatio, ib. & quæ præstanda, 518. scopus respiciendus, cognitio gramm. & idiotismorum; neque receptis inhærendum neque textus illico fingendus & mutandus; crisis moderata; cognitio antiquitatum; codex sine interpunctatione; scriptoris personam induere; non semper aliorum opiniones consulere &c. Simplicitas quoad prophetias, vid. prophetiæ. Simplicitas quomodo circa theologiam theticam versetur, 553. sq. vid.

ſyſtem. Obſervantur quædam circa ſyſtemata theologiæ naturalis, quomodo comparata eſſe debeant, 565. ſq. dein circa ſyſtemata & eorum ordinem quædam monentur, quæ ſimplicitas requirit, 568. ſq. fundamentum ſyſtematum theol. revelatæ, 569. ſq. ordo & veritates, ib. ſq. de diſtinctionibus obviis ubique nonnulla, 585. ſq. nec non de controverſiis dantur monita, 589. ſq. ſimplicitas quomodo theologiam moralem tractet: ea ſe vel quoad ſtylum vel quoad res exſerit, 598. peccatur quando vel phraſibus hyperbolicis, vel glomeratione phraſium Scripturæ, vel ſcholaſticis tricis utuntur, vel ad hypotheſes privas detortis Sacræ Scripturæ locis, unde mala, 599. ſq. vid. Ethica; quid circa ſtylum ſimplicitas ſuadeat, 615. ſq. quid circa res, 619. ſq. cavere ſibi a dogmatibus, quæ virtutis ſtudium remorantur; circumſpecte de impotentia morali loqui; ab ethica Jeſuit. Janſeniſt. & ſcholaſtica alienum eſſe, ib. & ſq. argumenta quibus virtutis ſtudium commendatur, ſunt amabilia & rationi convenientia, 621. a neceſſitate, poſſibilitate, utilitate, dignitate, jucunditate, facilitate, a patientia Dei, a fine earum deducta & quomodo, 622. ſq. incitamenta idem ſunt quod argumenta, & quomodo comparata eſſe debeant, 629. nec non quædam de impedimentis virtutum, ib. Cauſſæ neglectæ ſimplicitatis theologicæ, quod ad ſtylum, neglectus lectionis optimorum ſcriptorum, 632. ſq. quoad res, ignoratio ejus, quod præcipuum eſt in religione, 634. ſq. falſæ imaginationes rerum ad theologiam pertinentium, 636. ſq. præpoſterus metus recepta non deſerendi, Eraſmus, Arminius, Melanchton, Laurentius Valla citantur, 638. ſq. nimia veneratio majorum, 643. ſeq. affectata πολυμαθεια, ſq. partium & ſectæ ſtudium, in interpretatione Sacræ Scripturæ, & diſquiſitione ponderum rerum, 646. ſq. imperitia artis cogitandi & dicendi, 649 ſq. ſtudium ſingulare de rebus ignotis obſcuris & inutilibus diſſerendi, 653. ſq. contra quod quædam theſes, 655. præpoſtera opinio de natura orthodoxiæ & ſtudium placendi, 657. ſq. minus circumſpecta hypotheſium philoſophicarum commixtio cum religione chriſtiana, ubi Bullingerus teſtis, 659. ſq. torpor inveteratus ad examinandum quod eximium eſt in religione, 661.

Socinianorum conceptus de ſimplicitate theologica, 385. ſq.

Socratis votum ut major lux affulgeat, 260. ſq. de ſimplicitate ſapientiæ ſ. doctrinæ, 377.

Spinosæ & Bruni ſyſtemata, 1155. item 1131 Spinoſæ mentem non habuit Brunus de natura, 1130. ſq. Spinoſæ anteceſſor an Cicero fuerit, 1120. ſq. Spinoſa refutatur, 1101 ſq. Spinoſiſmi rei non ſunt Stoici, 1025. 1029. 1033. 1040. 989. Vid. fata.

Spiritus Sancti regimen non eſt fanatici quid, & qua ratione, 293. Spiritus Sancti lumen, de quo Proteſtantes ſecundum S. S. ſtatuunt, quid ſit, 306. ſq.

Stoici fati definitio, 980. ſq. Stoici nil de Deo, mente, quod inexorabilem neceſſitatem inferat, docuerunt, 981. ſq. perſuaſionem de Numine pro ſocietatis humanæ vinculo & juris fundamento habuere, 984. ſq. 1229. ſq. Deum ſumma intelligendi vi præditum eſſe, aſſerebant,

bant, ib. ordinem universi & rerum fines statuebant, ib. Deum a mundo distinxerunt, 986. sq. 1035. sq. 1043. sq. providentiam concedebant, eamque extendebant ad omnia, corpus, mentem, externa &c. hominis, 987. sq. docebant nexum rerum non esse necessarium, 989. Deo pro omnibus gratias agendas esse aiebant, ib. libertatem mentis humanæ statuebant, 990. sq. 1019. sq. nexum rerum efficiendarum in Dei fundari præscientia statuebant; 994. 1020. causam & materiam duo principia assumebant, ut ea tamen ab invicem distinxerint, 994. 1040. 1042 sq. Deum item ad certas regulas, rationi perfectissimæ ante mundum conditum obversantes omnia examinasse ajebant, 995. malumque morale a Deo non oriri, sed partim a materia partim a Deo, 996. Deum velle, ut homines felices sint, & in ejus voluntate sapientissima præsidium quærendum esse, 998. Deum scripsisse fata, & mala physica in bonum finem permisisse, 1001. 1004. sq. deamandam virtutem argumentis gravissimis docebant, 1004. sq. definitiones fati Stoicorum nullam necessitatem involvunt, 1005 sq. Deo non impotentiam tribuunt circa malum physicum, 1008. sq. 1017. quomodo de origine mali loquuti fuerint, 1009. materiæ æternitatem conceperint, 1012 sq. quomodo, si Deum & mundum commiscere, & utriusque proprietatum communicationem adstruere videntur, intelligendum, 1021. 1045. excusantur, etsi non per omnia recte senserunt, 1022. 1046. de operationibus Dei in mundum quid dicant, 1037. sq. Stoici & Christiani quomodo Deum mundo adesse adstruant, 1037. sq. voce naturæ quo sensu usi sint, 1038. sq. non faciunt Deum partem mundi formalem, 1040 seq. providentiam quidem docent, qua omnia inter se sint connexa, sed non ex materiæ indole naturali, excluso Deo & finibus rerum, 1049. sq. vid. Fata.

Stylus biblicus sive scripturarius, de eo quædam monentur, 393. sq.

Studium differendi, disputandi de rebus obscuris, inutilibus & ad felicitatem non pertinentibus V. D. M. quibusdam monitis coercetur, 653. sq.

Superstitio, Polybii testimonium, 1667. sq. superstitio exegetica deludit sæpe pietatis specie, 517. quid ea sit, 895 a religione probe est diguenda, Cicerone teste, ib. sq. plus damni societati adtulit quam atheismus, ubi testimonium Tyndal. 869. sq. 897. sq. 957. sq.

Synodi Dordracenæ auctoritas quomodo unioni Protestantium obesse possit, 682. sq.

Systematum theologicorum natalitia, 553. sq. labor hic laudabilis; habet sua commoda & incommoda, 554. disquiritur annon religionis capita melius ex sola Sacra Scriptura edoceri possent, quam ex systematibus, 556. ubi argumenta pro adfirmativa adferuntur, sq. cl. auctoris judicium subjungitur secundum illa argumenta, 561. sq. systematibus suum pretium relinquitur, modo ad veram simplicitatem revocentur, 565. sq. in excessu & defectu peccatur circa ea, 571. sq. quæ systema theologiæ scripturo observanda quammaxime sint, proponuntur, 568 sq. sq. Systemata opinionum, de iis semper in mitiorem partem judicandum, 1025. sq. de systematis bonitate judicare quid requirat, 981. sq.

T.

TEMPORA noſtra felicissima redderentur, si tot, qui scribere libros volunt, prius se emendarent, & nonnisi vere docti & pii scriberent, 759.
THEOLOGIÆ naturalis capita, 250. 565. sq. & quid de ejusmodi systemate observandum, ib. de theologiæ naturalis principiis convictus difficulter ad superstitiosam religionem deflectet, contra Fenelon. 280. 1077. Theol. vera facies in quo consistat, teste lect. Bœhmero, 636. sq. theologia primorum Christianorum, etsi systematica non fuit, non fuit tamen incerta & vaga, 91. sq. in quo potissimum versata fuerit, 564. sq. theologiæ studium quid a suis cultoribus requirat, 925. theologiæ cultoribus ad simplicitatem obtinendam quædam meditanda inculcantur. 655. sq. Theologus verus quis, 717. 947. sq virtutes ejusmodi, 1190. eruditio, quid non & quid ea requirat, 1191. studium veri, 1195. sq. modestia, 1197. sq studium pacis, 1201. sq. pietas, 1206. sq. pacifici idea & utilitas, 1222. sq 1. est mens vere sapiens, exempl. Anton. Hal. 1226. sq. 2. memor est se hominem esse, 1228. 3. ignorantiæ doctæ memor, teste Conrado, 1229. 4. grave & momentosum in religione cognoscit, ejusdem testimonium, 1230. sq. 5. reverenter Sacram Scripturam legit, & ad eam receptos articulos exigit, 1232. sq. 6. omnibus subscribit, quæ vel clare vel legitima consequentia exinde eruuntur, nec proinde ofor est confessionum, 1233. inter fundamentalia & non fundamentalia discernit, 1234. ad certamen invitus accedit, 1235. in eo sincere agit, ib. videt an error veritatibus momentosis, & pietatis studio officiat, 1236. sq. accusatus rem sincere proponit, & argumentis accusationem diluit & causam ejus ostendit, 1237. sq. exemplo Tillotsonis, ib. de inimicis bene judicabit, nec eos apud Magistratus deferet, exemplo Reinbekii, 1238. ignoscit detecta sua innocentia accusatoribus, 1239. sq. ad pacem orientes lites revocabit, 1240. non quibusvis calumniis credit, ib. in veritatis & pietatis studio crescere studebit potius, quam quæstionibus omnibus minutis intelligendis, ib. sæpe statum mortis & rationem reddendam sibi proponit, 1241. Theologi pacifici requisita & officia erga studiosos, 688. sq. erga novas quascunque opiniones, 875. sq. vid. pax. Theologi polemici requisita, vid. controvers. a Theologo practico quid requiratur, 137. thes. V. Theologi contentiosi effigies, 1234. 1236. 1247. seq. ubi Pfaff. Moshem. ib. quis non sit, 1250. sq. artes, quibus talis utitur: zelum pro gloria Dei spirat, 1252. sq. ad auctoritatem majorum provocat, 1254. ubi Cocceji exemplum, ib. argumentatur ab invidia, 1256. sq. consequentiis periculosis ex sententiis aliorum pugnat, 1262. orthodoxiæ columen videri vult, 1263. seq. media ex contentioso pacificum fieri: incumbere disciplinis, quæ rite judicare docent, 1267. munire animum adversus pravos affectus, 1268. emenso cursu scholastico legere scripta adversariorum sine præjudiciis, ib. de divina origine religionis christianæ persuaderi, ib. præjudicia auctoritatis removere, 1269. de officiis V. D. Ministri sæpe cogitare, ubi Wernsdorfius.

renfelsius laudatur, ib. non in leviter dissentientem acriter insurgere, vid. Hæretificatio.
Theses quas cl. auctor dissertat. subjunxit, quære p. 137. sq. 362. sq. 400. sq. 460. sq. 498. sq. 795. sq. 827. sq. 843. sq. 887. sq.
Thomasius Stoicos atheismi incusat, quod mali originem in materia quæsiverint, 998. sq ex def. Chrysippi, quæ examinatur, 1005. quod Deo potentiam sustulerint, refellitur, 1008. sq. ubi Cic. 1015. sq. aliæ objectiones contra eos diluuntur, 1018. sq. sex articuli ejusdem contra Stoicos examinantur, quod Deus Stoicorum intime mundo junctus sit, ut una substantia fiat, 1039. sq.
Titulis alios errantes exosis onerare, est indicium hæretificis, 814. seq. Titulomania, 913.
Tolerantiæ commendatio, 929. sq. studii ejus necessitas, ib. est vel politica vel ecclesiastica, 337. ex principiis Protestantium est exercenda, 338. quomodo plerumque inter eos exerceatur, 855. seq. ejus mala quomodo considerandæ, 933. ejus incommoda conferuntur cum effectibus, qui ex violentia consequuntur, 352. sq 933. sq. ex cuivis concesso examine ecclesiæ romanæ Doctores clamant Tolerantismum emanare, qui rixarum, turbarum mater sit, 333.
Traditiones, quid requiratur, si ex eis velis demonstrare, dari judicem infallibilem, 151. sq.
Transsubstantiationis dogma promovet incredulitatem, 134.
Trinitas S. S. de fide circa eam veterum Christianorum testimonia, 62. sq. S. S. Trinitatis mysterium non est contradictorium, 277. sq.
Typi, de iis quid simplicitas suadeat, 537. sq. typomania noxia, 538. monita; nil pro typo habendum, quod non a divinis Scriptoribus declaratum pro tali fuit; non licet eos excogitare nisi indicia clara voluntatis Dei adsint; ad antitypum facile vel nimium vel parum refertur, ib.

U.

Vanitas studii nimii inclarescendi literis, 720. sq. libri de vanitate scientiarum cui usui serviant, 756.
Variationes Protestantium circa confessiones, & in scriptis suis non sunt criterium falsæ ecclesiæ, 219. non sine argumentis sufficientibus egerunt, quicquid egerunt, 222.
Veri criterium datur, 117. veritas sensus Sacræ Scripturæ per simplicitatem in interpretatione obtinenda, 515. vid. simplic. & interpret. Veritas resurrectionis Jesu potest esse basis omnium veritatum, hac enim probata cetera omnia tuta, 572. veritatis inquirendæ studium quomodo labefactetur, 788. sq. quid Theologo præstet, 1196. sq. veritas non alia via probari, nec error alia via eximi potest, nisi argumentis, 1204.
Versionibus Sacræ Scripturæ an tuto credi possit, 306.
Violentiæ effectæ, 356. sq.

VIRTUTES in summo perfectionis gradu proponere, quid plerumque efficiat, 607. sq. 617. sq. de virtutis legibus quid observandum, 625. ideæ earum sunt immutabiles, ib. & earum ideæ, uti ratio eas dictat, per revelationem non mutantur, 610. tendunt omnes ad felicitatem hominis, 625. sq. sæpe adflictiones patiuntur, ubi Formey, at est futura remuneratio, 628. sq. virtutes in hoste laudandæ, si veræ, 858. sq.
VITA hominis cuinam rei inservire ipsi debeat. ubi Seneca, 748.
VITIUM aliis consulere, & sibi non cavere, perstringitur, 758. sq. vitia plus nocent Societati, quam errores, 351. sq. vid. superstitio.
VOTORUM numeris in rebus religionis non est agendum, 789.
UTILE si quid deprehenditur, non statim valet consequentia esse necessarium, 261. sq.

Z.

ZELUS quis verus & falsus; caracteres utriusque, 596. 909. sq. 1206. Zelotis magistratus sæpe nimis dant vacivas aures, 920. an studium pacis tollat zelum verum, 1205.

FINIS TOMI II. PARTIS SECUNDÆ.

Fb 495 5

ULB Halle 3
007 663 188

VD11

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-836873-p0649-1



J. JACOBI ZIMMERMANNI,

S. THEOLOGIÆ IN GYMNASIO TURICENSI, PROFESSORIS,

REG. BORUSS. SOC. SCIENT. SODALIS

OPUSCULA

THEOLOGICI, HISTORICI ET PHILOSOPHICI ARGUMENTI.

TOMI SECUNDI

PARS II. ET ULTIMA.

TURICI,

Litteris CONRADI ORELLII, & SOC.

MDCCLIX.

Farbkarte #13 B.I.G.
Inches Centimetres
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-836873-p0653-0